



R. 00001583319

F.A. 089



MATTHAEI RADERI  
E SOCIETATE IESV,

AD

QCVRTII

RVI,

DE ALEXANDRO MAGNO  
HISTORIAM,

Prolusiones,  
Librorum Synopses,  
Capitum Argumenta,

COMMENTARII

*Cum indice duplici, Capitum & Argumentorum, itemque  
Rerum memorabilium copiosissimo.*

*St. Joseph de  
Braya*



COLONIAE AGRIPPINAE,  
Apud IOANNEM KINCKIVM, ad in-  
terfigne Monocerotis.

Anno M. DC. XXVIII.

*Permissu Superiorum, & priusl. S. Cæs. Maiest.*

MATTHEI RADER  
E SOCIETATE LRSV

Q CVR TI

R V F I  
DE ALEXANDRO MANNING  
HISTORIAM

Biologues  
Librorum Synopses  
Capitula Aiguensis

COMMENTARIA

Cum in his diebus, Caduceus et Serpente, et  
Rexis monentur, et cetera



COLONIA AGRARIA

A L L O A N N E M K I N G I V M

testigant Monarchas

ANNO MDCXXVIII

Procurator Republicae



MAXIMILIANO

PRINCIPIS

SERENISSIMO,

SANCTI ROMANI IMPERII

DAPIFERO VII VIRO ELECTORI,

COMITI PALATINO RHENI,

UTRIVSQUE BAVARIAE DVCI.

Salutem, felicitatem, victoriam, &  
multos annos

MATTHAEVS RADERVS

*è Societate IESV uouet & precatur.*



Non è primis sum, Serenissime Elector,  
qui nobilissimum hunc planeque re-  
gium scriptorem, Quinquam Curtium,  
res ab Alexandro Magno gestas libris  
decem, vel, vt nonnulli partiuntur, duo-  
decim complexum, inclitis Boiorum Ducibus co-  
gnoscendum obtuli. Desiderius Roterodamus  
Curtium Argentinæ Anno P. C. N. cix. ix. xvii.  
vulgatum, hoc est, ante annos admodum cen-  
tum & octo, Serenissimo Ernesto, Alberti iv. qui  
propter admirandam animi solertiam Sapientis co-  
gnomen tulit, & primus post primum Ludouicum  
vvittelspachium vtriusque Boiariæ potens fuit, filio  
inscripsit, illi nempe Ernesto, qui primum apud Pa-  
taua Boiorum, Ecclesiam pro Episcopo administra-  
uit, deinde maior, Salisburgi Pontifex creatus, sacrâ  
tamen tiaram sibi permolestam sponte posuit, &  
Glacensi dynastia contentus, propemodum inter  
priua-

## EPISTOLA

priuos quietus vixit. Secutus est Desiderium Of-  
 vvaldus Eckius vir nobilis, doctus, & clarus, qui  
 non quidem Curtium, sed Gualteri Hierarchæ, auo  
 quondam suo principis poetarum heroum carmen,  
 quo Curtium quasi Maroniana tuba canere docuit,  
 & ex oratore & historico poetam fecit (pleraque e-  
 nim omnia ex Curtio hausit) Gualterus; huius, in-  
 quam, Alexandreida Eckius Serenissimo Alberto  
 Ser.<sup>is</sup> V.<sup>o</sup> auo summæ per omne imperium auctori-  
 tatis, summæque sapientiæ, fortitudinis & constan-  
 tiæ Principi dedicauit & consecrauit. Imitatus  
 hunc, inde mox post triennium doctissimus vir  
 Christophorus Bruno Iurisciuis prolyta & candi-  
 datus, & ante Societ. Nostræ in hanc Principum re-  
 giam aduentum, poetici gymnasij præses & profes-  
 sor eundem Curtium duorum librorum supplemen-  
 to auctum, eidem incomparabili heroi nuncupa-  
 uit. Horum ego vestigia ingressus, Curtium iterum,  
 nec illum, vt alij, nudum, sed in capita distinctum,  
 synopsis & argumentis explicatum, & pleno de-  
 mum commentario explanatum & illustratum ad  
 sacras & eruditas S. V.<sup>o</sup> manus adfero. In toto opere  
 rediuiuus est Alexander Macedo, cognomento Ma-  
 gnus, magnus inquam philosophus, magnus miles,  
 magnus belli dux, magnus princeps, magnus rex, &  
 maximus imperator ab Hebræis, Græcis, Latinis,  
 barbaris, sacris, profanis rerum scriptoribus, pro-  
 phetis, vatibus, poetis, oratoribus, geographis, histo-  
 ricis, mathematicis & philosophis laudatus & cele-  
 bratus: reprehensus etiam & conuitijs laceratus,  
 quando à legibus naturæ, philosophiæ & rationis  
 iudicio, rectisque & emendatis moribus deflexit, &  
 in vitia, superbiam, crudelitatem, temulentiam &  
 ebrietatem degenerauit, vt maximi quique principes

DEDICATORIA.

in eodem rege habeant quod sequantur, & refugiant ac detestentur.

Cæterum eius famæ, nominis & gloriæ fuit Alexander, vti regum & imperatorum laudatores ac panegyristæ non alium ex omni antiquitatis memoria reperirent, quem cum suis Cæsaribus, Augustis, imperatoribus & heroibus componerent, quàm Alexandrum; id quod è Sallustio, M. Tullio, Liuiio, Appiano, Tacito, Plutarcho, Agellio, Iustino, Luciano, Lampridio, Xiphilino, Mamertino, Eumenio, Pacato, alijs, quemadmodum in Prolusionibus docui, planissimè constat.

Sed obseruanda quoque in Curtio admiranda supremi numinis prouidentia, æquitas, iustitia, quæ miris modis adeoque in toto eius opere elucet, vti mihi religiosissimus & doctissimus vir, diuque in sacris magistratibus versatus sanctissimè affirmarit, non se minùs in Curtio, quàm in diuinis scripturarum oraculis, supremi dictatoris mundi prouidentiam, iustitiam, & omniũ regnorum ac regum curã, cognouisse & didicisse, quando pro cuiusq; gentis & præsidum regnorum factis, æquis, iniquis, has quidem prouincias deleuit, illas erexit, hæc regna extinxit, illa excitauit, hæc imperia euertit, illa restituit, cum infinita eiusdem sapientia regibus ipsis & regnis ad hæc ministeria est vta. Sic Astræa cælestis, seu iustitia Asiæ totius luxum per Assyrios castigauit, Assyrios per Chaldæos spoliauit, Chaldæorum fastum & turpissimos Babyloniorum quæstus per Medos & Persas sustulit & oppressit; Medos rursus & Persas latissimè imperitantes, & ad summum potentia fastigium prouectos, maioraque maximo imperio vitia etiam ostentantes, per abiectissimam ea tempestate Macedonum gentem sub iugum Græ-

corum misit, Græcos postremo inter se collisos Romanis debellandos, exhauriendos & obterendos propinavit. Cumque Romanorum quoque denuò scelera omnem peccandi modum excederent, nec ullam illi tantis malis medicinam non modò non adhiberent, sed nec admitterent quidem, primum domesticis seditionibus attriti, deinde barbaris gentibus in prædam concessi ludibrio Cimbris, Herulis, Gothis, Vandalis, Longobardis, alijs fuere. Hodie tota pœnè Asia, meliorque Africæ portio, & omnis Græcia contemptæ religionis poenas sub acerbo & barbaro Thraciæ tyranno persolvit.

*οὕτως ἄγει τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην. Sic, inquam, Ducit numen malos ad pœnas.*

*οὐδὲ γὰρ ἐκδικῶν ὀμνῶ.*

*Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.*

Sic Balthafari Babyloniorum regi epulanti & græcanti scriptum est.

*MANE, THECEL, PHARES.*

Sic complures Hebræorum reges ob impios mores elisi. Sic Herodes ob impias populi voces acclamantis *Dei vox, non hominis*, cum non referret gratiam Deo acceptam, subito percussus interiit. Sic noster hic Alexander, quamdiu se intra limites philosophiæ & modestiæ continuit, felicissimus fuit; ubi mores, fastum & superbiam barbarorum quos vicit, secutus est, victus est, nō ab hostibus, sed suis quibuscum, vitæ illius insidiantibus, perpetuò colluctatus est, donec per stygiam aquam ab Iola & Cassandro propinatam ad stygem descendit. Senserunt etiam Christiani tutelam numinis: sicut & Hebræi quamdiu maiestatem Dei debita veneratione & cul-



DEDICATORIA.

& cultu profecuti sunt. Vbi contempta Pontificum religione in hæreses vel schismata, vel dissensiones incidere, regnorum & imperiorum (vtinam non & salutis) iacturam fecerunt, quod de Orientis Imperatoribus & Græcis omnes scriptorum memoriæ prodiderunt.

Sensit & Ser<sup>tas</sup>. V<sup>a</sup>. apertum coelitem fauorem & auxilium, cum ante septennium ireret ad bellum Bohemicum, & hinc abituriens ad D. Virginis e curru descenderet, ædemque sacram prima luce ingrederetur, dum sacer Canoniorum ordo matutinas Deo laudes decantaret, excepit vocem psallentium, dum pedem in limine templi poneret, *Exurgat Deus & dissipentur inimici.*

Oraculum fuit, oraculum accepit: dissipata enim, fugata & cæsa est acies impiorum; cumque partâ victoriâ e prælio domum reuerteretur, secumque laudem, immortalem famam & gloriam reportaret, priusquam in domesticum palatium ascenderet, ex ipso itinere, rectâ ad idem B. Virginis templum contendit, vbi iterum animaduertit sub vespers illum Davidis versum à clero pronunciarî, *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?*

Verum enim est, quod vulgò iactatur,

*Δίκαια δράσας συμμάχῃ τὸ θεῶν.*

*Numen adest iustis, & fortia facta secundat.*

Sed ad Curtium reuertor, quem labore non exiguo elucubraturum & explicatum Ser.<sup>ti</sup> V. pro debito officio & memoria acceptorum beneficiorum, quibus meos studiorum conatus Latinos, Græcos, sacros, politicos, multis iam annis liberalissimè

## EPISTOLA

fouit & aluit, cognoscendum represento, quasi gravissimorum, quibus Ser. V. dies noctesque Reip. belli & imperij causa distinetur, diuerticulum. Est enim, vti nemo negat, & amoenissimus & utilissimus, & planè, vt dixi, regius scriptor, qui principum aures tenere, & oculos morari verè potest. Certè rex inclitus Aragoniæ Alphonsus, cum olim graui morbo oppressus, & a medentium senatu ferè conclamatus esset, à Curtij lectione medicinam petiuit, accepit, & sibi restitutus, gratiam optimo auctori sapius postea meminit, quam rem etsi propè incredibilem, optimi tamen scriptores literis publicis consignarunt, & ad posteros transmiserunt. Puteanum Lipsij successorem pro coronide epistolæ audiamus, *Ipse, inquit, Curtius, etsi imminutus, perfectus est. Et iam non puerum nobis Alexandrum, sed adultum; non priuatum, sed regem narrat, vt regius omnino scriptor esset ac duraret: de quo quid sentire debeamus, rex quoque pronunciet, non ille quidem qui descriptus est, sed qui sic describi quoque potuit, ille animo & ingenio magnus, qui & Alexandri famam, & Curtij eloquentiam meruit, Alfonso Aragonius. Hic Capuæ aduersa valetudine correptus, ne otiosum haberet morbum, tunc quoque regem se ostendit, & serio nunc sermone, nunc exemplo mitigare dolorem studuit. Cum ægritudo cresceret, & medicorum industria sine fructu sudaret, nouum ipse remedium & inuenit, & adhibuit. Neglecto corpore, ad ingenij curam venit, & è scrinio non pharmacum, non unguentum, sed libellum petijt. Et quem putatis? Auditores. hunc à Curtio, hunc de Alexandro scriptum, dignum prorsus tali custodia, & vel cum Homeri operibus habendum. Hunc igitur legere cœpit, & experiri, an historia in morbum valeret. nec frustra: delectatus elegantia, prudentia, facilitate amoenissimi ingeniosissimiq; scriptoris, negligere primùm cruciatum potuit: mox vigore quodam imbuere corpus, & vt breuiter dicam, pro animo habere. Sic omnem morbi improbitatem corrigens, & recuperatæ iam salutis auctorem laudans, Facessant, inquit,*

*Aui-*

p. 37. v. l.  
vel orat.  
19. p. 378.

DEDICATORIA.

*Auicenna, Galenus, Hippocrates, & tota illa Aesculapij schola,  
Curtium ego feliciori pharmaco & succo medicum sensi, illius ope,  
illius suada restitutus sum. Res mira! sed fide scriptorum fulta. æ-  
gritudine oppressus & regni tamen cogitationibus onustus, vacare  
lectioni magnus princeps voluit, & quod dare medici non poterant,  
ab historico accepit. Fatetur ipse: & quid nisi regibus omnibus,  
aut qui ad magna aspirant, tam insigne exemplum commendat?  
Hæc Puteanus hodieque superstes. Ego quoque cæli-  
tes omnes precor vti S.<sup>tem</sup> V. Reipub. diu fospitem &  
superstitem velint, seruent, tueantur. Monachij Cal.  
Ian. Anno P.C.N. M.DC.XVII.*



AVCTO-



A V C T O R I T A S  
R. P. P R O V I N C I A L I S .



*Commentarios ad Q. Curtij de Alexandro M. historiam à MATTHAEO RADERO SOCIETATIS nostræ presbytero conscriptos, & à destinatis eiusdem Soc. nostræ Patribus lectos, censos & approbatos, ego GUALTERVS MVNDBROT Soc. IESV per superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, facta mihi potestate ab admodum R. P. N. Generali MVTIO VITELLESKO in lucem edi permitto, cui rei manu mea subscribo, & more Societatis consigno. Monachij Nonis Iuly Anno P. C. N. M. DC. XXVI.*

Gualterus Mundbrot.

INDEX

P R I V I L E G I V M  
C Æ S A R E V M.



Vm Sacræ Cæsareæ Maiestatis decre-  
to omnibus ac singulis Typogra-  
phis, & Bibliopolis, & alijs quamcun-  
que librariam negotiationem exer-  
centibus seriò firmiterq; inhibeat,ur,  
ne quisquam vlllos libros à nostris Pa-  
tribus hactenus editos, vel in posterum edendos, in-  
tra S. Rom. Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ  
Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum fines, simili,  
vel alio characteris genere, aut forma, siue in toto, si-  
ue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut  
alibi etiam impressos adducere, vendere, & distra-  
here, clam, seu palam, citra iudicium ac testimoniũ  
supradictorum Patrum audeat, vel præsumat: Con-  
cedo ego Hermannus Bauinck Societatis IESV per  
Rheni prouinciam Præpositus Prouincialis (pote-  
state mihi ad id facta ab Admodum R. P. N. Genera-  
li Mutio Vitellefcio) Ioanni Kinckio Ciui & Bi-  
bliopolæ Coloniensi, facultatem excudendi hos in  
Q. Curtij de Alexandro Magno historiam, Commē-  
tarios, à R. P. Matthæo Radero Societatis nostræ The-  
ologo conscriptos, atque à deputatis ad id Theologis  
lectos & approbatos. In quorum fidem hoc ei testi-  
monium manu nostrâ subscriptum, & sigillo muni-  
tum dare volumus.

*Hermannus Bauinck:*

INDEX CAPITVM  
PROLVSIONVM.

- Caput 1. *Vita Q. Curtij.*  
Cap. 2. *Iudicia variorum & elogia de Q. Curtio.*  
Cap. 3. *Quot libris historiam absoluerit Curtius.*  
Cap. 4. *Qui alij composuerint res gestas Alexandri M.*  
Cap. 5. *De nomine Alexandri M.*  
Cap. 6. *De cognomine Alexandri M.*  
Cap. 7. *Synopsis rerum ab Alexandro gestarum per Olympiades  
& annos digesta.*  
Cap. 8. *Quæ mira Alexandro M. euenerint.*  
Cap. 9. *Qui honores Alexandro M. viuo mortuoq; habiti sint.*  
Cap. 10. *Apophthegmata Alexandri M.*  
Cap. 11. *Apophthegmata & dicta aliorum de Alexandro M.*  
Cap. 12. *Epigrammata in Alexandrum M. græcolatina.*  
Cap. 13. *De forma habituq; corporis Alexandri M.*  
Cap. 14. *Alexander comparatus.*  
Cap. 15. *Alexandromastiges.*



INDEX

CAPITVM ET ARGVMENTORVM AD QVINTI CVRTII HISTORIAM DE ALEXANDRO MAGNO, COMMENTARI.

Synopsis rerum ab Alexandro Magno gestarum anno Regni primo & secundo, qui in Curtio desideratur folio 1. Synopsis Anni tertij, Anno Mundi 3720. Olymp. cxi. Anno 3. 3

INDEX CAPITVM ET ARGVMENTORVM Libri Tertij.

- Cap. I. Cleander ad conducendum militem mittitur: Marfyas fabulis celebratus laudatur. Alexander Celenas occupat 5
Cap. 2. Legatis Atheniensium respondet, copias aduersus Darium contrahit, Phrygiam ingreditur, Gordium urbem capit, Gordium nodum explicat 9
Cap. 3. Alexander ducibus Hellepontum committit, Antipatro Graciam, ipse Ancyram petit, copias lustrat, Paphlagoniam occupat, cui latus praefectus ipse Cappadociam inuadit 12
Cap. 4. Mors Memnonis nunciatur. Darius ipse educit copias, castra ad Babylonem ponit, copiarum numerum inquit, peditum quadraginta viginti duo millia, equitum vnum supra Sexaginta millia. summa cccccc. cccccc. cccccc. cccccc. 10000. cccccc. cccccc. cccccc. cccccc. hoc est 483000. 15
Cap. 5. Charidemus Atheniensis rogatus a Dario, quomodo placeret exercitus Persarum, respondit compositis vtriusq; regis copijs, plures esse Persarum firmiores Macedonum: pares paribus opponendas, qua ob dicendi libertatem interficitur, cuius cadis mox penitet Darium 20
Cap. 6. Darius Thymondam conducto Gracorum militi praeficit Pharnabazum Memmoni sufficit. Explicantur somnia & omina Darij 29
Cap. 7. Describit ordinem agminis, quo processit Darius ad Euphratem. Confertur acies Macedonum cum acie Persarum, contemnitur haec, laudatur illa 32
Cap. 8. Alexander ad castra Cyri venit, Arsames stulto consilio Ciliciam, cui praerat, vastat, portas inde Cilicias per Taurum adeundas describit Curtius, & miratur angustias aditus a Persis desertas. Tum ipsam Ciliciam calamo adumbrat, & antiqua monumenta eruit, Cydnum amnem laudat 42
Cap. 9. Alexander ingressus fauces Cilicia miratur stultitiam hostis locum relinquentijs. Exploratores armatos praemittit, Tarsum incensum ab hoste seruat, & ingreditur 46
Cap. 10. Alexander dum sudore persusum corpus Cyano

- tingit, vltimum vite discrimen adit, luget exercitui, queritur de iniqua fortuna. Philippus Aearnia medicus regem saluari potione quamuis suspectus a Parmenione factus, curat 48
Cap. 11. Darius properat in Ciliciam, Alexander Solos recipit, ludos celebrat, laetum nuncium de Myndijs, Caunijsq; accipit, Mallon, Castabalon, Isson capit, atq; Darium expectat 58
Cap. 12. Sifenes Persas per fuga, propter litteras Nabarzani falsa suspitione oppressus, iussu regis occiditur 61
Cap. 13. Thymondas peregrini militis ductor, suadet Dario, vt retro abeat in Mesopotamiam quod consilium illi, copijsq; Graecis prope exitio fuit, dum a satrapis proditor iudicatur. Ab Dario seruatur, consilium tamen eius cur ipse non sequatur ratione adfert, impedimenta Damascum mittit, ipse Ciliciam petit 63
Cap. 14. Alexander ad Syria portas, Darius eade nocte ad pylas Amanicas peruenit, ille vt exiret hic vt intraret Ciliciam, qui Isson occupat, deprehensos ibi Macedones crudeliter aut trucat, aut trucidat, tergesq; fugientium heret, Alexandru quasi fugientem assecutus, qui simul cognouit Daru adesse, conuerso itinere constitit, paratusq; Dario occurrit 68
Cap. 15. Aestuatur curis Alexander, nocte qua praelium antecepsit, sacrificat, mane instructo milite in hostem pergit, autemq; ad praelium disponit 70
Cap. 16. Trepidatio in exercitu Darij, & tumultuatio orta, audito adesse Alexandrum. Darius conatur circumuenire Alexandrum, multa simul imperat, nemo imperata vel audit, vel exequitur 73
Cap. 17. Darius aciem ad pugnam instruit 74
Cap. 18. Alexander ita militem collocauit, vti nulla ratione posset circuire, aut concludi 76
Cap. 19. Clamor tollitur ingens ab vtraq; parte, Alexander suos hortatur ad praelium 77
Cap. 20. Praelium patrat, vtrinque summa ope certatur 81
Cap. 21. Alexander vrget Darium, illiusq; iugulo imminet, quem frater defendit, ingens circa Darij currus fit caedes. Darius primus omnium fugit, quem strenue sequitur miles, Theffali tamen laborant, quorum ala vna fusa, altera circumacta vincit. Ita victor vbique euadit Alexander 84
Cap. 22. Alexander persequitur fugientes, Graeci soli sensim se subduxere a Persis, ex quibus alij caesi, alij Darium secuti, quatuor millia cum Amynta euasere. Castra inde hostiu ab Alexandri milite occupata, capti filius, mater, vxor, filia Darij, toto praelio (?) (?) caesi

INDEX

- caesi Persarum centum milia peditum, decem milia equitum, Macedonum duo & triginta pedes, centum quinquaginta equites, non amplius desiderati* 88
- Cap. 23. Alexander desperato capi posse Darium, reuersus in Castra Darij conuiuium celebrat, Leonnatus mittitur ad solandas captiuas 93
- Cap. 24. Alexander uisit ad captiuas, colloquitur cum Sisygambe Darij matre, qua optime precatur hosti ob clemenciam, qui regiam omnium fortunam conseruat, pudorem singularum singulari cura tuetur, laudatur Alexander ab Curtio ob continentiam, quam omnibus eius operibus merito anteponit 97
- Cap. 25. Alexander aris pugnae monumento, (nam tropaea Macedones non fixere) positus, Syriam perit, Parmenio Damascum prodicione cum thesauro regio & gynaceis capis, proditoris caesi caput ad Darium fertur 101
- INDEX CAPITVM LIBRI  
Quarti.
- Cap. 1. Darij fugam exequitur Curtius. Alexander Parmenione Syria praefecto Aradum insulam, cum rege Stratone, in deditioem accipit, ad Marathon urbem Castra mouet, ubi litteras a Dario superbe scriptas accipit, pariq. stilo & atrocius etiam respondet 109
- Cap. 2. Alexander in Phoenicia Biblon & Sidonem deditas seruat, Stratonem regem abdicat, Abdalonymum regia stirpe ortum in regium fastigium extollit 116
- Cap. 3. Persidis Amyntas, & transfuga cum suis quatuor milibus primum Tripolim uenit, inde Cyprum, deinde Aegyptum, quam Conatus occupare ad Memphim primum uictor, mox uictus cum suis deletur 120
- Cap. 4. Darij Praetores ex acie Isica superstites, recuperare Lydiam tentantes fundit Antigonus, describuntur deum varia bella inter duces Darij & Alexandri gesta. Agis quoq. Rex Lacedaemoniorum Antipatro bellum facit 122
- Cap. 5. Tyri laus, donum Tyriorum Alexandro missum, Alexander prohibetur urbis aditu, descriptio maris Tyrij & urbis 124
- Cap. 6. Carthaginensium legati firmant Tyrios contra Alexandrum prodigia urbi exitium protendentia 130
- Cap. 7. Tyrij Alexandri legatos de pace missos occidit, difficultas obsidionis, desperatio militum, Alexandri hortatio.
- Cap. 8. Incipit aggerem iacere per mare, Tyrij obnituntur, Expeditio interim in Arabes
- Cap. 9. Stratagema Tyriorum, Clades Macedonum, Operis euersio, restitutio aggeris, varia Tyriorum artes
- Cap. 10. Clasis Alexandri ad Tyrum oppugnandam Comparata, quam tempestas vexat.
- Cap. 11. Legati Carthaginensium negant parentibus auxilium. Tyrij imbellem turbam Carthaginem mittunt. prodigium Apollinis aperitur, legati suadent, ut sacrum homini hostia fiat. Tyrij sacrilegium horrent.
- Cap. 12. Tyrij tam acriter oppugnationem defendunt, ut Rex desperabundus de soluenda obsidione iterum delibere, a qua fama sinistra deterretur 146
- Cap. 13. Prodigium a visu belua, quod vtriq. in suam salutem interpretantur 147
- Cap. 14. Naumachia committitur Alexandro victore 148
- Cap. 15. Tyrius Ioi Capitur, excinditur, paucis parcitur, Elogium Tyri 149
- Cap. 16. Littera Darij ad Alexandrum, & huius responsum de filia ducenda & dote 154
- Cap. 17. Alexander Gazam obsidet. Graci Coronam mittunt uictori. Praetores Alexandri rem bene gerunt 155
- Cap. 18. Bellum reparat Darius, Bactrianos euocat cum Besso non gratis suspecto 160
- Cap. 19. Gaza duobus mensibus obsessa tandem cum magno periculo regis expugnatur. Batis praetoris supplicium 161
- Cap. 20. Aegypto expugnata Hammonis Iouis sedem cum magno periculo adit. Eiusdem loci descriptio 167
- Cap. 21. Alexandria non sine prodigijs conditur. Aegyptus praefectis regenda, traditur. Hector Parmenionis F. Nilo perit. Vstulatus Andromachus praeses Samariae, Tyrannorum supplicia, Legationes Graecorum, Cyprij Reges donis culti. Amphoterius contra Piratas mittitur. Herculi Tyrio Alexander operatur 183
- Genuina delineatio Alexandriae Aegypti 185
- Cap. 22. Darius Babylone collectas copias & instructas mouet ad Tygrum, quem cum Hycotrajcit, & castra ad Bumellum ponit Mazaeus regionem vastat 193
- Cap. 23. Profectio Alexandri ad Euphratem & Tygrum. Cedes Satrapacis 194
- Cap. 24. Defectio Lunae describitur, inde trepidatio exercitus & nutatio, ac prope seditio. Ratio defectionis explicata. fausta portenta, profectio, Ignis extinctio, copia frumenti reperta. exploratores capti vel caesi. 198
- Cap. 25. Darij insidiatrices litterae deprehensa, Mors uxoris Darij, & nuncius de ea ad Darium, Darij lachrymae, & precatio pro Alexandro casto & regio iuuenes 206
- Cap. 26. Ultima Darij legatio ad Alexandrum de pace. Parmenionis consilium ad pacem inclinans propter aurum. Alexandri regia responsio, se non esse mercatorem, quastus de insidijs. Dario indicit bellum 211
- Cap. 27. Alexander composito agmine pergit ad hostem. Mazaeus iter explorat. Darij copia recensentur. 214
- Cap. 28. Panicus timor militem Alexandri ex vana specie caeli inuadit, quem sua prudentia rex excussit 219
- Cap. 29. Mazaeus cum Persis collem deserit, quem Macedo occupat, ibidemque castra ponit, vnde & aciem hostium prospicit, fluctuat idem animo, de pugna ratione delibet, vnus contra omnes aperto campo, clario sole, non noctu more latronum in tenebris pugnam dum statuit 221
- Cap. 30. Vtriusque regis supremae noctis qua pugnam praecessit sollicitudo, explicatur 224
- Cap. 31. Alexander alto somnomersus, & a Parmenione excitatus causas tam secura quietis reddit. Signum dari ad pugnam iubet, duces ad sua munia obeunda admittit 226
- Cap. 32. Alexander sola vultus hilaritate militem excitat, ad spem victoriae, copias in duo cornua disperdit singulis duces praeficit, alis equitum latera firmat, subsidia opportunè collocat, aciem versatilem facit, impedimenta in colle seponit, ipse dextra, Parmenio sinistro cornu praest 228
- Cap. 33. Anteprelum Bion transfuga nunciat Alexandro tribulos ab hoste esse humi defossos contra equitatum. Alexander interequitat ordines & singulos hortatur ad praelium 233

(??)

Cap.



CAPITVM.

- Cap. 34. Darius sublimis curru proluxa oratione hortatur suos ad praelium, contemnit paucitatem hostis, omnia sibi fauere, locum, equitatu, copias instructissimas, fuga quoque hosti, (non sibi) praclusas aditus. Rogat postremo indiget Deos, ut adesse praeliantibus velint, & Persarum regnum tueri. 235
- Cap. 35. Alexander in Darium, hic in Alexandrum ducit agmen, in quem simul & falcatos currus non sine strage immittit. Mazæus Persa Alexandri impedimenta inuadit, quæ negligenda Alexander in presens edicit. Prudentia Sygigambis laudatur 240
- Cap. 36. Ad impedimenta Alexandri ingens certamen est, Menidas à Scythis fugatur, cui Aretes succurrit. Falcati currus cum aurigis præter paucos superati, vltimam tamen aciem Alexandri lacerant, Aretes à Bætrianis in fugam vertitur, qui triumphum ante victoriam canant, Alexander dextrum cornu Darij inuadit, prope circumuentus defenditur ab Agrianis, pugnatur vtriusq; summa ope, summis viribus. Alexander felix omen Aquila obijcitur. Auriga Darij occiditur. Leuo eius cornu in fugam verso, & ipse deliberat de fuga aut nece sibi inferenda: quam imminente Alexandro postponit, quem persequitur Macedo nec assequitur 243
- Cap. 37. Parmenionis laeuum cornu à Mazæo aded vrgetur vti fugam iam circumspiceret, petit auxilium ab Alexandro, qui Darium fugientem persequatur. Sisilit agmen indignabundus. Mazæus intellecto Dariū fugere, mittit pugnam, & ipse percussus metu tergum vertit. Darius media nocte Arbela peruenit, describitur, inde clades & strages cadentium fugientium, persequentium, & immensa hostium sitis 246
- Cap. 38. Persa per fugam Lyco mersi, tantum aqua hauerunt, vti pleriq; nunquam amplius sitirent. Alexander ferus cohibet. Porro insequi volentes, parcerent ferro, seruarent vires meliori fortuna, vertiq; aciem ad Parmenionem, quem laborare acceperat, ipse in ipso reditu vltimum incurrit periculum, quod sola virtute, suis hostibus, qui se conglobauerant, euasit, Parmenio interim & ipse vicit, numerantur vtrinq; caesi, laudatur Alexander, & soli prope victoria tribuitur, nec tacentur præcipui duces, Hephæstio, Canos, Perdicas, Menides, additur epiphonema, Regem dignum tali milite, & militem tali rege 248
- Cap. 10. Persidem petit, regredi cum clade cogitur, alia via intrat; Persidis descriptio, ingressus in regionem, cades Ariobarzani 283
- Cap. 11. Persopolim properat Alexander, cuius mira celeritas ab authore predicatur 291
- Cap. 12. Græci mutili & captiui petunt agrum ab Alexandro 292
- Cap. 13. Capta Persopolis, præda magnitudo, hostium cades, eversa vrbs excepta regia ceu arce 295
- Cap. 14. Capta Parsagade, præda noua reperta, excursio & vastatio Persidis, Mardi subacti 297
- Cap. 15. Rex ebrius ab ebrio scorto impulsus Persopolim incendio delet. Sero cum Phrygibus sapit, & dolet factum, quod infectum reddere non potuit 301
- Cap. 16. Mediam intrat, supplementum accipit, Darius Ecbatanis se ad vltimum praelium parat. Syllabus copiarum eius. 303
- Cap. 17. Oratio Darij qua Satrapas suos ad praelium adhortatur 306
- Cap. 18. Desperatio cum horrore ducum ex oratione Darij concepta. Artabazi fides, Nabarzanis & Bessi coniuratio 308
- Cap. 19. Darius sentit insidias quas exire tamen non potuit. Artabazi & Græcorum cum patrone fides in eundem. Artabazus pro rege administrat castra. 310
- Cap. 20. Coniurati artes querunt quibus Darium comprehendant, simulant penitentiam, recipiuntur in gratiam 311
- Cap. 21. Patron Græci militis mercede conducti prætor, aperit Darii coniuratorum simulatam penitentiam, & certas insidias 313
- Cap. 22. Bessi parricide, simulata excusatio 316
- Cap. 23. Darius vltimum salutato Artabazo, dilapsis custodibus, dimisis spadonibus per noctem à Besso vincitur, & captiuus à suis curru abducitur 317
- Cap. 24. Alexander Darium persequitur 319
- Cap. 25. Barbari cum Besso certatim fugiunt, Darius fugientes sequi recusat, vulneratus ab suis relinquitur, à Polystrato Macedone reperitur, datus ad Alexandrum mandatis extinguitur 321

INDEX CAPITVM LIBRI sexti.

INDEX CAPITVM LIB. V.

- Cap. 1. Dilata rerum in Europa gestarum narratione, fugam & Consilia Darij explicat 253
- Cap. 2. Præda bello capta, & Tygris, & Euphrata fluminum descriptio 154
- Cap. 3. Alexander Babylonem vltro se dedentem ingreditur, & ab tota ciuitate effusa, latus excipitur. 257
- Cap. 4. Babylonis descriptio 260
- Cap. 5. Mores Babyloniorum corruptissimos exponit. 270
- Cap. 6. Copias auget, regnum Babylonis Satrapis & Prætoribus administrandum committit, Chiliarchas creat militarem disciplinam mutat 272
- Cap. 7. Susa cum thesauro traduntur 276
- Cap. 8. Sygigambim cum Præsidio Susis relinquit, eiq; vestes Macedonicas cum tela donat, qua filias occuparet, Mestam ex dono & dicto, seruitutis indice presens solatur 279
- Cap. 9. Paspyrygrim describit, Alex. Vxios subigit, Madati prætori Vxiorum, deprecate Sygigambe, ignoscit 280
- Cap. 1. Deest principium de bello Lacedæmoniorum cum Antipatro præside Macedonia gesto, in quo victor Antipater, casus Agis rex Lacedæmoniorum, Victi legatos mittunt ad Alexandrum, Antipater caute, & modeste vtitur victoria, ne se oneret inuidia apud Alexandrum 325
- Cap. 2. Alexander victor Gentium, à suis ipse vitijs, ebrietate, superbia, libidine vincitur. Regia tamen stirpis captiuus parit. Fratrem Darij inter amicos rescribit Ozpidatem Media præficit 330
- Cap. 3. Rex Parthenien quam postea occuparunt ingressus, tumultuantem militem oratione sedat, & patriam spectantem ad nona bella parat 331
- Cap. 4. Multa docet bello perfecta, non pauca perficienda, nondum adesse finem laborum 336
- Cap. 5. Rex mouet castra versus Hyrcaniam, describitur mirum Liobris fluminis ingenium 330
- Cap. 6. Nabarzani Bessi socio supplicii promittit veniam & publicam fidem 342
- Cap. 7. Hyrcaniam ingreditur, quam Curtius cum Caspiu mari describit 344

INDEX

- Cap. 8. *Satrapas Persarum supplices in fidem accipit, Artabazo etiam dextram porrigit. Græcis ignoscit, præter Lacedæmonios in custodiam datos. Democrates Atheniensis ius sibi gladio dicit.* 351
- Cap. 9. *Mardos feram gentem domat* 353
- Cap. 10. *Nabarzani Præsidi Hyrcania in Bagois gratiam ignoscit: Thalestris Amazonum Regina (vt olim Regina Sara Salomonem) Alexandrum adit, liberisq; conceptis post 13. dies redit ad suos* 355  
*Thalestris Amazon,* 359
- Cap. 11. *Alexander mutat leges, totusq; à se abit in vitia* 359
- Cap. 12. *In Bessum mouit Castra, Satibarzanem in fidem accipit, eundem, mox deficientem persequitur, Rupem expugnat. Artaiacnam occupat, ciuibus ignoscit* 362
- Cap. 13. *Supplementum accipit, Drancas adit, quorum Pretor Barzaentes ad Indos profugit* 369
- Cap. 14. *Coniuratio in Alexandrum per Nicomachum & Ceballinum detegitur. Dymnus seipsum ferro induit* 367
- Cap. 15. *Philota accersito, & se de coniurationis suspicionem purganti rex primum ignoscit, sed amicorum, consilio mox comprehendi iubet* 370
- Cap. 16. *Rex Philotam apud milites coniurationis accusat* 374
- Cap. 17. *Miles aspectu Philotæ vincit ad commiserationem motus, ab Amynta & Cano ad indignationem inflammatur* 380
- Cap. 18. *Philotas primum metu exanimatus, mox recepto animo causam suam tam luculenter agit, regisq; argumenta diluit, vt questionem planè ambiguam fecerit* 381
- Cap. 19. *Oratio Belonis Ducis in Philotam, qui vitam eius & delicias, superbiam & contemptum aliorum ostendit, totamq; concionem iam quietam & horrentem in illum accendit* 388
- Cap. 20. *Philotas torquetur, scelus fatetur, cum coniurationis saxo obruitur* 309
- INDEX CAPITVM ET ARGVMENTORVM Libri septimi.
- Cap. 1. *Sero Macedones desiderant, quem occiderant. Fiunt alij rei, partim damnantur, partim absoluuntur* 396
- Cap. 2. *Polydamas mittitur ad occidendum Parmenionem tumultus à cade compositus, Parmenionis studio si separauerit* 404
- Cap. 3. *Euergetas laudat Curtius, Rex Satibarzanem proditorem persequitur. Euergetas pecuniam donat, Arachosios subigit, Parmenionis exercitum recipit* 408
- Cap. 4. *Paropamisadas barbarissimam gentem describit quos exercitus adiens, pæne frigore & inopia perijt* 410
- Cap. 5. *Ad Caucazum (quem cum Tauro describit Curtius) accedit rex. Alexandriam ad montis radices ponit* 413
- Cap. 6. *Bessus super mensa debellat Alexandrum, applaudit ebrijs adulatores Cobares Medus & magus suadet Besso deditorem, fugit ad Alexandrum. Bessus copias acturus cum suis trans Oxum ad Sogdianos se conferit* 416
- Cap. 7. *Inopia commeatus in copijs Alexandri. Bactrianos describit* 422
- Cap. 8. *Lacedæmoniorum defectio. Erigisi monomachia cum Satibarzane & victoria* 424
- Cap. 9. *Alexander Bessum persequendo, in aquarum penuriam incidit. Eiusdem patientia & miranda sitis tolerantia* 426
- Cap. 10. *Multi auidius bibentes intereunt. Regis cura pro exercitu. Oxi traiectus* 429
- Cap. 11. *Spitamenes cum coniuratis, Bessum vinctum ducit ad Alexandrum* 431
- Cap. 12. *Misio veteranis data. Brancidarum excidium.* 432
- Cap. 13. *Spitamenes adducit nudum Bessum, qui in crucem agendus ad sagittas pro meta destinatur. Catenis Sagittarum laus* 435
- Cap. 14. *Ex Macedonibus nonnulli pabulatores oppressi à Barbaris capiuntur. Rex dimicans vulneratur, barbari deduntur.* 437
- Cap. 15. *Certamen elegans peditum & equitum supergestando rege, quod rex Amabeum esse voluit. Maracanda occupat. Scytharum legatos audit. Locum vrbi ad Tanaim designat* 438
- Cap. 16. *Sogdianorum & Bactrianorum defectio Cyropolis & Memacena vrbes, cum regis periculo eueruntur. Spitames obsidetur.* 440
- Cap. 17. *ad Thanaim Alexandriam ponit, quam Scythæ nequicquam diruere conatur* 444
- Cap. 18. *Scytharum descriptio. cura Alexandri de valetudine, & hoste, eiusdem superstitio.* 445
- Cap. 19. *Consilium ponit de inferendo Scythis bello. dehortantur Erigisus & Aristander. Vates ab Alexandro reprehensus iterum litat, & Perlitatum feliciter nunciat* 448
- Cap. 20. *Menedemus Alexandri præfectus ad Maracanda cum copijs ab Spitamene deletur. Alexander cladem disimulat* 452
- Cap. 21. *Rex per uigil consultat secum, tum militem alloquitur, & bellum in Scythas pronunciat, ratesq; parat* 454
- Cap. 22. *Legatio & Oratio Scytharum libera, qua infinitam Alexandri cupiditatem ostendunt, suamque equitatem & innocentiam commonstrant.* 455
- Cap. 23. *Rex verbo peracutè respondet, Tanaim traiecit, hostes fundit, sagas deditos in fidem recipit* 463
- Cap. 24. *Spitamenum persequitur. Sogdianos describit, vastat. 30. iuuenes damnatos vita donat, & per illos Sogdianos in fide continet. Bactra petit, Bessum Ecbatana duci iubet* 467
- Cap. 25. *Sedecim millia accipit in supplementum. Sogdianos reliquos subigit. Ochum & Oxum flumina superat. Ad Margianam vrbe sex oppida cõdit.* 470
- Cap. 26. *Petram Arimazis Sogdianam describit Curtius, Alexander expugnat, Arimazen cum propinquis in crucem tolli iubet* 472
- INDEX CAPITVM ET ARGVMENTORVM Libri Octau.
- Cap. 1. *Barbaros persequitur, Attinas cum 300. caditur, Craterus offensam belli emendat.* 476
- Cap. 2. *Legati varias gentes dedunt. Scythæ petunt conubia Macedonum. Rex Bazarum ingreditur, que describitur, Venatio Alexandri, & epulum* 478
- Cap. 3. *Narratio de Clito inter epulas ab Alexandro ob lingue intemperantiam occiso* 481
- Cap. 4. *Sera regis pœnitentia non pœnitendo ingenio & stylo describitur* 488
- Cap.

CAPITVM.

- Cap. 5. Xeniporum descriptio. Amynta cruenta victoria de Bactrianis exsulibus, in gratiam tamen ab Alexandro receptis 489
- Cap. 6. Syssimithris deditio, & ardua petra adumbratio 491
- Cap. 7. Defectores per ardua viarum persequitur fugatq; Philippi fratris Lysimachi & Erigisi funera plorantur 493
- Cap. 8. Spitamenis ab uxore caput praecisum fertur ad Alexandrum. Dataphernes à Dabis vincetus traditur. Praetores rei deseruntur, puniuntur & mutantur. 494
- Cap. 9. Gazabam petit, & in grauisissimam tempestatem incidit, luculenter à Curtio descriptam, vt lector ipse inter tonitrua, grandines & fulmina videatur versari. Regis inde cura in colligendo & solando milite laudatur mille tamen perierunt 497
- Cap. 10. Rex compensat militi amissa, certat beneficijs cum Syssimithre. Cohortanus satrapes se & sua dedit, cuius filiam Roxanem ducit Alexander uxorem 499
- Cap. 11. Iter in Indiam adornat. In ipsis cxx. millia recenset, auro & argento arma exercitus expoliri iubet 502
- Cap. 12. Rex vult Deus credi & coli. in recusantes viarum fulmina iacet. Hages & Cleo adulatores Graeci Deum pronunciant. Callisthenes Philosophus obnunciat 503
- Cap. 13. Mos principum iuuentutis excubandi, honos eorum. Hermolai castigati in regem cum socijs coniuratio, periculum regis 509
- Cap. 14. Epimenes aperit coniurationem, vinciuntur coniurati, & Callisthenes inter hos 512.
- Cap. 15. Causa coniuratorum agitur. Hermolau contra regem perorat 513
- Cap. 16. Hermolao respondet Alexander, qui reos duci iubet, atq; inter hos Callisthenem, cuius mors genusq; mortis aeternam regi peperit inuidiam & insaniam 517
- Cap. 17. In Indiam mouet. India prolixa & nobilis descriptio morumque Indorum 521
- Cap. 18. Indiam partim deditio, partim vi & armis occupat 525
- Cap. 19. Mysa à Bacho condita descriptio oppugnationis, deditio. Exercitus operatur Libero, & Bacchanalia viuit 536
- Cap. 20. Varias vrbes & Regiones expugnat: Inter has Mazagas & Cleopen reginam. Rex vulneratus sentit se hominem esse 539
- Cap. 21. Noram occupat petram Aornin descript Cur-tius, quam obsidet rex, fugiunt obsesti & trucidantur: vsque ad Indum penetrat 543
- Cap. 22. Omphim seu Taxilem regem in fidem recipit, certant muneribus, quibus offensi Macedones 547
- Cap. 23. Abisares rex deditur. Porus bellum cogitat. Defectores quidam capti ducuntur: ad Hydaspem Alexander Porum habet obuium cum octoginta quinq; Elephantis. ccc. curribus, xxx. millibus peditum. Describit ipse Porus & Hydaspis, & Insula in illo 550
- Cap. 24. Duorum iuuenum infelix audacia. Alexander stratagemate Hydaspem superat 553
- Cap. 25. Praelium Alexander cum Poro committit, vincit, fugientem capit, capto parcat, maioremq; regem efficit

INDEX CAPITVM LIBRI

Noni.

Caput 1.

- H**ortatur militem ad persequendum bellum spe praemii. Abisares editionem reformidat, Rex ad interiorum Indiam transit 567
- Cap. 2. Interioris India descriptio. Rex multas gentes partim vi, partim vltro deditas recipit 568
- Ca. 3. Sophitis regnum deditur, de canibus venaticis admiranda 571
- Cap. 4. Phegeles rex deditur, natura loci describitur, & Ganges fluuius, & Agrammes rex potentissimus, dubius rex de milite an ipse sequitur concionem habet 573
- Cap. 5. Suadet militi vltimum restare bellum. Eleuat conceptam de hostis potentia opinionem. Laudat virtutem suorum, nec tamen persuadet. oritur omnium fletus 575
- Cap. 6. Cænis respondet orationi regis, & deprecatur loco exercitus longiorem militiam. soluitur lachrymis concio. Rex indignatus se includit.
- Cap. 7. Signat terminos expeditionis. Redit quæ venerat Cæni more, Ad Acefinem flumen nouum supplementum accipit. Duos Reges conciliat. duo oppida condit, Classis ad Sobios deuenit 582
- Cap. 8. Sobios describit. Rex oppida vi occupat, per fluminum concursum in vortices abripitur, & tantum non hauritur 584
- Cap. 9. Ad Oxhydracas & Mallos accedit, seditionem militarem compefcit 586
- Ca. 10. Hostes fugat, oppidum obsideret, vltimum vita discrimen contento vate adit. solus in oppidum hostile defiliens, agrè tandem per suos iam saucius eripitur, hostes internecione delentur 589
- Cap. 11. Vulnus curat, non sine cura deplorata vita, nec omnino curatus pergat ad hostes 584
- Cap. 12. Monent amici Regem ne se in posterum tantis committat periculis, nullam sequi gloriam ex ignobili hoste petitam. Respondet rex vbiq; laudis materiam offerri, vbi liceat fortiter agere, ipsi regem suum à domesticis insidijs defendant, de hoste ne sint solliciti 596
- Semiramis Babylonia 601
- Cap. 13. Colonia Græcorum, Bactriana deficit, & relictis barbaris Græciam repetit 602
- Cap. 14. Oxhydraca & Malli gentes, se dedunt regi, legati adhibentur conuiuio. Dioxippus prouocatus duello aduersarium vincit; furti per inuidiam falsò insimulatus in se mauus vertit 604
- Cap. 15. Gentium duarum legati dimissi & reuersi ferunt munera. Rex varias gentes & oppida expugnat.
- Cap. 16. Per amnem ad Octauium peruenit, ex astu maris classis vltimum discrimen adit, iubet explorari Oceani naturam, oppida condit 612
- Cap. 17. Varias gentes recipit in fidem. oppidum constituit maritimos indos adit. Esurit simul exercitus pestilente laborat 616
- Cap. 18. Defectores victi, puniti Rex damna resarsit exercitus Bacchi triumphum emulatur 619

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI

Decimi.

- Cap. 1. Cleandri, Sit aliris, & aliorū accusaciones, crimina, vincula, mortes 622
- Cap. 2. Explorati Oceani natura explicatur. Insula descriptio. Regis infinita molitiones 623
- Cap. 3. Orsinus Peca laudes, liberalitas, criminatio, indignissima cades 627
- Cap. 4. Curtius Regis crudelitatem carpit, Europa, Asia, & Gracia statum exponit 630
- Cap. 5. Rex partem copiarum dimittere parat. dissoluit es alienum sui exercitus, decem millia talentum hoc est sexagesies centena millia aureorum ceu philippicorum 634
- Cap. 6. Seditioem militarem primum frustra conatur oratione sedare, quam mox paucorum nece reprimi. Macedones supplices rejicit, peregrinos spretis Macedonibus alloquitur, admittit. seditiosos mergit aqua, ac tandem popularibus ignoscit 635
- Cap. 7. Rex Babylonem reuersus propinato sibi per Casfandrum & Iollam veneno, moriturus salutem exercitum: Perdicca tradit annulum, respondet amicis supermag, mandata edit, & extinguitur 642
- cap. 8. Luctus omnium immensus per totam Asiam purpuratorum Pratoria cohortis exercitus, Persarum, Sisygambis ex Luctu mors 647
- Cap. 9. Laudatio funebris, virtutes, fortunam, famam, gloriam, regis vitis extenuatis complexa 650
- Cap. 10. Vocato principum coetu, Perdiccas perorat apud militem, & agit de Rege subrogando, quem nominat Roxanis filium nundum genitum 654
- Cap. 11. Nearchus Barsines filium dicit regem. Ptolemaus Aristocratiā suadet, Aristonus Perdiccam conatur coronare quod Perdicca capit, nec audet, Meleager ad aurum properans mouet seditionem. Gregarius striduum fratrem Alexandri designat. Phiton dissuadet, cōcio iubet, adducitur & Rex salutatur à milite; refegantur optimates, & in Perdicca sententiam concedunt 655
- Cap. 12. Meleager Arideum reuocat, qui insignia capit regia Perdicca cum equitatu & Regia cohorte, regia cedit. Meleager tendit Perdicca insidias, in quas mox ipse incidit Perdiccas occupat Babylonia campos, annonam intercipit. Mittuntur legati ad Perdiccam de concordia. Arideus deponit insignia regia, meliori porrigenda. iubetur illa recipere Perdiccas simulat amicitiam erga Meleagrum. Curtius excurrit in statum & felicitatem sui aui. Meleagen circumuenitur & occiditur 660
- Cap. 13. Perdiccas, summa rerum Arideo fratri Alexandri commissa diuidit principibus copiarum prouincias 669
- Cap. 14. Proceres septimo post die quam Alexander obierat versi ad curandum corpus Alexandū reperiunt incorruptum, & tantum non spirans, vt pollinctores vererentur manus admouere. post purgatum, & inunctum aromatizq, repletum regio insigni exornant & in aureo folio seu feretro collocant. Narratur quoq, genus mortis, & quam vim habeat stygia aqua. Demū vt tota stirps Alexandri sublata corpusq, in Egyptum translatum sit 676
- Olympias Alexandri mater 681

FINIS.





\* ERYTHRAEVM sine PYBRYM Mare sic dictum  
 non a colore sed ab Erythrae rege. Ex quo hanc insulam  
 à continentis insula quaedam, puberis frequentibus  
 confusa et in modo fore nomine coherentia erit;  
 nec reges Erythrae monumentum hactenus genit  
 aut regis Erythrae, testis Curtius. Originis voca  
 tur hae insulae quod Erythraum. Hoc mare  
 Magnae aegyptum, sic scribitur Ptolemaeus, Aethiops  
 Philostratus alijs.

**ALEXANDRI  
 MAGNI  
 MACEDONIS  
 EXPEDITIO**

Marti Hyrcanum sine Gas  
 pium, quod et Bactrianum mare  
 pium, quod et Bactrianum mare  
 pium, quod et Bactrianum mare

Abij Sythae omnium  
 habitorum iustitiam.

Peropanis nos quem Mo  
 cedonem Carcallum in Aland  
 plurim vocat mull in sua ubi  
 quibus fatibus in quo Proter tere  
 hinc et spissum, mull mull tere  
 hinc et spissum, mull mull tere

Sythae Asiatici A.M.D.C.XXVIII

ARABIAE FELICIS  
 LICIS PARS

INDIAE INTRA GANGETEM  
 PARS





R. P.

# MATTHAEI RADERI E SOCIETATE IESU

AD

## Q. CURTII RVFI HISTORIAM

DE

### ALEXANDRO MAGNO

Prolusiones.

#### CAPVT I.

### Quis fuerit Q. Curtius, quo tempore vixerit & scripserit?



VA fati sorte fiat nescio, vti sæpè nobis maximorum authorum vita, mores, ætas subducantur; vilium contra longis admodum voluminibus tradantur. Certatur hodie inter rerum scriptores quis fuerit hic Curtius, qui res Alexandri Magni composuit, quo tempore vixerit & scripserit, auctor sanè in paucis elegans, argutus, sententiosus & verissimus historicus.

Curtios ego varios apud veteres auctores, Cæsarum primorum æuo potissimum laudatos, nam de his agitur, & quæritur, lego. Princeps est apud Ciceronem ad Q. Fratrem lib. 3. epist. 2. *De ambitu*, inquit, *postulati sunt omnes qui Consulatum petunt; à Memmio Domitius, à Q. Curtio bono & erudito adolescente Memmius.*

Alius apud Iuvenalem Orator, seu caussidicus celebratur. Saty. XI.

— re consule, dic tibi quis sis

Orator vehemens, an Curtius, an Matro —

Alius Curtius est apud Tranquillum in album clarorum rhetorum relatus. Nam Achilles Staius testatur catalogum Suetonij MS. reperiri, in quo Portio Latroni Q. Curtius Rufus subiungatur.

Rursus videtur alius apud a Plinium, & b Tacitum, quem gladiatore genitum affirmant: *De origine Curtij Rufi*, inquit Tacitus, *quem gladiatore genitum quidam prodidère, neque falsa promiserim, & vera exequi pudeat; postquam adoleuit sectator quaestoris, cui Africa obtigerat, dum in opido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species muliebris ultra modum humanum & audita est vox, Tu es Rufe, qui in hanc prouinciam pro consule venies. Tali omine in spem sublatum, digressus q, in urbem & largitione amicorum simul acri ingenio quaesturam, & mox nobiles inter candidatos praturam, Principis suffragio, assequitur, cum hisce verbis Tiberius dedecus nat alium eius velaussit; Curtius Rufus videtur ex se natus. An allusit*

a

Iphi-

Iphicratis dictum, qui ab Harmodio Harmodij tyrannoconi abnepote ob generis ignobilitatem notatus, respondit: τὸ μὲν ἐμὸν γένος ἀπ' ἐμῶ ἀρχεται, τὸ δὲ σὸν ἐσσι νεύεται, *Meum genus à me incipit, tuum in te desinit.* Pergit Tacitus, Longâ post hac senectâ, & aduersus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphi insignia, ac postremo Africam obtinuit, atque ibi defunctus, fatale prasagium impleuit.

Plinius verò propè eadē cum Tacito, *Et mihi discendi, & tibi docendi facultatem otium præbet.* Igitur perquam velim scire, esse phantasmata, habere propriam figuram, numeng, aliquod putes, an inania & vana ex metu nostro imaginem accipere? Ego ut esse credam, imprimis eo ducor, quod audio accidisse Curtio Ruffo. Tenuis adhuc & obscurus obtinente Africâ comes hæserat, inclinato die spatrabatur in porticu. offertur ei muliebris figura, humanâ grandior pulchriorq; perterrita Africam se futurorum prænunciam dixit, iterum enim Romam, honoresq; gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem prouinciâ reuersurum, ibiq; moriturum. Facta sunt omnia. Præterea accedenti Carthaginem egredientiq; nauem eadem figura in littore occurrisse narratur. Ipse certe implicitus morbo, futura præteritis, aduersa secundis auguratus, spem salutis, nullo suorum desperante, proiecit.

Videndum nunc, quis ex his omnibus auctor sit historiæ de rebus Alexandri Magni. Nam omnino nemo vnus mentionem hac de re ququam habuit eorum, qui de quatuor illis Curtijs aliquid prodidère; nemo vnquam à Curtio compositus Alexandri res vnquam testatus est. Ac primum quidem, Curtium Iuuenalis hinc profusus amandamus; is enim non est Q. Curtius Rufus, vti passim in antiquis chartis editis, ineditis, appellatur, sed Curtius Montanus, de quo idem Sat. 4.

*Montani quoque venter adest, abdomine tardus.*

Plura de hoc Tacitus lib. IV. histor. itaque hunc taciti præterimus. Curtium Tullianum, quem primo loco posuimus, existimat historiæ de Alexandro M. scriptorem, illustri & eruditus vir Io. Georgius Heruardus, cuius opus chronologicum legitur; sed refutatur à Lipsio, cum omnibus alijs, qui illos Virgilij versus è 1. Georgic. transcriptos de illa Curtij nocte in X. notata interpretantur:

*Ille etiam extincto miseratus Casare Romam,  
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,  
Impiaq; aeternam timuerunt secula noctem.*

Nec illam tantum noctem accipit Heruardus, quæ mortem Iulij secuta est, sed omnino totum illud tempus, quo inter Augustum, & Iulium interregnum fuit. Aeternam hanc noctem, defectionem quoque solito longiorem interpretatur, cum toto ferè anno maligna solis lux fulsit, nec splendorem suum vnquã ferè serena fronte explicauit. Plutarchus in Iulij vita: ὅλον γὰρ ἐκείνον ἐνιαυτὸν ὄχρος μὲν ὁ κύκλος, & μαρμαρυγῶς ὄσκι ἔχων ἀνέτελλεν. ἀδρανὲς δὲ καὶ λεπτὸν ἀπ' αὐτῆς κατέκειτο θερμὸν. *Toto namque anni illius spacio pallens globus, & sine splendore oriens, imbecillum ac tenuem ex se calorem emittebat.*

De eodem Plinius lib. 2. c. 20. *Fiunt prodigiosi & longiores solis defectus, qualis occiso dictatore Casare, & Antoniano bellototius pæne anni continuo pallore.* Hunc tamē non fuisse auctorem de Alexandri M. rebus ostendit Iustus Lipsius, vti dixi, qui negat Virgilij versus huc pertinere. *Est, inquit, qui hunc censeat esse illum, qui memoriam scripsit rerum Alexandri purè me hercules & Latine. Modius certè noster, cuius censura Curtius non leuiter debet, testatum reliquit, cognomen ei Rufi tribu à libris: pugnare tamen atas videatur, siquidem ad Augustum illa referenda sunt è libro eius X.*

Curt. l. 10. Præinde iure meritoque populus Rom. salutem se principi suo debere profite-  
 » tur, cui noctis, quam poenè supremam habuimus, nouum sidus illuxit. Huius  
 » hercule, non solis ortus lucem caliganti reddidit mundo, cum sine suo capite  
 » discordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces? quot condidit gla-  
 » dios? quantâ tempestatem subitâ serenitate discussit? non ergo reuirescit solùm,  
 » sed etiam floret imperium. absit modò inuidia, excipiet huius seculi tempora  
 » eiusdē domus vtinam perpetua, certè diuturna posteritas. *Sed non sunt; nec quid-*  
 » *quam*



quam hinc de sidere Iulio, ut nugantur. Refutant sequentia: quoniã Augustus cum ad imperium venit, non extinxit bellorum faces, non gladios condidit, sed accendit, eduxit. Refutat & ille locus è lib. 3. de urbe Tiro. Multis ergo casibus defuncta, & post excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta refouente sub tutela Romanæ mansuetudinis acquiescit. Nam ait & agnoscit longam pacem in re Romana. Anea sub iniuria Augusti: imo viginti annorum bella. Itaque priora illa refero ad Caij Caligulae cædem, & confusionem quæ secuta, senatu imperium abrogante, milite & plebe stabiliente. Hæc sunt illa sine capite discordia membra; & Claudius ipse nouum sidus. Tamen incerta hæc mihi fateor: & facile manum dederò, si quis adferet verisimiliora.

Iam tertio loco è Suetonio, & quarto è Tacito, & Plinio petitum, omnes prope hodierni scriptores, præter Heruuartum eundem existimant, rhetorem inquam & caudicum, declamatorem & oratorem, simulque scriptorem rerum Alexandri & questorem, prætorem, consulem, & demum proconsulem Africa. Ioannes Maria Catanæus Plinij minoris interpret, P. Pithæus, Brissonius, Lipsius, Puteanus, alij, quamuis nullum ex omni antiquitate auctorem proferre aut testem excitare possint, coniectura tantum è loco lib. IV. & X. ducta nixi. Rogas meam sententiam? ἐπέχω (quamuis in plurimam opinionem omnino inclinem) fieri enim potest, nullum ex his omnibus quatuor, esse historiam de Alexandro M. auctorem, sed alium aliquem nobis ignotum, quod veteres omnes de illo tacuerint, nullumque veterum, auctoritatem illius vnquam de Alexandro prætulerit aut laudarit; sed nunc iam de tempore, quo vixisse & scripsisse credi possit, videamus.

Io. Georgius Heruuartus, quem paulò antè laudauimus, existimat, eum Cicerone adhuc superstitè, ante bellum ciuile Cæsaris & Pompeij iam causas egisse, & verba Curtij è X. refert ad mortem Iulij Cæsaris. ex quo sequitur, illius opinionè, Curtium Augusto imperante historiam suam composuisse, nec enim vltra Augustum vixisse potuit, nisi æuum illius vltra centesimum propagare velis. Minimum enim octauum decimum, aut etiam vigesimum egit, cum in forum est progressus; dudum ante Octouianum quoque natum oportuit. Sed cum locus Curtij è X. de Iulio Cæsare accipi non possit, vti rectè affirmat Lipsius, eosque nugari doceat, qui id tradidère, missum hunc adolescentem Ciceronis faciamus.

Catanæus ergo, & Pithæus sub Augusto, & Tiberio vixisse, & scripsisse Curtium arbitrantur, sed non ostendunt, nisi quod Catanæus narret se legisse in fide digno exemplari historiam de gestis Alexandri compositam à Q. Curtio Rufo, qui inibi fatetur se fuisse sub Augusto & Tiberio. Iam Brissonius, Lipsius, Puteanus, alij, Claudio imperante putant historiam à Curtio conscripam; & noctem illam quam extremam imperio imminere existimabatur, referendam ad noctem quæ Caligulae cædem est insecuta. & ira in priore etiã Curtij editione sentiebamus.

Nuper Ianus Rutgerius vir egregie doctus, nouam pronunciauit sententiã, videri Curtium in Vespasiano Imp. floruisse & scripsisse. Apponam ipsius caput è varijs lectionibus l. i. c. 19. cuius hæc est epigrapha:

*Quæsitum de æuo, quo floruit Q. Curtius. Ostensum id fuisse Vespasiano Principe. Et rei argumenta. Aliorum sententiæ confutata.*

Scripseram alicubi quendam Curtij locum videri è Luciano expressum esse, cuius eum studiosum fuisse multis argumentis doceri posset. Venit ad me non multo post homo eruditissimus, qui hoc ut immanem & visositas enotarat. Quomodo enim, inquit, Curtius Lucanum imitari potuit, cum is Lucano etiamnum puero iam obierit? Curtium certe sub Augusto floruisse, saltè ipse te docere debuerat. ita enim lib. hist. 10. Sed iam fati admo- uebantur Macedonum genti bella ciuilia: nam & insociabile est regnum, & à pluribus expetebatur. Primum ergo collegere vires, deinde disperferunt. & cum pluribus corpus, quã capiebat, onerassent, cætera membra deficere cœperunt: quodque imperium sub vno stare potuisset, dum à pluribus sustinetur, ruit. Proinde iure meritoque; populus Romanus salutem se principi suo debere profitetur, cui noctis, quam penè supremam habuimus, nouum sidus illuxit. Huius, hercle, non solis ortus lucem caliganti reddidit mundo, cum sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum extinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempestatem subita serenitate discussit? non ergo reuiescit solum, sed etiam

iam floret imperium. Absit modò inuidia, excipiet huius seculi tempora eiusdè domus (utinam perpetua! certè diuturna posteritas) In quibus nouum illud sidus quod aliud sit, quàm Iulium, de quo Horatius, hoc est Augustus: tum ego, quod Curtium sub Augusto floruisse dicis, quàm id verum sit, mox viderimus, certè nò credidit, cuius tu auctoritati multum tribuis, Iustus Lipsius enim ad XI. annal. Taciti id cõstat. Et post pauca:

Mihi longè secus videtur: nequè enim post Cai cadem imperiũ aut à pluribus expetitũ, aut ciuilibus bellis, vt Macedonicũ illud, cuius occasione hæc de Rom. Repub. inserit, lacera- rum fuit: quod tamè necesse sit, si hic locus eò trahendus foret. Sed ipse Lipsius hæc incerta sibi esse nò negat, & vtro se daturũ manus profitetur, si quis verosimiliora afferre possit, quod an nobis successurũ sit, quid experiri verat? Ego Vespasiano principe Curtiũ floruisse dico, & hæc ipsa verba in eius gratia spè decorè inserta esse. Sed id ostendendũ est. Primum igitur, quod ait, sine suo capite discordia membra trepidasse, de Galba, Othone, & Vitellio dici manifestum est: sub illis enim, dum eorũ quisq. de principatu contendit, resp. sine tertio capite fuit. Vnde Suetonius in Vespasiano eos motus nò bella, velut sub legitimo principe, sed rebellionem vocat. Iam nox illa, quam Romani penè supremam habuerint, quaque nouum sidus hoc illuxerit, obsecro te, quæ alia est, quam ea, quæ Vespasianus Vitellium profligauit: id enim prælium noctu commissum esse vel è tertio historiarum Taciti cõstat. Illæ autem faces quas eum extinxisse dicit, nihil aliud sunt, quam bella ciuilia, quæ omnia, vt Plinij verbis vtar, salutaris exortus Vespasiani principis aboleuit. Iam quod & hic non solum reuivescere imperium, sed etiam florere dicit, & libro quarto, in excidio Tyri longampacem sub Romana mansuetudine agnoscit, de quo melius, quàm de Vespasiano dici possit? per quam Rom. resp. tot Nerones passa, vt cum Vopisco dicam, caput exculit. As enim est, qui post tot, ac tam immanes bellorum furias pacem & tranquillitatem orbi terrarũ reddidit: cuius beneficij monumentum & augustum illud pacis templum esse voluit, quod eum cõdidisse scribit Suetonius, & omnis generis numos, quorum aliquot etiam penes me sunt, quibus hodieq. PACI. ORBI. TER. inscriptum legitur. Postremò quod de perpetua, certè diuturna posteritate ominatur, ad quos nisi ad Vespasianos fratres referendum est? quibus superstitibus non poterat non diuturnũ esse eiusdem domus Imperium. De mansuetudine eius pleni sunt historicorũ libri. Hæc ego cum dixissem non grauatè assensus est.

f. opinio  
Cap. 12.  
Cap. 15.

Ego tamen alia omnia sentio, cenfeoque Augusto imperante natum, Tiberio regnante florere cæpisse & scribere, illaque Curtij è IV. de Tyro, & X. de nocte, & nouo sidere accipienda de morte Augusti, & noua Tiberij successione, & deinceps imperio per annos tres & viginti administrato. Nec interim inficias eo, potuisse æuum ad Claudium vsque propagasse. Primam sententiæ nostræ rationem ex elegantissimo, & qui aureum latinitatis sæculum omnino sapiat, stilo Curtij duco, vt non dubitem illum summis rerum Romanarum scriptoribus Sallustio, Lulio, Casari, Ciceroni adiuuere: Tacito certè & Suetonio, Floro, & hoc genus iam sequioris seculi auctoribus sine vlla dubitatione proponendũ, omnes, qui paullò emunctioris nasi & deliciarioris palati terfarumque aurium erunt, & gustum nobilissimæ ætatis verum habent, iuxta mecum censebunt. Vnicũ nostri seculi restem hoc loco, infra mox altero capite, plures adducturi producamus, Puteanum, inquam, regium Louanij doctorem, & Lipsij successorẽ & nostrum amicum, qui ita de Curtio verissimè iudicauit: Etenim vt alia de sint, sola elocutio lectorem non omnino rudem trahat, eruditum magis etiam inflammet. Quemadmodũ cibi aliqui sunt, omnibus omnino mortalibus, illice sapore grati, aliqui his nauseam, illis suauitatem adferunt: ita in scriptoribus ratio stili distinguitur, quæ omnibus placeret, Latina quidem, in vno potissimum Curtio inuenta est. Lulij olim laudem patuitas quadam imminuit: alius velut supinum alibi, aut frigidum, imo & ταυτολογος accusat. In Sallustio Iulius Scaliger reperit, quod & reprehenderet, & damnaret: prolixũ fuisse, vel etiam nimium superuacuumq. Casar ipse cui satis nò fuit res fortiter gerere, nisi narraret, tam stilo promptus quàm telo, auctor & simul scriptor, reprehensionem tamen non effugit. aiunt in dictione esse quæ culpam possint: prudentiam è verbis nò hauriri. Commentarios tantum esse, & nihil polliceri præter nudam simplicemq. narrationem. Tacitum Tulliana aures nequaquam ferunt, scriptorem scilicet durum, asperum, concisum: in latinitate maculas esse nauosq.; alibi sensum breuitate impediri & frangi: plura inuolui, quàm exprimi: & quod in emaciato corpore videmus, ossa tantum eminere, venustatem

In præfat.  
ad Q.  
Curtij hi-  
storiam.

*nus statem nullam esse. Iustus, Florus, Nepos, alijq; frustra nominantur; in omnibus curioſa iam censura reperit quod carperet. Vnus Curtius, noſter ille Curtius, tam feliciter, prudenter, venuſte hiftoria veſtem contexit, ſtilum ubique rebus aptans, vt notam omnem euſarit, elegans eſt, grauis eſt, virilis eſt, & natura ſua nunc exurgens & docens, nunc ſubmittens dictionem & oblectans, vt in ſumma grauitate veneres non exiit, ita in remiſſione ad uilitatē nō deſcēdit: quandoq; obiurganti ſimilis, cūm uitia perſequitur, quandoq; mulcenti, cūm uirtutibus applaudit. uerba nitorē habent, cōpoſitio ſua uita eſt, res pretiū, tanquā nihil ſuperſit, breuitatem laudes: tanquā nihil deſideres, copiā, ipſa breuitate plenus eſt, copia nō moleſtus. Variū dixeris, nec tamen diuerſum. Vultū eundē, non colorem ſeruat, & tamen formoſus, pari ingenio nunc uela ſermonis pandit, nunc contrahit: ſed eadem felicitate inuehitur & incedit alibi celerior, alibi accuratior, ubique placens. Cūm nihil coactum ſit, uibrari tamen ſententias dixeris, non educi, acumina uelut tela ſunt, lectoremq; ſuaui uulnere feriunt, ſtammule ſunt & accendunt. Nemo ſine uoluptate legat Curtium, maiorem etiam fructum capiat ſic perſuſus. Quantum oblectaris, proficis; & cūm omnia laudes, mirearis tam ingenioſe exprimi; cūm omnia ſtupeas, tam facile intelligi. Nam ceteros hiftoriæ ſcriptores, vt puritate & lepore prouocat, ita acumine & perſpicuitate uincit. Nemo ſubtilior fuit, & tamen gravior, nemo aque lectorem inſtruit, & minus laſſat, putes hunc unum ad hiftoriam à natura factum, & uelut fato deſtinatum, qui Latine nobis Alexandrum exhiberet, ergo & uitia eius & uirtutes aperit: uitia, vt lectorem abſterreat: uirtutes, vt inſtammet. Aperit uitia, & nihil odio, aut calumnia tribuit: uirtutes, & ab adulatione alienus eſt, hoc toto uolumine agit. & vt tandem in compendium diſuſam uitæ ſeriem colligeret, uelut in tabella geminum Alexandrum proponit, qua laudari & ſimul reprehendi poteſt. Ipſum igitur Curtium audite, id eſt uidete, & ſic quem deſcripſit, an depinxit: lib. x. Iuſtè æſtimantibus regem liquet, bona naturæ eius fuiſſe; uitia, uel fortunæ, uel, ætatis, uis incredibilis animi, laboris patientia propemodum nimia, fortitudo, non inter reges modo excellens, ſed inter illos quoque, quorum hæc ſola uirtus, fuit. Liberalitas ſæpè maiora tribuentis, quàm à Dijs petuntur, clementia in deuitos: tot regna aut reddita, quibus ea dempſerat bello, aut dono data, mortis cuius, metus ceteros exanimat, perpetua contemptio. gloriæ laudiſque vt iuſto maior, cupido, ita vt iuueni & in tantis admittenda rebus. Iam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati conſecrare decreuerat, Philippum uirtus erat. iam, in omnes ferè amicos benignitas, erga milites beneuolentia. Conſilium par magnitudini animi, & quantum uix ætas eius poterat capere ſolertia. modus immo-, dicarum uoluptatum, ueneris intra naturale deſiderium uſus, nec uilla niſi ex per-, miſſo uoluptas. Ingentes profecō dotes erant. Illa fortunæ: Dijs æquare ſe, & cæ-, leſtes honores accerſere, & talia ſuadentibus oraculis credere, & dedignantibus, uenerari ipſum, uehementius quàm par eſſet, irarſci. In externū habitum mutare, corporis cultum, imitari deuitarū gentium mores, quas ante uictoriā ſpreuerat. Nam iracūdiam & cupidinem uini ſicuti iuuenta irritauerat, ita ſeneſcus mitigare potuiſſet. Fatendum eſt tamen, cūm plurimum uirtute debuert, plus debu-, iſſe fortunæ, quam ſolus omnium mortalium in poteſtate habuit. Hac ita breuiter: ſed in hiftoria uniuersa diſquirat ſingula: cauſas rerum, conſilia, euentus expendit, iudex omnium. Quod fieri poſſe neget, facit, & ipſam quoque fortunam ad examen deducit. Ergo quacūque legis, digna ſtilo ſunt, & uaria prudentiæ ſpecimen referunt: digna lectione, & ad formandum iudicium cuiuſq; ualent. Tota narratio exacta eſt, lenitate quadam profluens, non exundans, tanquā ripis clauſa, garrulitatis autem imbre non corrupta, trahit oculos & gemmeo eloquij latice recreat. Locorum etiam urbiumq; tam accurata ubique deſcriptio, ut picturam ceuſeas. Nulli colores ſermonem aquent: nec legere, ſed intueri coram uidearis, quicquid hic expreſſum eſt. Sed quid ego: totum laudare Curtium non poſſum, niſi totum explicem. ubiq; ſummus eſt; & quem in partibus admiramur, toto hiftoriæ corpore diuinum pronuncies. Legere nunquam non uolet, quiſquis libauerit, & doctrina, facundia, prudentiæ ſuauiſſimos carperet flores, quoties in manus admittet. continuata fertilitas eſt, quantum demis naſcitur, & cūm omnia collegiſſe te putes, plura reliquis.*

His adde, quæ ſecundo capite de elogijs, è quibus doctiſſimorum uirorum iudicia de Curtij ſtilo ab hoc noſtro non multum diuerſa cognoſces. Veſpaſiani autem æuo ita ab illis Tulliano & Iuliano calamo deſitum eſt, vt Plinius Secundus

se reprehensum etiam ab æui sui scripturientibus aiat, quod Ciceronem volueret & imitaretur, ad eò vitioso iam illo æuo vitium erat, vitio carere, hoc est Ciceronem sequi & stilo exprimere. Alteram causam subijcio ex Curtij verbis è 4. & 10. petitis ad Augusti mortem & Tiberij inaugurationem esse accommodanda, quod vt facilius tibi ipsi persuadeas, adduco simillimum è Velleio locum, qui mirificè nostrum illustrat & affirmat. *Venitur, inquit, ad tempus, in quo plurimum fuit motus* (de morbo & morte Augusti agit) *quid tunc homines timuerint, quæ senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus, in quàm arcto salutis exitu quæ fuerimus confinitio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat, neque cui vacat, potest. Id solum voce publica dixisse habeo: Cuius orbis ruinam timueramus, eam nec commotam quidem sensimus, tantaque vnus viri maiestas fuit, vt nec bonis, neque contra malos opus armis foret. Vna tamè veluti luctatio ciuitatis fuit, pugnantis cum Casare senatus populiq. Romani, vt stationi paterna succederet illius, vt potius aequalem ciuem, quàm eminentem liceret agere principem. Tandem magis ratione, quàm honore victus est, cum quicquid tuendum non suscepisset, periturum videret: soliq. huic contigit, penè diutius recusare principatum, quàm vt occuparent eum, alij armis pugnauerant: Et infra: Tulit protinus & voti, & consilij sui precium respubl. neque diu latuit, aut quid, non impetrando, passuri fuisset; aut quid, impetrando, profecissemus, quippe exercitus, qui in Germania militabat, presentisq. Germanici imperio regebatur, simulq. legiones, quæ in Illyrico erant, rabie quadam & profunda confundendi omnia, cupiditate nouum ducem, nouum statum, nouam quærebant rempub. quin etiam ausi sunt minari, duros senatui, duros principi leges, modum stipendij, finem militia sibi ipsi constituere conati sunt. processum etiam in arma ferrumq. strictum est, & penè in vltimum gladiatorum erupit impunitas, defuitq. qui contra rempub. duceret, non qui sequerentur. Sed hæc omnia veteris imperatoris maturitas, multa inibentis, aliqua cum gravitate pollicentis, inter seueram præcipuè nostrorum vltionem, mitis aliorum castigatio; breui sopyt, ac sustulit. Subijcit dein iterum: Remocata in forum fides, submota è foro seditio, ambitio campo, discordia curiæ, sepulta èq. ac situ oblitæ iustitia, aquitas, industria, ciuitati redditæ; accessit magistratibus auctoritas, senatui maiestas, iudicij grauitas; compressa theatralis seditio; recte faciendi omnibus, aut incussa voluntas, aut imposita necessitas. honorantur recta, parua puniuntur, suspicit potentem humilis, non timet: antecedit, non contemnit humilior, rem potens, quando annonæ moderatior; quando pax latior? diffusa in Orientis, Occidentisq. tractus, & quidquid Meridiano, aut Septentrione finitur, pax augusta per omnes terrarum orbis angulos à latrociniarum metu seruat immunes. Et in fine libri II. Iupiter Capitoline, & auctor, & Stator Romani nominis, Gradine Mars, perpetuorum custos Vesta ignium, & quidquid numinum hæc Romani imperij molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atque precor, custodite, seruate, protegite hunc statum, hæc pacem, eiq. functo longissima statione mortali, destinate successores quàm serissimos, sedeos, quorum ceruices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quàm huius suffecisse sensimus.*

Professa, inquis, Paterculi est adulatio: non eo negatum, sed eodem sensu Curtius & Valerius Maximus de Tiberio nõ sine palpo prolocuti. Et in primis (inquit in Seiani cæde aliquanto post) auctor ac tutela nostræ incolumitatis, ne excellentissima merita sua totius orbis ruina collaberentur, diuino consilio prouidit. Itaque stat pax, valent leges, sincerus privati ac publici officij tenor seruatur. Qui autem hæc violatis amicitiæ foederibus tentauit subuertere, omni cum stirpe sua, populi Romani pedibus obrutus, etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur, supplicia pendit. Hæc tamen omnia ita à me de Curtio disputata sunt, vt nolim lectori pro oraculis, aut certa & prodeget obtrusa, coniectura nostra & aliorum sententia non iustis fortasse columnis nititur, aut infirmo etiam tibicine fulcitur, certis enim & indubitatis antiquitatis testibus destituta est. Quamuis Erycius Puteanus non dubitet hunc ipsum Q. Curtium Rufum, de quo Tacitus & Plinius scripsere, esse auctorem historiæ de Alexandro M. nam de his agi non est, inquit, quod amplius dubitemus. Si Tacitus, aut Plinius aliquã historiæ huius mentionem fecisset, certi effemus. Nunc hæremus, & optamus magis esse, quàm scimus, illud etiam non tacendum, quod Philippus Cluuerius lib. 3. de Germania, ex Taciti Germania obseruauit, Curtium priusquam in Africam iret, in Germania cum consulari potestate versatum, & in Mattiaco a-

pag. 341.

pag. 345.

Ibidem.

\* an legendum latior: quia legitur diffusa. p. 354.

gro quærendis argenti venis specus reclusisse: *Nec multo post Curtius Rufus eundem* lib. 3. c. 7.  
p. 23.  
*honorem adipiscitur: qui in agro Mattiaco reclusit at specus quærendis venis argenti: unde tenuis fructus, nec in longum fuit. at legionibus cum damno labor, effodere riuos, quæque in aperto graua, humum infra moliri, queis subactus miles, & quia plures per provincias similia tolerabuntur, componit occultas literas nomine exercituum precantium Imperatorem, ut quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret.*

*Ex his igitur satis clarè perspicitur Curtium Rufum iam antea consulare imperium & triumphali insignia consecutum, quàm Africam obtinuerit, sectator quippe primùm Quæstoris, dein Quæstor ipse, mox Prætor cum fuisset, provinciam pro Consule obtinuit, in qua argenti venas reclusit, triumphig, reportauit inde insignia. hinc verò Africam postremò pro Consule adeptus, in qua provincia defunctus, ut disertissimis verbis distinguit Tacitus. Quapropter minus rectè ista doctissimus Lipsius de Maciaco siue Maziaco, ut ipse vocat, Africa agro intellexit, de Germania aliquo agro auctorem hic loqui patet ex eo, quod Curtii insignia triumphali, Corbulonis insignibus continuo subijcit, nec tamen singillatim monet, qua in provincia ager iste fuerit, scilicet quia eandem Germaniarum provinciam intelligebat, quam paullo antè Corbulo obtinuerat; cuius pars Mattiaci socij, ut dictum, populi Romani literas Curtium occultas cõposuisse, narrat auctor, nomine exercituum. quinam igitur illi exercitus, vno plures in vna provincia Africa? quam duabus tantum legionibus custoditam, ipse ex 17. annal. ostendit Lipsius in notis ad 11. historiar. At Rhenum Germania s. 11. legionib. in duos æquales exercitus dispersit, quibus vnus præfuit consularis præfectus, fuisse possessas, iam dudum satis superq, ostensum est. horum igitur nomine literas ad Claudium Casarem composuerat Rufus. proinde de nullo alio, quàm Mattiacorum agro venæ ille argenti, quas Rufus reclusit, sunt intelligendæ. Taciti autem memoria à vitij macula hac in re vindicari hoc modo potest. Librum de Germania secundo Traiani consulatu, id est primo principatus eius anno, composuit, ut ipse disertè testatur eodem libro de Cimbris loquens, libros autem historiarum prouectio iam Traiani imperio eum scripsisse liquet ex primi libri exordio, vbi sic ait: Quod si vita suppeditet, principatum D. Neruæ & imperium Traiani vberiore securioremq, materiem senectuti seposui, rara temporum felicitate, vbi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet. Post historiarum tandem libros, composuisse eum annales claret ex 11. annal. utriusq, principis rationes prætermitto, satis narratas libris, quibus res gestas Domitiani composui. Venas igitur argenti, quas in libro de Germania, primo principatus Traiani anno, negat, quemquam in Germania quæsiuisse, postea meliori cura longiorique inquisitione inuenit, quondam à Curtio Rufo Germaniarum præfecto quæsitas, repertasque esse, eamque rem analibus suis inferi dignam iudicauit.*

## CAPVT II.

## Iudicia variorum &amp; elogia de Q. Curtio.

**M**irantur quid sit, quod Curtius non venerit in Quintilianæ censuram, quando volumine X. suarum instituit. omnes scriptores ad suum tribunal accersit, ac de singulis quid sentiendum pronunciat. Sed vel, ve nouum tum scriptorem & minus cognitum, neglexit, vel quia ille nō dum in manus hominum venerat, vel argumentum è Græco duntaxat Latine transcripserat. alioquin dubitari non potest, quin à Liniō & Casare & Sallustio proximas obtineat, etsi hodiè sint, qui Sallustium Curtio post habeant. Habet tamen & Q. Curtius voces alijs non vsurpatas, Ciceroni etiam reprehensas, ut *pysimus*, quam in Antonij oratione carpsit. *sagittare*, quis præter Curtium & Iustinum 1. 4. 1. vsurpet nescio, nisi recentiores velis in testes adducere.

## Volaterrani anthrop. 64.

*Curtius historicus scripsit de gestis Alexandri M. cuius liber haud integer ad nos peruenit.*

## Angeli Decembrij de politia literaria lib. 1. p. 36.

1. 2 p. 119. 1. 6. p. 487.

*De Q. Curtio eadem prope querela est, cuius laceratum opus legitur: quanquam Græcorum*

rum & Arriani constat historia, ex quorum fontibus hic scriptor vel interpres mira dulcedinis regieq; profecto magnificentia par, ab Alexandro non degenerans opus suum excudit, cuius summa sunt dignitatis & historica suauitates orationes. Quod Decembrius affirmat Curtium hausisse ex Arriani quoque fontibus, mendosum est. Arrianus multis annis post Curtium scripsit.

## Eiusdem.

Cuius orationis speciem Curtius inter historicos sanè elegantissimus de Dario explicare non dubitat, ut, Ille remotis arbitris diu aliud atque aliud consilium animo volutabat.

## Ex eodem.

Videtur primum mirabile quiddam, quod soli omnium Curtio contigit, tanquam capite truncato principio caruisse: ad hoc multis in locis operis sui velut interruptum fluium exiccatum deficientemq; destitisse, cum tanta sit amenitatis cum perfectius legitur, ut metricam putes historiam, quippe si Sallustij volumina, Livi, vel Plinij maioris, siue Ciceronis, cuncta non habeantur, ex eis tamen, qua comperiuntur, legi integre ferè possunt. Quorundam verò authorum scripta sic omnino sunt perdita, ac si eorum exemplaria nunquam in rerum natura constitissent. At quod maius infortunium apud maiores nostros, pulcherrimorum operum studiosos fuit, & accipere nos decuit, ut tam excellentis historia, suauissimamq; orationis, qua velut Amphionis Musa omnes mulcent auditores, unum omnino extaret exemplar, quod vix à nostris còpertum per incuriam laceratum, seu vetustate & carie labefactatum excideret. Caterum hanc ex Græcis historiam, præcipueq; animo considerantibus \* primus (nota lector) tantum liber deficere videtur: nam à secundo de Marsyæ fontis ortu, eoq; montis acumine pariter incipitur. Quo constat Q. Curtium interpretem fuisse, ipso etiam attestante, se plura transcribere, quam credere. Est autem is historicus fluidus, ac scærentium fluminum elegantissimus imitator.

\* Imò nec primus totus quorundam iudicio & indicio. Non sequitur, vnum aliquè Græcum scriptorem à Curtio translari, sed ex omnibus vnâ compositam esse historiam.

## Guil. Budæi de asse lib. 3.

In ea igitur orbe, quantas spes Alexander ceperit, verbis ipsius Curtij auctoris tersi & elegantis referemus.

## Iusti Lipsij in notis ad lib. 1. Polit.

Sequuntur Scriptores duo velut proprij principum, & assidue ijs in manu sinuq; habendi, Q. Curtius, qui me iudice probus est legitimusq; historicus, si quisquam fuit, mira in sermone eius facilitas, in narrationibus lepor; astrictus idem & profluens; subtilis & clarus; sine cura vlla accuratus: verus in iudicijs, argutus in sententijs, in orationibus mirifice facundus. Quod si varium magis argumentum habuisset; sine dubio varia prudentia eximum magis specimè præbisset. Sed Alexander quid nisi bella? Hoc de bellis tantum iudicium Lipsij verè Erycius Puteanus refutauit.

## Barnabæ Brissonij de reg. Persarum lib. 1.

Ac ne quis me à parum idoneo auctore interpretationem sumptam suspicetur, Curtius hic, ex cuius scriptis toties à me auctoritas in his libris ad faciendam fidem petitur, ijs temporibus vixit, quibus bonas artes & studia literarum floruisse nemo inficiari possit.

## Petri Bizari lib. 2. rer. Pers.

A Q. Curtio inter Latinos arguto, eleganti & neruoso scriptore harum cognitio petenda est.

## Ioan. Bernartij.

Cæsari comitem de Q. Curtium, quem adeo inter selectos recensere non dubito, ut inter optimos locum illi fidenter tribuam.

## Adriani Turnebi l. 13. c. 15.

Nec me ista falsò criminari quis putet, ostendam ego, ut spero elegantissimum & nitidissimum scriptorem Curtium grauitè deliquisse nominis cõmuniõne & societate deceptum.

## Valentis Acidaliij Animad. ad lib. 4. Curtij.

De Curtio miror sapè nonnunquam & indignor, doleo quidem semper, non tam quod ad manus

manus nostras peruenit corruptus sic & vitiosus; hæc enim sanè cū omnibus: nec quod tam multis locis mutilus, ac lacer; hæc cum plerisque; nec quod integris libris & ipsis adeò primis seu capite truncatus; hæc quoq; cum multis cōmunis ipsi fortuna: quā quod nec ortum eius satis certò, nec atate quā vixerit, ac scripserit, scimus vllò modo, quæ illi tamē ipsa fors nō etiam omnino sic peculiaris, vt parem sociumq; habeat neminē: illa autē vix omnino quemquam calamitas extra Curtium afflixit, vt reliquorū scriptorum nemo mentionem eius vsquam, vel vno verbo, certā dico mentionem, & indubitatā faciat, ad vnū omnibus tacentibus, quasi de compacto, vt conspirasse videantur ad suppressendū hominis nomen, ad famam prorsus opprimendā. In hoc quis non indoleat? quis nō miretur, & indignetur? Dignus ille me hercule scriptor, qui ab omnibus predicaretur, quē penitus & totum nosceremus. Ac laborarūt in eo viri docti sanè multū, vt quando indicijs & argumentis certis inueniri nihil potest, coniecturis aliquid sagaciter indagaretur: quorū nos industriam diligentē amamus & laudamus, sed hęc ipsam vanā cum omnibus deploramus. Nec diuersas hic diuersorū opiniones afferō, quia nullā ipse stabilire possum, quod contra possim, si libeat, omnes refutare. Hęc Acidalius, qui Rutgeriū nōdum legerat, nec iste scripserat.

### Iacobi Gordoni Chronologi cap. XX. n. 31.

Inter insigniores, qui Latine scripserunt historiam, merito numerandus Q. Curtius. hic lectori inter Latinos ordine primus esse potest. De quo tamen vix dum sciri potest, quo floruerit tempore, scriptor subtilis & clarus, res gestas Alexandri Magni complexus est. Caret initio historia, quod suppleuit Quintianus Stoa imò Christophorus Bruno.

### Ex Ericij Puteani in Q. Curtium præfatione.

Illam tamen historiam, quia Sallustium, Tacitumq; nuper explicui, in Curtio nunc quoq; experiar, digno me hercule auribus omnium & oculis scriptore; qui an facili sententiarum acumine erudiat suauius, an mellitis eloquij illecebris delectet utilius, iure dubites. Suo & illius ingenio bonus est quem descripsit, & magnum iterū fecit, quem celebrat. Prorsus Alexandri famam Curtius sustinet: quidquid narrat, quia post alios, stabiluit, vt cæteris crederetur, Callistheni, Aristobulo, Ptolomæo, vnus ille fecit; & fidem Græci inuenerunt, quia idem stilo argumentum Latinus absoluit, vt liberius aliquid dicam, tam elegans prudensq; scriptor mendax esse non potuit, & iam credimus quidquid Arrianus tradidit; Curtium secutus est. imò credimus Alexandro nihil difficile fuisse; fieri posse Curtius censuit, & ad posteros transmisit. Tria sanè numina in pulcherrimo historia opere videtur coluisse: Suadam, Prudentiam, Veritatem; & Suada quidem lenocinio quem non mulceat abripiatq; etiam alieno affectu impedimentū? historia hæc Siren est, à qua vincit & abduci etiam Homeri sapiens voluisset. Iam prudentia dotes quid ni venerer? putes in Vlysses. Sophia domicilio præcepta omnis vitæ Socratem præfigere. Denique veritatis etiam integritas hic relucet, etenim qui tam à libidine fingendi, quam à necessitate abfuit, fallere noluit, & iam tum cui sui iudicia vereri poterat, si maiora veris tradidisset; quippe pronis Romanorum in adulationem, siue Caligula, siue Claudy, siue insequentium animis. Sed non hoc ago, auditores, vt in solo Curtio putetis esse omnia, quia dicere omnia in solo Alexandro potuit, nec mentiri laudo vnum, vt ametis omnes. & hunc potissimū nunc explicare aggredior, quo libentius omnes perlegatis. Quidquid est historiarū commendo, cum hanc vnā explico, & vt in totā curiosi antiquitatem suis, Alexandrum represento. Nam profectò parum esset Curtium scire, si quis reliquos ignoraret: quemadmodū angustis ego limitibus munus meum circumscriberem, si in aliqua duntaxat historia parte desudarem. Proinde si cui fortassis scriptor iste adhuc ignotus est, qui mille sexcentos propemodū iam annos loquitur, illum ego historia vniuersa & nomine, & officio excito, vt communi utilitate vnius præstantiam metiatur.

Ergo sub Augusto vixit; hæret auctor infra, & sub Claudio affirmat.

### Ex eadem Puteani præfatione.

Ille verò mihi historicus est; ille docendo prudens, narrando elegans, & vt omnia dicā, Alexandro dignus, auctorem scriptor aequat, alius vincere orbem terrarum nō potuit, nec alius ingenij præstantia tantæ gloria suffecit. Omnia in Alexandro magna sunt, & nomen sequuntur; omnia in Curtio mira sunt, & placēt omnia. Ille virtute & fortuna cinctus gloriam sequitur, hic Suadā & prudentia stipatus eandem ducit. Iterum vincit orbem Alexander; scribitur, sed à Curtio scribitur, qui vt optimo atq; eruditissimo euo vixit, aut certe illi proximo, sic præstare potuit, quod postea nemo affecutus est. Volunt enim nōnulla

Augu-

Augusti temporibus eum floruisse, alij Claudij, quod verisimile, imò verum puto. Præturâ quoque scribente Tacito lib. xi. annal. Principis suffragio assecutus est, cum hisce verbis Tibertius dedecus natalium eius velaisset, Curtius videtur ex se natus. & quod dedecus? Tacitus obijcit gladiatore genitum quidam prodidere. quid igitur? genitum ad magna. Sed ne longior sim, vnius nunc Lipsij è notis ad politica citabo verba, ut examinem: Q. Curtius probus est legitimusque historicus, si quisquã fuit. Mira in sermone eius facilitate, in narrationibus lepos; astrictus idem & profluens; subtilis & clarus; sine cura vlla accuratus. verus in iudicijs, argutus in sententijs, in orationibus supra quàm dixeris facundus. quod examinem, nunc additur: quod si variũ argumentum magis habuisset, fallor, aut varix prudentiæ eximium magis specimen præbisset. Sed Alexander, quid nisi bella? Plenam censuram dicas, nisi amplius ille exigat, qui laudet. Hic verò condit̃ elogium propemodum, ut destruat, quasi ingeniosum iudicium sit, si quid post iudicium reprehendas. Tuis te verbis Lipsij, in sententiam meliorem traham, ut nihil deesse regio scriptori fatearis. probus est, ais, legitimusque historicus, si quisquam fuit. quasi huic tribuas, quantum vlli datur. omnino. nam aut Curtius historiae leges impleuit, aut nemo, si impleuit. quid prudentiæ eximium magis specimen desideras? pro argumento perfectus est, & illud varium esse quidni dicam? Alexander fecit. imò esse, narratio ostendit. Bella geruntur, fateor, sed in quibus amplius quàm bella. cum vniuerso pane terrarum orbe negotium est. ducem siue milites respicias, rerum varietas est. ille quantum deiecit, rexit quoque; nec minus iure quam armis usus est. viribus parari provincias, iure retineri egregie ostendit. Quidquid respub. habet in exercitu hoc inuenies. militem veluti ciuem, nunc promptum, nunc querulum, aut seditiosum, semper fortem. Sic ut alios subiugaret, suos interdum vincere rex debuit. suos prudentia, cõlilio, astu, ac magnitudine animi, in ordinem redegit atque cõpescuit; hostes robore, industria, celeritate, audacia, & vincendi quodam fato superauit. quicquid cohortes & phalanges in barbaros potuerunt, solus in suos interdum Alexander executus est. & quos duceret, sibi vindicauit. Quid dicam? pugnavit & ius dixit, ducem & regem egit, nunc telo & ense, nunc sceptro pacisq; habitu insignis. Mitto fraudes, delationes, conspirationes, quas ut detegret, eluderet, puniret, prudentissimus esse debuit. Nam circa principem vnum tot belli duces, & præfecti occultis odijs dissidentes & inuicem suspecti, quam nõ inuidia simulationem, infidiarum scenam instruumt? ut in ipso honore & munere infelices sint, oderunt quem benignior fortuna euexit altius & propiorem regi fecit. metuunt atque, quem ne parem habeant, malis artibus coguntur reprimere. Hac aula prælia sunt, & quia in conspectu regis, silentio vigent, & ingeniosa improbitate teguntur. Interim malitia scintilla interdum profiliunt, quæ ut noceant, nec imputentur, falli rex ipse debet, & noua calliditate aduersarij deludi. Illud obtinet; doli non doli sunt, nisi astu colas. texuntur fraudes fraudibus & impostura, simulatione recta, honestum scelus facit, cum abscondi potest. Qui vultu blandi animo hostes sunt, ad iniuriam inferendam solertes & ingeniosi, ad depellendam cauti callidiq; sic priuata odia cum nimis prosperè succedunt, in ipsum sæpe principem prorumpunt. Et ille insidijs circumseptus, ubi tutum se existimat, perit facilius & fortuna trahente precipitatur. Sanè qui in multos iniquus fuit, audebit & regem petere, cum audaciã familiaritas fecit, & sæpe ut timori conscientiam, pœna scelera subducat, imperium affertabit. Exemplum in Dario habemus, quem ut Alexander debellaret, Bessus & Nabarzanes pessima mancipia aureis cõpedibus vinciunt, ac tandem ut parricidio reges essent, multis funeribus confodiunt. Quid Alexander? potuit in tanto hoste fortuna inconstantiam insidiasq; amicorum discere, sed quia Iouis haberi filius voluit, homines contempsit, & cum victo orbi fata ordinaret, veneno extinctus est. Nam in conuiuio apud Thessalium medicum Hercules scypho epoto repente velut telo confixus ingemuit. Amici causam morbi, intemperiem ebrietatis diuulgarunt, reuera autem insidia fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit. Antipater fuit, qui venenum præparauit, & ut tota progenie nefarius esset, ad tantum scelus filiorum opera usus est. Hac cum ita sint, quis varium adhuc argumentum requirit? varium quia Alexandrum descripsit Curtius habuit, & sic varia prudentiæ specimen quoque præbuit, atque elegantissimè vestiuit.

## Ex eadem.

Sed ut concedam tamen, esse in Curtio, quod reprehendi possit, minorem faciam, ut magis etiam laudem. Mutulus & ἀνεπαλῆς est, ac frustra infeliciterq; conatus Alexandrum nobis



nobis aeternum facere, qui ipse parte sui deficit. Truncū corporis nemo, aut perfectam, aut formosum dixerit: hac autem infelicitate laborat Curtius; ingeniosus, ne placeret tamen; elegans, ut vulnera praeferret. etenim quantum scripsit diurnare ad nos vsq; non potuit: & tanquam maius viribus opus aggressus tempore succubuit. Quid dicam? commune hoc scriptorum penè omnium factum est, & frustra in uno aliquo, iniquè etiam in Curtio accusamus. Quot historici (ac de Latinis iam loquor) quorum solum nomen, aut ut felices adhuc sint, fragmenta aliquot supersunt? ipse Crispus

Primus Romana Crispus in historia perijt, ubi primus fuit in Carilina & Jugurtha magnitudinis suae umbram duntaxat ostentans. Livijs; cum enim CXL. scripsisset libros, vix trientem sibi operis vindicat. Et Tacitus, tanta olim cura ac gloria bibliothecis omnibus insertus, integer tamen servari non potuit. Frustra ceteros recenseo. Curtius ut omnes vinceret perfectissimus perennavit; & ut antiquitatis fide commendaretur, omnem evitari iniuriam temporis non debuit. In octo adhuc libris superstes est, qui decem confecerat: cum totum destruere aetas non posset, parte & exigua imminuit, impetum in primos duos fecit libros, ut servaret reliquos, amplius destruere verita est, & quia ulterius nocere non potuit, praestantissimo operi pepercit. Quae sequuntur, in Puteani praefatione iam sunt recitata, secundum quae subiungit: Sed ego nunc iuventutem alloquor, quae nisi regium hanc assumat animum & historiam aestimet, ad nullam unquam praecleara vita maturitatem excrescet: nisi peculiari studio Curtium evolvat, frustra in reliquis curiosum discendi desiderium conabitur explere. cibus alibi, hic verò deliciae sunt: doctrina alibi, hic voluptas iungitur, ut discere & audire unusquisque velit, amantate provocatur.

### Ex eadem.

Ad historiam ite: Curtium admittite, ut omnia habeatis. Hic ille, auditores, ingenium cuiusq; acuet; subtilissimus scriptor est; iudicium roborabit; prudentissimus est: linguam expoliet; facundissimus est. Etenim quae verborum sententiarumq; solertia inventioni suffecit, ea maturitate momenta rerum ponderat & eloquentia proponit. Quia igitur argutum esse, prudentem esse, disertum esse, omnis doctrina summa est, quid adycere ingenio, iudicio, lingua oporteat, Curtius imprimis docet.

### Ex Bartholomaei Merulae epistola Curtio praefixa.

Tum de imperatoria virtute ultro citroque multa verba fecimus. Alexandrumq; illum Macedonem qui rerum gestarum gloria Magni cognomen sibi vendicavit, iudicio Hannibalis ductibus cunctis praefendum arbitrati sumus. siquidem in eo fuisse collegimus quatuor illa, quae in consummatissimo Imperatore non desiderari scripsere eloquentissimi viri, scientiam scilicet rei militaris, virtutem, auctoritatem, ac felicitatem, cumq; eius res gestas à Q. Curtio elegantissime conscriptas tibi breviter exposuissem, exarsisti incredibili quadam cupidine legendi luculentissimi scriptoris historia. Ceterum quonia in eo loca multa depravata offenderas, iniunxisti tum mihi, ut opus totum recognoscerem, ac diligenter emendarem. Quod eo libentius feci, quod tibi ille est non modo voluptatem, sed etiam doctrinam allaturus non mediocre. Est enim Q. Curtius in scribendo acutus, vehemens, candidus, ac perquam eloquens: in concionibus enim, quas crebro reperies, quantum ille ingenio & eloquentia valuerit, facile cognosces.

### Ex Famiano Strada lib. 2. prolus. 3.

At Q. Curtio, quanquam is virtutibus exornato, quibus constet aut heroicis eum temporibus vixisse, aut dignum fuisse qui viueret, non defuere, qui obicerent quasi inter dum medicamenta candoris, & numerorum usum paulò intemperatorem.

### Nicolai Causesini de Curtio iudicium.

#### De adminiculis eloquentiae l. 3. XIV.

Q. Curtius medium quoddam iter sequutus, magnam styli salubritatem consecutus est. Nam ita dilucide narrat, ut amnem sine salubris fluere credas, & tantis praeerea veneribus orationem perfundit, ut non mediocriter lectores, & amatores suos oblectet. Concione autem habet tam argutas, & suaves, ut Herodoto, & Xenophonti nihilo videatur inferior.

Testis

Testimonium ex antiquioribus nullum legi, nullum, quod equidem non possum, non mirari & demirari.

## CAPVT III.

Quot libris historiam absoluerit Q. Curtius. De varijs eiusdem exemplaribus editis, ineditis, cum notis, animaduersionibus, phrasiologijs, supplementis, synopsisibus, argumentis.



Relique omnes hodie scriptores decem libris historiam Curtij circumscribunt, è quibus priores duos aiunt desiderari, octo nec tamen ipsos integros extare, finem deesse quinto, & principium sexto, multas etiam in decimo passim lacunas apparere. Itaque quæ hodie in Curtio leguntur, octo duntaxat libris continentur, ita, vt ab tertio ad decimum progrediantur. Henricus Glareanus non inceleber æuo priore auctor, nec hodie contemendus, quamuis ab nonnullis sæpè explosus, non minùs ipsis subinde explodendis. nam ita fieri amat, & iusta quidem trutina libræ, vt qui ex aliena infamia famam sibi colligere student, ipsi vicissim patiantur, quod irrogant alijs. Errauit Glareanus, mirum hoc? homo fuit, mirùs si nunquam errasset. tun' ergo Deus? errantem doceres, sed sine sannis, ne te postica sequatur. Hic inquam Glareanus duodecim libros Curtij recenset, primos duos aliorum supplementis resarcit, reliquos in decem digerit, lacunas sub finem recurrètes aliunde supplet: quartum diuidit, & quintum ab illis verbis Curtij inchoat: *Aegyptij olim Persarum opibus infens*, & quæ sequuntur, vbi in nostra editione caput XX. libri quarti incipit. Sequentia inde capita, quæ sunt octodecim, libro quinto assignat, quem in octauodecimo nobiscum finit. Sexti inde ducit initium, vnde plerique omnes quintum auspiciantur: *Quæ interim ductu*, &c. quem cum Iustini fragmento ex XI. claudit. Alij his vltimis Curtij verbis *abacta esse seminum*, nihil addunt quinto, cuius finis desideratur. Sexti principium in vulgaribus deest, quod Glareanus in septimo quinque versibus explet: sed orationem cum verbis Curtij malè connectit. Deinceps eisdem finibus circumscribit septimum, octauum, nonum, decimum, quibus alij sextum, septimum, octauum, nonum definiunt. Decimum verò in vndecimum, & duodecimum partitur, multaquæ passim assumenta interserit, hoc tamen bona fide, quod aliena signis parentheseos claudat. hac in re nullum sequitur ducem Glareanus, nullum exemplar scriptum Curtij, nullas membranas, suo duntaxat iudicio vsus, nisi quod Diodorus Siculus res ab Alexandro gestas in duodecim annos habita temporum ratione digesserit, & Laurentius Valla ex X. Curtij locum adducat, qui in vulgaribus libro IX. legitur. Iuuabit audire ipsum Glareanum: *Q. Curtium suauissimum, ac facundissimum authorem multis mendis purgatum, ac in iustum librorum ordinem redactum tuo nomine publicamus. In quo mirum est, tantum fortunam potuisse. libri aliquot perdit. vni nonnumquam in vnum congesti. fragmenta etiam malè coadunata. Ea omnia quantum fieri potuit, ac decuit, magno labore restitimus. quod optimus quisq. lector simul atq. hæc nostra cum alijs editionibus, antea in publicum emissis contulerit, facile iudicabit. Et in fine epistolæ: Non dubito, candidi lectores, multos mihi renisuros, obtoquenturosq., quod vulgatum librorum ordinem in Curtio, mutare ausus fuerim. quasi periculum sit, quod sciolis & ignavis corruptum est, si id bona fide restituamus. Et quasi non idem in alijs authoribus iam pridem hoc eruditissimi viri facere non erubuerint, sed non absque causa: vt in Columelli libris vbi tertius vulgo creditus, loco motus totum mutauit ordinem: in Gellij*

Prefatio-  
ne annota-  
tionū p. 9.

Epistola  
ad Lecto-  
res.

item libris idem factum, quanquam non magna illic urgente causa. Quod si quis Des. Erasmmum mihi obijciat ac Huttenum, qui eundem librorum numerum, ut erat permiserint, facilis est responsio: quis enim melius hoc quam ego noui? qui cum ijs tum Basilea vixi, quam leui brachio id tum uterq. egerint. certe Laurentius Valla cum vulgatum ordinem sequatur, capite tamen ultimo libri sexti elegantiarum, semel decimum citat librum, quemadmodum nos hic constituimus; ut saltem hac parte habeam ad stipulatorem. Hæc Glareanus, qui locum hunc vnicum Valle pro se laudat, tabulas alias, aut membranas an vllas viderit ignoro. ego manu exarata Curtij exemplaria tria nactus sum; è Constantiensi patrum Canonicorum bibliotheca vnum in charta per scriptum, sed ab rudi manu sine epigraphe cœptum: in fine tamen tertij, qui cum vulgaribus consentit, hæc annexa sunt verba:

Q. CVRTII RVFI HISTORIARVM LIBER III. EXPLICIT,  
INCIPIT LIBER IV.

*Darius tanti* & quæ etiam in vulgatis ordine sequuntur. Sed in codice hoc Constantiensi totus decimus deest cum fine noni. Vltima verba sunt: *Barbaris, quod temeritas erat, fiducia esse,....* Inter Serenissimi Boiorum Principis, Imperij Septem viri Maximiliani libros duo fuere manuscripti \* in eleganti membrana, eleganti charactere maiori forma descripti, quorum minor multis locis indistinctus libros plures confundit, & vbi nouus inchoat, nulla vsquam epigraphe aut inscriptio. Hoc tamen, mirum dictu, quodque Glareano suffragatur in fine totius codicis hæc verba cognoscuntur: *2. Curtij Rufi historiarum Alexandri duodecimus & vltimus liber explicit, millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, die decimo mensis Iulij.*

\* Iam Romanam translata.

In eodem codice, qui in editis est tertius, collocatur secundus, & incipit, *Darius tanti modò exercitus rex.* Sed numerus ad oram duntaxat est adscriptus, in contextu nulla est paragraphus. Qui deinceps in procusis est quintus, est illi quartus, nec inde vlla distinctio vsque ad librum, qui vulgo est septimus. in MS. nullus numerus signatur, vti nec in sequenti, qui in editis est octauus. nec nonus habet, nisi initium per paragraphum nouam. Sequitur in MS. vltimus sine epigraphe, quæ in vulgatis est libri decimi. & nihilominus in fine decimi, qui plenus est lacunis, sequitur quod dixi: *Duodecimus & vltimus liber explicit.*

Iam aliter Bauaricus in charta pergamena exaratus nobilior & elegantior altero, totus decem libris absoluitur, & aliter quam omnes alij distinctus est, nec plus, nec minus quam editi complectitur. Primus hanc habet inscriptionem:

Q. CVRTII RVFI HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS  
FRAGMENTVM PRIMI LIBRI INCIPIT.

*Inter hæc, &c.* Vt alij vulgares. Angelus Decembrius supra laudatus existimauit primum tantum librum desiderari. hic codex nec primum quidem totum. Initium est idem quod præferunt vulgati. secundus inde inchoat, vnde editi quarto dant initium. epigraphe:

Ab Iannezio Manesio acceptus

Q. CVRTII RVFI HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS  
LIBER PRIMVS EXPLICIT, INCIPIT SECVNDVS.

*Darius tanti modò exercitus.* Deinde tertius cum inscriptione sequitur: cuius initium est: *Quæ interim ductu imperioꝝ Alexandri,* quod vulgo initium est quinti. Quartus & quintus deinceps nullus, nisi quod in ora ad finem tertij hæc leguntur: *Hic deficit finis quinti libri, & principium sexti.* cum tamen quintum non posuerit, sed tertium, quartum, & quintum inter se confuderit. Septimus in omnibus editis & vulgaribus consentit, eandemque habet inscriptionem. Octauus, nonus, decimus, interuallis quidem & paragraphis inter se distinguuntur, sed sine epigraphe.

De varia porrò membranarum & chartarum scriptura suo loco; vbi vel consentiant cum vulgaribus, vel dissentiant, in commentarijs lectorem admonebimus, quamuis non potuerim totos recognoscere manibus antea subductos.

Hunc Glareani ordinem & partitionem in duodecim libros, nemo quod sciam postea secutus est, nec quisquam ante Glareanum obseruauit, nisi fortasse Vallæ auctoritas incerta quempiam moueat, quod è decimo locum adduxerit, qui in vulgatis est in nono. Sed fieri potuit, vt duos postremos Valla iungeret, quod postremus integer non extaret. Nec vnus MS. passim malè distincti, & lacunosi videtur habenda ratio. Nos certè decem libris Curtij historiam conscriptam iudicamus, ne frustra contra torrentem auctorum & omnium temporum niti videamur. ex his octo hodie magno iuuentutis commodo legi, duos desiderari videmus.

Iam Hadrianus Iunius suum Curtium ad exemplar MS. Schænhouianum castigauit, & Franciscus Modius ad Sigebergense, ad quæ subinde nos quoque ex illorum fide accurremus, & cum nostris componemus. Atque hoc iam de numero librorum. Editiones porrò multis modis inter se discrepant: primæ quæque & antiquissimæ sine supplementis, argumentis, capitibus, indistinctæ & confusæ prodierunt, nisi quod vt dixi, vel in octo, vel decem, vel duodecim libros sint dispersitæ. Primus ante annos amplius centum Erasmus octo suis Curtianis voluminibus ad quædam verba illustranda annotationes adiecit: quibus Huldaricus Huttenus selectos elegantiarum flores succenturiavit. Secutus est Christophorus Bruno, qui duorum primorum librorum supplementa ex Arriano, Diodoro & Iustino confecit, aliasque lacunas identidem occurrentes de suo, vel Iustino expleuit: quorum tamen aliqui Quintianum Stoam falsò credidè & scripsè auctorem. Glareanus præterea paullò pleniores annotationes in duodecim libros, quos ipse partitus est, elucubrauit, singulos libros argumentis illustrauit. In eadem Glareani editione præter Brunonis supplementa totus ex Arriano primus est adiunctus, & duo primi Alexandri regnantis anni ex Diodoro. Vita denique Alexandri compendio scripta ab Ioanne Zonara: Nec non Alexandri epistola vel potius fabula ad Aristotelem. Tandem Franciscus Modius reiectis omnibus supplementis, argumentis, phrasiologijs purum purum Curtium octo libris distinctum orbi reddidit, & notis variisque lectionibus pro suo modo instruxit, quem Valens Acidalius vir sanè emundæ naris (qui tamen subinde plus æquo naribus vncis indulget) plurimis locis castigauit. Postremò nos eundem Modium & Acidalius ad examen cum Glareano vocauimus, & suum cuique ius tribuimus, potissimum tamen Acidalijs iudicium crisin & censuram in varia scriptura secuti. Docèdi etiam caussa Curtium in sua capita distinximus argumentis explanata, & pro supplementis synopses breuissimas omnibus libris præmisimus, etiam primis duobus. atque hæc omnia in antecessum. Venit postea ad manus meas editio Colonienfis apud Allobrogas cum breuiariis librorum, & sententiis gnomis & politis ad oras minimè ingratis lectori futuris; quanquam subinde peccatum sit in breuiariis, cui rei testis locus ille: *Cleander & alij duces veniam impetrant.* non hoc dixit Curtius, venia donatum Cleandrum & Sitalcem, fuerunt enim interfecti postea, vt ex alijs ostendi potest. Et in ora ad illa verba: *Rex cognita causa, Dat veniam scelerum auctoribus humana censura, sed vexat & opprimit scelerum ministros.* falsum & hoc mens & sensus Curtii est, scelerum ministros statim interfectos, duces in vincula ductos postea dignas sceleribus pœnas dedisse. Iustinus testatur: *Huc accedebant ante paucos dies supplicia in præfectos deuictarum nationum crudeliter habita.*

Lib. 10.  
p. 451.

Arrian.  
pag. 142.

Arrianus vtrumq; nominatim interfectū docet his verbis: *Κλεάνδρος τε & Σιτάλκης, & Ηράκων, τὴν πολλὴν τῆς Σρακίας & οὐτοίγε ἀγοντες. τοὺς μὲν δὲ ἀμφὶ Κλεάνδρον τε & Σιτάλκην, πολλὰ ὄψιν ἔλκων αὐτοῖς τῶν τε ἐγχωρίων & τῆς Σρακίας αὐτῆς ὡς ἱεράτε πρὸς αὐτῶν σεσολημένα, & δὴ καὶ παλαίας κεινημένας, & ἄλλα ἀδίκῃ ἔργα ἕως τοὺς ὑπὸ κῆρας τετολημμένα & ἀτάσθαλα: ταῦτα ὡς ἐξηγήθη, τοὺς μὲν ἀπέκλεινεν, ὡς & τοῖς ἄλλοις δέουσαι εἶναι, ὅσοι σαζάπων ἢ ὑπάρχον ἢ νομαρχοὶ ἀπολείποντο τὰ ἴσα ἐκείνοις πλημμελῆντας πείτεσθαι.* *Cleander, Sitalces, & Heracon, magnam & ipsi exercitus partem ducentes; è quibus Cleandrum & Sitalcem accusatos ab indigenis pariter atque exercitu ipso, quod templa spoliassent, veteraq; monumenta mouissent, multaq; alia in subditos improbè atque auarè perpetrassent: qua, vt nunciata sunt, necari eos iussit, vt &*

reli-

reliqui satrapæ, aut præsidēs, aut principes, qui ijs in locis constituerentur, metuerent, si officium non fecissent, sese eodem supplicio affectum iri.

## CAPVT IV.

## Qui alij res ab Alexandro Magno gestas composuerint.



MANDARVNT literis illius expeditiones & bella, reges, principes, philosophi, rhetores, poetæ Græci, Latini. Ptolomæus Lago natus Aegypti rex & comes Alexandri, Aristobulus & ille inter nobiles Alexandri commilitones, Callisthenes Aristotelis auditor & condiscipulus Alexandri, vocatus ab eodem ad castra, ut res eius memoriæ proderet, occisus postea ab eodem, & ipse antè præsens omniumque conscius, & spectator & testis, qui (ut est lib. 4. apud Arrianum) Alexandrum, eiusque facta omnia suis scriptis inferiora censuit, & parum modestè scripsit. Legerunt hunc nonnulli hodie MS. & quædam ex illo pro testimonio adduxerunt. Ex quo infra lib. 4. certum locum Polybij proferemus. Aiunt in Vaticana Romæ, in regia Galliæ Parisijs, Florentiæ in Medicæa, hunc Callisthenem seruari: sed ego quod sentio publicè testor; verum & germanum Callisthenem, comitem Alexandri Magni, hodie nusquam extare: illum certè Luteianum non esse, nisi personatum, & asinum sub leonis pelle latentem, spurium, & falsum affirmavit Ducæus, quem per literas fatigaram, ut exemplar mihi transcribi curaret, *Addimus etiam, inquit, initium Callisthenis illius τὸ νομισμένον, ut ex ungue leonem cognoscas, vel potius asinum sub leonis pelle latentem, aut falsum Callisthenem veri Callisthenis titulo insignitum. Caue enim putes vel Dominum Rigaltium ullo modo infensum tibi fuisse, vel alia de causa remoram nobis obiectam, quam quod sciremus, ab aliquot viris doctis tentatum fuisse hoc opus, ut latinitate nimirum donaretur hæc historia, sed ab ea penitus abstinuisse illos, cum nihil aliud esse deprehendissent, quam fictam narrationem, similem illis quas Romanas vulgo vocant, Amadisij scilicet Galli, vel Rolandi furiosi commenta, neque iudicassent unguentum in lente ponendum. Ac si quidem extaret verus Callisthenes à Plutarcho citatus, vsui tibi esse posset Commentarios in Curtium molienti, sed hic si pro vero historico admittatur, Curtium fabulosum esse narratorem necesse est. Initium porrò pseudo-Callisthenis, hoc est:*

ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΗΣ ΙΣΤΟΡΙΟΓΡΑΦΟΣ ὍΤΑ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ἙΛΛΗΝΩΝ  
συγγραψάμενος οὗτος ἰσορεῖ Ἀλεξάνδρου τὰς πράξεις.

ΑΡΙΣΤΟΣ δοκεῖ γένοσθαι καὶ γενναίωτάτος Ἀλεξάνδρου ὁ Μακεδῶν ἰδίως πάντα ποιήσάμενος τῆτον ἐν ἑκάστω τῶν ἔθνων πολεμῶν καὶ μαχομένων περιήγε χρόνον ὅσον οὐκ ἄρκει τοῖς βελομένοις τὰς πόλεις ἰσορήσαι.

καὶ μετ' ὀλίγον.

Υπατῶνται γὰρ οἱ πολλοὶ λέγοντες αὐτὸν εἶναι τὸ βασιλέως Φιλίππου υἱόν, ὅτι ἀληθὲς δὲ τῆτο, οὐ γὰρ ἐκένη ἦν πάς, ἀλλὰ τὸ Νεκλιανεβὸν λέγουσι τῆτον εἶναι οἱ σοφώτατοι τῶν Αἰγυπτίων, ὅτε τῆς βασιλικῆς ἡμῆς ἐξέπεσεν οὗτος ὁ Νεκλιανεβὸς τῆ μαγικῆ τέχνῃ ἐμπειρῶς ἦν καὶ τῆ δυνάμει ταύτη χρωμένους πάντων τῶν ἔθνων τῆ μαγείᾳ περιγενομένοις εἰρηνικῶς διήγαγε.

## CALLISTHENES HISTORIOGRAPHVS DE

Græcis scripsit. Hic res Alexandri narrat.

**O**ptimè natus, & generosissimam indolem sortitus videtur Alexander Macedo singulari quodam modo nihil non executus. Tam brevi tempore singulas gentes adys & expugnavit, ut id vix sufficere videatur tantum civitates enumerare conaturis.

Et post pauca.

**M**ulti falluntur, qui illum tradunt Philippo rege natum, quod falsum est; neque enim illius erat filius, sed Nectanebonis (ut sapientissimi Aegyptiorum affirmant) postquam is regno pulsus est. Hic Nectanebus artis magica peritus erat, cuius vi omnium gentium victor quietus vixit. Hæc pseudo-Callisthenes, sed quomodo omnium gentium victor in otio vixit, si regno excidit meræ fabulæ.

Fuit & alius Callisthenes historicus antiquior, de quo in Olympiadum anagrapha, Olymp. 98. anno 2. & 105. anno 4. Iam Arrianus solam hanc suo ingenio & fortuna dignam putavit historiam. Alter Arrianus epopeius apud Suidam, qui libros quatuor & viginti carmine de Alexandri rebus composuit. Chares historicus à Plutarcho, Athenæo, Hecatæus etiam & Onesicritus & Duris; Eratosthenes Polycritus item & Antigenes, Hister, Anrichides, Philon Thebanus, Philippus, Isangelus, Appion apud Gellium lib. 6. c. 8. nominatur, & Aesopus Græcus auctor vitæ Alexandri, & illius interpretæ nescio quis Iulius Valerius, à Francisco Iureto in notis ad Symmachum laudatus, plenus fabulis & monstris fabularum, cuius si non verba, certè fabulas ad manum habemus, & miramur à tam multis in historias insertum, de quo infra iudicium Acidalij leges, Amyntianus scripsit volumen de laudibus Alexandri Magni, Marco Antonino dedicatum, plura de hoc Photius, n. 130. p. 118. lat. 166. Græca. Archelaus, ut author est Laërtius, omnem terram ab Alexandro peragrata descripsit. Baton seu Bæton & Diognetus à Plinio celebrantur mensores itinerum Alexandri, Strabo integrum Commentarium scripsit de rebus Alexandri. Anaximenes Biographus Alexandri, teste Pausania Eliacis, quem Harpocratio laudat. τῶν δευτέρων περὶ Ἀλεξάνδρου. Ehippus de morte, ut Athenæus tradit, Eumenes & Diodorus scribere ephemerides Alexandri. Chærilus præterea carmine malo pessimè tractavit res Alexandri Magni, de quo multa Horatius, Lilius Gyraldus, & nos in Commentarijs sanè quàm lepida & iucunda de pactis Alexandri, & Chærilii, de iudicio Horatii, & alijs haud paucis, de quæ pluribus Chærilis. Scripsit & Hages seu Agis non melior ferè Chæriilo, ut Curtius indicat, vates, qui Alexandrum pessimis moribus corrupit. Cecinit & Helymon utroque deterior res Alexandri, quem idem rex in cauea mori coëgit, autum tentare tanti regis opera vires eius superantia. Aggressus & alius poëta facta Alexandri, qui ipsius poëma sparsit in flumen, ipsum poëtam mersurus, si ad manum fuisset. Adde Clitarchum, & Timagenem, quos lib. 9. adducit etiam Curtius: de utroque vide iudicium Quintiliani lib. 10. Phylarchum, Agatharchidè, Hegesandrum, Clearchum. Scripsit Strabo Aristoxenus apud Plutarchum, Aristus & Atelepiades apud Arrianum, qui tradiderunt, missos etiam à Romanis legatos ad Alexandrum. Trogus Pompeius quem Augusti & Tiberij ævo tradunt vixisse, xi. & xii. libros Alexandri rebus dedicavit, uti & Iustinus Trogi syntomista. Varro historicus epitomen rerum Alexandri composuit. Q. Curtius nemini Græcorum concedit, neque eloquentiæ laude, neque ingenij vi, neque sententiæ nervis & robore orationis. Securus est Plutarchus & nobilis Stoicus & eruditionis gloria laudatissimus, & Traiani magisterio nō minus clarus. Eodem ævo de virtutibus Alexandri scripsit λόγους ἢ octo orationes Dio Chrysostomus Brusæus Traiano percharus. Iam alios atque alios, qui in perpetua temporum serie Alexandrum celebrant omitto, Paulum inquam Orosium, Eusebium, Zonaram, Cedrenum, Glycam, Constant. Manassen.

Q. Curtium affirmant nonnulli à VVolf. Lazio integrum repertum, non aliunde

Athen. p.  
46.Arrian. p.  
23.

liande refartum; quod si verum, doleo non fuisse cum reliquo orbe & posteritate communicatum: sed nulla de Lazio Viennensi fides. In Cæsarea certè bibliotheca Viennæ nihil horum reperiri affirmant librorum custodes, & inter hos primus & nobilissimus doctissimusque vir D. Teinagl. Abrahamus Aben Phareg Msuli Arabica lingua historiam Alexandri M. contexuit, extat MS. & tamen, in bibliotheca Bauarica. Galterus Belga Insulis natus Alexandreida carmine cecinit heroo, poëta suis temporibus conueniens vixit anno Christi 1160.

De hoc ita Trithemius: *Galterus dictus de Castellione, oriundus autem ex Insulis oppido Flandriae vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus atque in secularibus literis egregie doctus, philosophus, poeta & Theologus clarissimus, ingenio subtilis, sermone scholasticus, metro valde promptus & peritus. Scripsit eleganti carmine gesta Alexandri M. opus profectò non abiiciendum, quod tanta auctoritatis in scholis grammaticorum antiquitus fuit, ut pro ipso veterum poetarum lectio neglecta videretur. Sed & alia multa composuit, quæ ad me non venerunt.* Laudatur & Eusebius quidam auctor vitæ Alexandri M. quem patria lingua translatum vidi, & legi plenum fabulis & nugis: interpres est Hartliebus Boius, qui Serenifs. Boiorum principibus suam interpretationem dedicauit. Hunc eundem Aesopo illi non Phrygi, sed magis etiam fabuloso deprehendi: vulgo, historia Alexandri M. inscribitur. Iulius Valerius interpres Aesopi huius, de quo iudicium Acidali accipe, Prius Aesopi nescio an fabella attendamus. Exponit hæc ita Iulius ille nescio qui Valerius, *Videt (Alexander) sibi assistentes, habitu barbaros viros, percontatusque cognoscit esse Darij Sarrapas, causamque aduentus esse, quod ex more regio petita pecunias à Philippo venissent, pretium scilicet aqua & terra, his enim nominibus subiectos obsequi sibi Persæ iubebant. Miratus igitur Alexander & petendi morem & titulum, Hæcine, inquit, elementa Persæ mortalibus venditant? quæ cunctis Deus in commune largitus est. Egregie: ecquis auctore tanto vicisse non assentiatur? Ille tamen haud contentus etiam corollarium addit, cui nostri consuetudinem in Feudis, quæ similis inde adeò ad nos durarit. Suaue illud: in quo risum tamen ego teneo, pertinere ad id, de quo egimus serio, ac seuerè nego. ἀπεσδιόνιστος est: quod si neque sit, probat tamen omnino nihil. Atqui de Aesopi iam testimonio quid dicam? Nihil nisi auctoritatem eius apud me tantundem, ac Valerij valere. Valeant uterque, & unde venerunt eant, quarant etiã quibus persuadeant: apud me fidem non inueniunt. Nec puto quisquam cordatus erit, alicuius qui ponderis habeat, quod incerta, ignota quidem fidei, incerti ipsi ignoti quæ dicunt.*

Caral. II.  
lustr. viro.  
p. 41.

Ex hac hausere fabulas & monstra sua fabularum Vincentius Bellouacensis in speculo exemplorum, Urspergensis, ex quo tamen sunt à posteris deletæ, & alij. Ex omni temporum iniquitate eluctati Callisthenes ineditus, si tamen alicubi germanus & sincerus. Ego nusquam extare credo, nec Romæ, nec Florentiæ, nec Lutetiæ, vtinam fallar, Diodorus Siculus, Plutarchus, Arrianus, Suidas, Glycas, Zonaras, Cedrenus, Et latinis Curtius, nec sine clade, capite diminutus & ἀκέραιος, Iustinus, Gualterus, Volaterranus. Scripsere annotationes, animaduersiones, varias lectiones, Henricus Glareanus, Franciscus Modius, Valens Acidalius, qui leguntur hodie, & hodie propè prodierunt, quos nostri commentarij sequentur. Non immeritò ergo sudauit Cupressinus apud Libethra Orpheus, qui præsensit tam varios & multos in rebus Alexandri enarrandis defudaturos.

## Syllabus eorundem Scriptorum rerum ab Alexandro M. gestarum ordine elementorum compositus.

\* Abrahamus Aben Phareg Msuli lingua Arabica extat MS. in Bauarica Bibliotheca.

\* Aesopus non Phryx, sed Phryge fabulosior, cuius interpres Iulius Valerius.

Agatharchides.	Antigenes.
Agis seu Hagesp.	Antisthenes.
Amyntianus.	Appion Polyhistor.
Anaximenes.	Archelaus.
Anticlidus.	Aristobulus.

DE NOMINE

- Aristoxenus.  
 Aristus apud Arrianum in VII. p. 138.  
 \* Arrianus historicus.  
 Arrianus epepeius qui 24. libros carmine scripsit de Alexandro M. Alexandreida.  
 Asclepiades in VII. apud Arrianum.  
 Bæton, seu Beton.  
 \* Callisthenes MS. si tamen verus & non personatus.  
 \* Cedrenus.  
 Chares.  
 Chærilus poëta.  
 Clemens poëta iudicio Apuleij I. Florid. eruditissimus & suauissimus.  
 Clitarchus.  
 \* Constantinus Manasses breuissimè.  
 \* Dexippus *ὁ ἑλληνομάχης* apud Scaligerum extat in thesauro Eusebiano.  
 \* Dio Chrysoftomus.  
 \* Diodorus Siculus.  
 Diodotus Erythræus.  
 Diognetus.  
 Duris.  
 Ehippus Olynthius.  
 Epistolæ Alexandri.  
 Eratosthenes.  
 Eumenes Cardianus.  
 \* Eusebius fabulosus idem Aesopo non Phrygi.  
 \* Gualterus Belga poëta.  
 \* Glycas.  
 Hages, seu Agis p.  
 Harpocratio.  
 Hecatæus Eretrienfis.  
 Hegesander.  
 Hegesias Magnes, & fragmentum apud Halicarnasseum rhetorem.  
 Helymon p.  
 Multa præterea de Alexandro passim Polybius, Strabo, Plinius, Val. Maximus, Pausanias, Ælianus, Polyænus, Athenæus, alij. Leguntur & epistolæ quædam Alexandri ad Aristotelem de situ Indiæ ad Darium, ad Pyrrhum regem, ad Didymum Bragmanorum regem & alios, indignæ quæ legantur & inferantur. Veras præterea paucas: omnes desideramus.
- Hermippus apud Plutarchum.  
 Hister.  
 \* Historia Alexandri, Anonymi fabulosa, vt dixi in Aesopo & Eusebio.  
 Itinerarium Alexandri M. apud Strabonem & alios laudatum *ὁδοὶ ποικίλῃ*.  
 Iulius Valerius fabulosus Aesopus.  
 \* Iustinus.  
 Menechmus Sicyonius.  
 Nymphis Heracleotes.  
 \* Olympiadum descriptio in qua quid singulis annis gesserit Alexander describitur.  
 Onesicritus.  
 \* Paulus Orosius.  
 Petrus Teixeira nobilis Lusitanus de rebus Persarum in suo Itinerario.  
 Philippus Chalcidensis.  
 Philippus Isangelus.  
 Philo Thebanus.  
 Phylarchus.  
 Pindarus, vt est apud Halicarnass. rhet. p. 179. sed est Pindarus posterior *ἀνέλιος*, *(πρωτέος)*.  
 \* Plutarchus.  
 Polycletus Larissæus apud Athenæum.  
 Polycritus.  
 Potamon Mitylenæus.  
 Ptolemæus Lagi F.  
 \* Q. Curtius.  
 Sopater apud Photium p. 130.  
 Sotericus Asites.  
 Strabo.  
 \* Suidas.  
 Tarik Mircond in historia Persica.  
 Timagenes.  
 Trogus Pompeius.  
 Volaceranus.  
 \* Zonaras.  
 Stellati extant, vel scripti, vel impressi.

CAPVT V.

De Nomine Alexandri M.



Ec operam lusurus, nec retiam perditurus videor, si paulò curiosius in Alexandri M. nomen & nominis originem, notationem, significationem inquisiero, quando plerumque ingentes heroës nomina, vel à casu & euentu, vel oraculis diuinis, vel rebus gestis sortiti sunt, quod & literæ Sacræ & profanæ, Diuinæ & humanæ doce-



docere possunt, ut ex nominibus conditorum generis humani Adami, & Eux, Abrahami, Isaac, Imaelis, Iosephi, Moÿsis, Samuelis, Ioannis Baptistæ, adeoque ipsius Christi Iesu planissime constat, quemadmodum & è prophanis, Semiramidis, Cyri, Penelopes, Achillis, Homeri, Platonis, Thesei, Rhadamanthi, Theophrasti, & sexcentorum aliorum appellationibus cognoscitur. Et de nominibus hic sermo, non cognominibus. Alexandri nomen quod sciam, primus omnium tulit Paris Priami filius, de quo ita vetus & anonymus Homeri scholiastes ad illum Homeri versum:

Τῶν δ' ἑτέρων Πάρις ἦρχε  
*Alys Paris imperitabat.*

Πάρις ὁ Ἀλέξανδρος. κατὰ γὰρ ἑξῆς ἡ ἐκάβη, ὅναρ ἐθεάσατο, ὅτε ἔτεκε δαλὸν, ἀφ' οὗ κατεφλέχθη πᾶσα ἡ πόλις. τὸ οὖν τεχθέν οὐ γνώμη τῷ μάντεων ἐξετέθη, ἀλλὰ γνώμη θεῶν \* ὁ ὑπὸ τῶ ἐυρόντι ἐξάφη βεκόλα, \* ὅς ἀρκτον γὰρ αὐτῷ γάλα ἐπιχύσαν θεασάμεν \* ἀνέβη φεν ἐκλήθη οὖν Πάρις οὐχ ὅτι, ὡς ἄνεις φασί, ἐξάφη, ἀλλ' ὅτι τὸν μόρον παρέληθεν ὕπερον δὲ Ἀλέξανδρος, ὅτι τῆ πασιδὶ ἠλέχησεν, ὅ ἐστιν ἐβουλήθη, πολέμῳ ἐπιελθόντι. *Quæ ita inteligo. Paris id est Alexander. Hecuba cum uerum ferret, per insomnium uidit se titiotionem gestare, quo tota ciuitas conflagrauit. ergo parius non uatum, sed deorum sententia expositus est, quem pastor bubjequa repertum enutritiuit. Dicitus ergo Paris non quod impera sit educatus, ut quidam censes, sed quod fatum transisset. Deinde Alexander appellatus est, quod ingruente bello patria succurrisset; hoc enim uerbum ἠλέχησε, ualeat. Proinde uerè Varinus, ἐτυμολογεῖται δὲ Ἀλέξανδρος παρά τὸ ἐπαλεῖν τῆ πασιδὶ τοῖς πολέμοις, ἢ παρά τὸ ἀλεξίνενα ἀνδρῶν, ἢ γινε βοήθειαν. ἀλέξω γὰρ τὸ ἀμύνα, ἀλέξαι, βοηθῆσαι. Deducitur autem uox Ἀλέξανδρος, Alexander, ab arcendo hostes à patria, aut quòd uiris auxilio sit, ἀλέξω enim idem est, quòd ἀμύνα, hoc est, auxiliòr, sup. etias eo, succurro, & ἀλέξαι iuuare. Præmitit his multa Varinus, quæ ad historiam Paridis pertinent, hic negligenda, quòd tantum de Etymologia uocis ἀλέξανδρος agamus. Est ergo uerbum compositum ex ἀλέξαι & ἀνής, quòd uiris auxilio sit, ut ἀλέξαι ἦν. Itaq; & magus pseudomantis apud Lucianum se Alexandrū dixit, quasi diuinitus id nomen accepisset, quòd primis quatuor literis ἀ. λ. ἑ. ξ. quater uicena quatuor complecteretur.*

1  
 30  
 5  
 60  
 96

Repertum enim ille præstigiator de se tanquam Sibyllæ oraculum, quod ipse composuerat & eruerat, affirmauit, idque erat huiusmodi:

εὐξείνῃς πόντοιο παρ' ἡϊός' ἀγχι Σινώπης,  
 ἔσσι' ἄς κατὰ τέρπιν ὑπ' Αὐσονίαισι προφήτης.  
 ἐκ πρώτης δεικνύς μονάδας \* Τριατῶν δεκάδων τε,  
 πένδ' ἑτέρας μονάδας χ' εἰκοσάδα Τρισάκωμορ,  
 ἀνδρός ἀλεξήτηρος ὀμωνυμίην τε Τραύκλωρ.

*Ad maris Euxini litus iuxtaq; Sinopen,  
 Tyrside erit quidam Ausonia de gente sacerdos,  
 Qui prima ex monade, tribus ac decadis referabit  
 Quinque alias monadas uicenaque ter repetita,  
 Quatuor orbem numerum referentem nomina Diuisi,  
 Qui ueniet laturus opem mortalibus agris.*

Varinus tamen Alexandrum Paridē primū dictū scripsit, quòd latrones ab ouibus arcuerit, ἀλεξήσας, inquit, τοῖς ποιμνίαις ἀπὸ τῶν ληστῶν Ἀλέξανδρος ἐκλήθη, ut ἀλέξω idē sit, quòd ἀποτρέπω, ἀποσοεῶ, βοηθῶ, arceo, repello, iuuo. Sed non possum hic silentio transmittere rudem quorundam Mineruam & barbaram incitiam, qui Alexandri nomen è Latino & Græco indoctè concinnant, & nil nisi monstium inde conficiunt: nam ab A, uoce steritica, & lex, & ἀνής detorquent uocem Alexandri, quasi uir sit sine lege: certe illi sine mente, dum sibi de ingenio in hac ipsa nominis reppertâ originatione blandiuntur, cui multas non ab similes excogitarunt, indignas, quæ eruditis oculis & auribus ingerantur. Ab hoc Alexandro Priami filio multi postea Alexandri nomen retulere, de quibus Suidas, qui huc nō pertinet, regnarunt ante Alexandrum M. in Macedonia duo cognomines, Amyntarum filij, quorum prior octauus fuit in censu regum Macedonia, alter quintus decimus. Audiuit & auunculus Alexandri M. Olympiadis matris Germanus Alexander, is qui in Italia perijt. Nihil ergo noui Alexandro M. uisuenit, quòd Alexander sit appellatus; sed hoc ad eius gloriam & nomen magnopere pertinet, quòd

Lamprid.  
p. 17.  
Alexander  
Seuerus  
in edit.  
Curtiana  
mea p. 529.  
Herod. p.  
276.  
Caracalla  
Xiphilin  
Carac.  
Scander-  
pegius.  
In eius vi-  
ta p. 188.  
Petrus  
Teixeira  
Lustan. in  
suo iti-  
nerario.

Romani Imperatores aliquod nomen ab eo traxerint. Alexander enim Seue-  
rus Mammeæ dictus est, quod Arcenæ in templo Alexandri M. (qui pro Deo et-  
iam post mortem ab nonnullis gentibus cultus est) eo die sit natus, quo Alexan-  
der M. est denatus. Quanquam Herodianus tradat hunc Imperatorem Mam-  
meæ filium prius dictum Alexianum. *Μερονομιάζεται*, inquit, *ὁ Ἀλεξιανὸς καὶ Ἀλέξανδρος*  
*καλεῖται*. Antoninus Caracalla se Orientalem Alexandrum appellabat. Æmi-  
lianus quoque Imperator (non Scipio ille Æmilianus) dictus est Alexander, vel  
potius Alexandrinus, ut est apud Trebellium Pollionem. Castrotius Epirota  
ingens heros & terror Turcarum, ob virtutem propè Alexandro parem, voca-  
tus est Scanderpegius, hoc est, dux Alexander. Obserua ex Polyæno, quod ipse  
Alexander omnes mortales *ἀνδρας*, seu viros, non *βροτοὺς*, id est, mortales, non  
*μέροπας*, siue *ἀνθρώπους*, seu homines, sed *Ἀλεξάνδρους* voluerit appellari; ad hoc inquam  
natos, ut omnibus succurrerent, alterque alterum omni ope subleuaret \* Tur-  
cis Persis & barbaris Scander, Ascander, Sakander, Zulkarnhen dictus est.

## CAPVT VI.

## De Cognomine Alexandri M.



Ingulare decus est Alexandri & incomparabilis laus, quam om-  
nis illi posteritas propter rerum gestarum magnitudinem imper-  
tita est, quando non solum cognomento Magnum dixit, sed quo-  
tiescuq; scriptores nobiliores & panegyristæ in elitos duces, re-  
ges, imperatores, qua poterant orationis maiestate extollere con-  
nabantur, illos cum Alexandri virtute contenderunt, quod ne-  
que excellentiorem ducem, neque maiorem regem, neque clariorem Imperatorem  
in omnium temporum memorijs reperirent. Et quaniuis Assyriorum & Persa-  
rum reges propter regnorum magnitudinem & prouinciarum numerum, qui-  
bus imperitabant, *μεγάλοι βασιλῆες*, *magni reges* communi nomine vocitarentur,  
vicit tamen omnes rerum gestarum gloria Alexander, cui consensu posteritas  
omnis Magni nomen assignauit, à quo posteris sæculis multi duces Magni co-  
gnomen acceperunt. Nam ut ab Romanis ducibus & imperatoribus incipiam,  
Magnus appellatus Scipio Africanus, qui Hannibalem acie vicit, Carthaginem  
cepit, de quo Polyænus: *Φάβιος ἐπεκλήθη μέγας, Σκιπίων μέγας, καὶ τὰ ἕξῃς*. Fabius cogno-  
men maximi, Scipio Magni accepit. Scipio quadam æmulatione erga Fabij glo-  
riam afficiebatur, itaque rogabat eum: Qui sit, ut tu conseruandis dumtaxat exer-  
citibus Maximi nomen adeptus sis, ego cum hostibus confligendo Magni, cum  
Annibalem comminus facto prælio deuicerim? respondit Fabius: at nisi ego tibi  
milites conseruassem, tu non habuisses quibuscum posses vincere. Magnus quo-  
que Pompeius, auctore Sylla, de quo Plutarchus in Sertorio. Cognomen Magni  
non vni veterum Imperatorum regumque contigit, sed externorum nulli ve-  
rius iustiusq; quam Alexandro Philippi F. ut Quiritium vni Cn. Pompeio præ-  
clare est datum ab ipso Sylla alienæ virtutis in adolescente etiamnum censore  
iustissimo. Ad Imperatores Romanos & Germanos venio. Delatum est Magni no-  
mē, honoris causa, Alexandro Seuero Mammeæ F. ut est apud Lampridium in  
Seuero, sed is repudiato tanto cognomine, *quid enim*, inquit, *magni fecimus?* tanto  
certe maior, quanto in tanto honoris & imperij fastigio modestior. Secutus est  
Constantinus Magnus, dignus nomine, & magno, & maiore: quemadmodum &  
Theodosius M. & Carolus cum Hildegarde magna coniuge sua Magnus, Otto  
Magnus, ingentes Christianæ iam nationis heroës & columna. dignus eodem  
fuisse quod gessit Henricus 4. nisi viribus & imperio, & potentia abusus esset, &  
arma in Ecclesiam, hoc est, in sua viscera vertisset. Carolus V. Austrius etiā Ma-  
ximo (ut & Fabius Romanus) non minor fuit. Ad reges eamus, quorum anti-  
quissimi fuere magnorum nominibus insigniti, Nabuchodonosor. & Assuerus,  
Babylioniorum alter, alter Persarum rex, his proximus Alexander fuit, à quo  
poste-

Briffon. de  
regno Per-  
sar. l. i. p. 2.

posterioris xui Magni nomen traxerunt Antiochus, Ptolemæus 4. Mithridates Parthorum, Alphonſus M. rex Hispaniarum, Ferdinandus Caſtiliæ & Legionis, Hugo M. rex Galliarum, Henricus 4. rex Galliarum, Ludouici, qui hodie regnat, parens, ab hodiernis historicis Galliæ, Sueno M. rex Danorum. \* Ferdinandus M. Aragonum rex, Ioannes 2. M. Luſitanæ rex, Caſimirus M. Poloniæ rex. Nec principes Magni nomine indigni habiti, Theodo M. Theodonis Boiariæ Ducis F. Otho M. Boiorum dux, à quo hodierni principes descendunt, qui ab Ahenobarbo principum ordinem recepit, V Vitikindus Saxonum dux, qui cum Carolo M. bellum geſſit, Albuquercius M. Regis Emmanuelis Luſitanæ, Indi cæ domitor, Matthæus M. pro Imperatore in Italia.

Ad ſumma Eccleſiæ Catholiciæ tribunalia ſacroſque apices Pontificum veniamus. Leo I. Papa & Gregorius I. Magni cognomento à poſteritate affecti ſunt, quantum uis ipſi de ſe modeſtè ſentirent, & *ſe ſeruatorum Dei ſeruos* appellarent. Baſilius inde ob vitæ & eruditionis laudem idem cognomentum meruit, vti & decus Germaniæ Albertus M.

Peruaſit etiam hæc gloria appellationis, quantum uis illam reſugeret, ſolitudinem & eremum. Notiffimus eſt S. Antonius M. & Hilario M. meritò etiam decorauit fortiffimos Chriſti athletas & martyres D. Georgium, quem græci μεγαλομάρτυρα, & S. Mennam cognominant. Nec omitterem cælitres, niſi illos natura ſupra omnem humanam humilitatem longiffimè extuliſſet, quis enim Michaelem ἀρχιεράτηγον δυνάμεων ἐπερανίωκ, nescit ab Daniele magnum principem appellari. Sed inter humanæ ſortis modum nos contineamus, & ad noſtrum A-

Alexandrum redeamus, cui vnus maximè ſcriptorum Seneca inſeſtus eſt, falſumque Magni cognomē geſſiſſe falſo certè affirmat, quanquam & M. Tullius Philippum patrem filio anteponat, quem ſemper magnum filium, ſæpè turpiſſimū fuiſſe teſtatur. Sed Alexander obtinuit obtinetq; hodie, cui longè nobiliſſimos veriſſimoſq; honorum titulos cōdidit Suidas, cum quo hoc caput velut nobili epiphonemate concludemus: Αλέξανδρος ὁ Φιλίππου καὶ Ολυμπιάδος βασιλεύσας μακεδόνων ἀπὸ ἐνιαυτῶν ἰη̄ τελευτήσας δὲ ἐτῶν λγ̄. οὗτος ἦν τότε σώμα κάλλιστον, καὶ φιλοπονῶντα καὶ ὀξυτάτην γνώμην καὶ ἀνδρείοτατον, καὶ φιλομολότατον, καὶ φιλοκινδυνώτατον, καὶ τὰ θεῖα ἐπιμελέστατον. ἠδονῶν τε τῶν μὲν τῶ σώματι, ἔγκατέστατον. τῶν δὲ τῆς γνώμης ἐπανεμμένων ἀπλάστατον. ξυνοῦν δὲ τὸ θεῖον ἐκ τῶ ἀφανῆ ἐν δεινότατον. καὶ ἐκ τῶν φανομένων τὸ εἶκος ξυμβαλεῖν ὅτι τυχεύατον. καὶ τὰς στρατιὰν δακμονέτατος. καὶ πρὸς πᾶν κελόν ὅτι τηδεότατος. πρὸς τοῦτοις ἦν ὀπτικῆς καὶ θεοσεβῆς ὀργιότης γὰρ πότε θεομαίης ἐπὶ τοσούτοις, ὡς ἐ τοὺς μὲν οἰκίτορας ἐξανδραπέδιδασθαι, τὴν δὲ πόλιν εἰς ἑδαφὸν κλάσκαψαι, τῆς γερῆς τοὺς θεοὺς εὐσεβείας οὐκ ἀλιγώρησε περὶ τὴν χαράλην τῆς πόλεως. ἀλλὰ πλείστην ἐποιήσατο πρόνοιαν ὑπὲρ τῶ μὴ δὲ ἀκεῖσιον ἀμάρτημα γενέσθαι περὶ τὰ ἱερά καὶ ἀνόβητα τεμνέη. ὅτε τὸ μεγαλήγορον τῶ ἀλεξάνδρου, οὐκ ὑπερόγκοι μάλλον ἐ, ἢ εὐθαρεῖς ἐ τοῖς κινδύνοις ἐφάρτετο. Alexander Philippi & Olympiadis F. regnum Macedonia suscepit anno etatis octauo decimo; obiit tertio & trigesimo. Hic & pulcherrimus fuit, & laboriosissimus, & ingenio acutissimo, fortissimusq; & honoris audissimus, nec non bellicosissimus & cultor numinis maximus, atque in corporis quidem voluptatibus continentissimus: laudatarum verò animi voluptatum prorsus insatiabilis, acutissimus iudex, quid in rebus adhuc incertis factu esset opus, sagacissimus coniectore præsentibus futurorum, & exercitus ordinandi peritissimus, & ad omnia pulchra, & honesta aptissimus. Præterea fuit humanus & religiosus. nam cum aliquando Thebanis tantopere iratus esset, ut & ciues sub hasta venderet, & urbem solo æquaret, pietatem erga Deos in occupatione urbis non neglexit: sed summa diligentia cauit, ne vel ab inuitis ullum templum, aut lucus violaretur. Alexandri magniloquentia in periculis, non tam superbie, quàm fiducia tribuenda videbatur.

Concludamus caput hoc ex Plutarchi calamo, quod ipsum ad maiorem Alexandri laudem facit, multos alios reges sibi ipsis magnos honorum titulos condidisse, Alexandrum re ipsa magnum, hoc posteritati commisisse: οἱ δὲ ἐεργάτας, οἱ δὲ Καλλιπικῶς, οἱ δὲ Σωτήρας, ἢ δὲ μεγάλως ἀνηγόρευσαν ἑαυτοὺς. Sunt qui se *Euergetas*, hoc est, beneficos vocarint, sunt qui *Callinicos*, id est, egregiè victores, nonnulli *Soter as*, siue seruatorum: quidam *megalos*, hoc est, magnos. Subiicit deinde Plutarchus quàm turpès hi fuerint, & quàm huiusmodi nominibus indigni, quibus tamen omnibus digniffimus videri potuit Alexander.

Iustinus

\* Baron.

1050.

Myncus

1479.

1180.

Cromerus

220.

Paulus

Iouius 72.

Epist. 91.

In offic

p. 541.

2. de Forè,  
Alexand.

## CAPVT VII.

## Synopsis rerum ab Alexandro gestarum per Olympiadas &amp; annos digesta.

## Natalis Alexandri &amp; pueritiæ anni.

Volaterranus 8. Idus Aprilis natum tradit ex Plutarcho, sed aliud interpretes.



**A**LXANDER Pellæ Macedoniæ vrbe, ex Philippo & Olympiade, Anno Mundi 3698. vti Salianus numerat, ante Christum 355. Olympiadis CVI. anno primo; post urbem conditam 397. (alij 396. alij 395. alij 400. alij alios signant) natus est, sexto Hecatombæonis, qui dies apud nos vltimo Iunij respondet, prætorè Athenis Elpino, seu Elpinico: M. Fabio Ambusto II. & M. Popilio Lanate II. Coss. quo tempore duæ aquilæ toto die præpetes supra culmen patris eius sederunt, omen duplicis imperij Asiæ Europæque præferentes. Eadem die Dianæ Ephesiæ templum ab Herostrato incensum, Asiæ exitium portendit. Eodem tempore & die Philippus pater duarum victoriarum nuncium accepit, alterius belli Illyrici, alterius, certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus 7 equo celete siue singulari vicisse alij tradunt) miserat. *quod omen, inquit Iustinus, vniuersarum terrarum victoriam infanti portendebat.* De Olympiadis dracone alio loco referetur.

## Pædagogus.

Pueri mores formauit Leonides.

## Præceptor Rhetorices.

Ab Anaximene Rhetore acerrimis literarum studiis vsque ad annum ætatis 15. est eruditus.

## xv. annus ætatis.

Exacta pueritia, per quinquennium sub Aristotele doctore in clito omnium philosophorum creuit. Halicarnassæus & Laertius octo annos tribuunt Aristoteli docenti Alexandrum. Plura de his annis noster Schottus in vitis comparatis Aristotelis & Demosthenis Olympiad. CI X. an. 2. vbi Plutarchum, Dionem, Brunsæum, D. Hieronymum ad Latam, & Zonaram laudat.

x. de Forst. Alex.

## Olympiad. cx. anno 3. Alexand 18.

Pugna ad *Cheronæam* aduersus Athenienses commissa, in qua Alexander alterum cornu defendit, & victoriæ maximum momentum attulit, vti Siculus in 14. testatur: & Alexander apud Curtium lib. 8. victoriam istam sui operis fuisse gloriatus est.

Anno Mundi 3718.  
A.C.N. 335  
Archonte Pythodemo. Vrb. Cond. 414  
Luc. Papyrio Crasso, & Casone Duellio Coss.

## xx. an. æt. Regni I.

Olympiadè CXI. anno 1. Philippus Alexandri pater à Pausania nobili quondam ephebo occisus, regnum Alexandro filio reliquit.

## xxi. an. æt. Regni II.

Olympiadè CXI. an. 2. Alexander iustis patri persolutis, Illyricum, Triballos, Thraces armis domat, Græciam in fidem recipit, Thebas euertit.

## XXII. an. æt. Regni 3.

Olympiade CXL. anno III. in Asiam cum triginta millibus peditum, quatuor equitum & quingentis contendit (qui maximè augent, quadraginta millia memorant) hæc tam parua manu, inquit \* Orosius (qui 32000. ped. 4500. equit. naves 800 ponit) vniuersum terrarum orbem vtrum admirabilius sit quod vice-rit, an quod aggredi ausus fuerit, incertum est. Ad Granicum amnem sexcenta millia Persarum cum ducibus profligauit.

Imò Orosius ex Iustino.

## Olympiade CXL. an. 4.

## XXIII æt, an. Regni 4.

Occupata minori Asia, Phrygia, Lycia, Caria, Pamphilia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Darium ad Issum vicit, vbi Persarum centum viginti millia peditum, decem equitum cæsi, Darius fuga elapsus, Damascus Syriæ caput cum thesauris Alexandro tradita.

## Olympiade CXL. an. 1.

## Al. XXIV. an. æt. Regni 5.

Tyrum ingenti mole in peninsulam redactam, post septimum demum ab obsidione mensum, vi & virtute expugnat. Gaza inde post bimestre potitur. Iudæam adit, Iaddum Pontificem Maximum adorat: Hierosolymis Deo litat.

## Olympiade CXL. an. 2.

## XXV. an. æt. Regni 6.

Aegyptum inuadit, templum Ammonis petit. filius Iouis à vate per impiam adulationem salutatur. Alexandria ad Nilum fundamenta iecit Plancio Proculo, P. Cornelio Scapula Coss. non, Pætilio, Luc. Papirio, vt alij ex Liuiio, Solino, & Cassiodoro docere conantur, cum illis Coss. absoluta sit, non cæpta. Eodem anno congressus cum Dario ad Gaugamela haud procul Arbelis, strauit hostium quadraginta millia, Darium rursus in fugam coniecit: Halicarnassæus numerat hunc annum octauum.

## Olympiade CXL. an. 3.

## XXVI. an. æt. Imp. 1. Regni 7.

Babylonem cum thesauris occupat. Susianum aurum rapit, Persepolim flammis abolet. Darius reparatis copijs, perfidia suorum, opera Bessi & Nabarzanis proditorum capitur, vincitur, occiditur, ab Alexandro reperitur & regiè sepelitur.

## Olympiade CXL. an. IV.

## XXVII. an. æt. Imp. 2. Regni 8.

Dum Bessus Darij proditor & percussor in Baetris regiam induit fasciam, & copias in Alexandrum parat, Macedo Mardos & Hircanos adit. Dein Philotam cum Parmenione patre, Eurilochum & Attalum coniuratos damnatosque interficit. Præterea Arimaspes, Cedrosios, Arachosios aliasque gentes sub imperium redigit. Hoc demum anno Alexandria C. Pætilio & L. Papirio Coss. biennio postquam cœpta erat, est absoluta, & initiata.

Olymp.

Olymp. cxiii. an. i.

xxviii. an. æt. Imp. iiii. Regni 9.

Curtius  
Lib. 9. c. 18.  
Victor v-  
arinque  
regionis  
(Europæ  
& Asiæ)  
post nonum  
regni mei,  
post vicesi-  
mum atque  
octauum &  
enim annis.

Alexander populo Paropamisadum subacto, adductum sibi Bessum fratri Darij Oxathri excruciantum & in crucem agendum tradit. Inde in Sogdianos, Scythas, Bactrianos copias ducit. In solenni epulo Clitum quod Philippum patrem celebraret, & filij laudes deterebat, sua manu temulentus hasta traiecit, Hermolaum ephebum & Callisthenem philosophum diu excruciatum interficit. quod futurum præviderat Aristoteles cum ex Homero abeuntem monuit:

ἐὐχόμενος δὲ μοι τὸν ἐὼς τῶν ὀφθαλμῶν

Mors te nate manet vita sic cum rege loquentem.

Olymp. cxiii. anno 2.

xxix. an. æt. Imp. iiii. Regni 10.

Macedo Aornin inexpugnabilem prope petram expugnat, ad Indos proficiscitur. Taxilus rex in Alexandri fidem concedit. Harpalus custos regij thesauri à Babylone in Græciam Athenas profugit, à quibus eiecctus in Cretam traiecit, ibique à Thibrone amico è medio tollitur.

Olymp. cxiii. an. iiii.

xxx. an. æt. Imp. v. Regni xi.

Hæc à quibusdam ad superioris annū sunt relata, annoque ætatis Alexandri xxix. Imperij ix. accidisse referuntur. auctores dissentiunt. Nos Salianum sequimur.

Porum regem in India magno prælio vincit, ipse quoque equo deiecctus, vitæque periclitatus, & ab armigeris cædi ereptus est. Porus multis vulneribus acceptis, captus, & regno ampliori etiam donatus, suoque restitutus. Macedo Bucephalon urbem condit, & equi sui nomini consecrat. Oxydracos & Mallos ipse propè oppressus expugnat.

Olymp. cxiii. an. iiii.

xxxii. an. æt. Imp. vi. Regni xii.

Alexander Cossais inuisita antè gente victis, omnique India armis peragrata, ad Oceanum vsque ultra Gangem progressus, aris, expeditionis monumento terminoque positus, Susa Ecbatanaque reuersus, Statiram Darij natu maiorem filiam, minore Hephæstioni in matrimonium collocata, duxit. Hephæstioni extincto ambitiosissime, velut Achilles suo Patroclo, parentauit.

Olymp. cxiv. an. i.

xxxii. an. æt. Imp. vii. Regni xiii.

Babylonem redit, vbi omnium propè gentium legatos prætolantes offendit. ipse vel crapula & vino, vel morbo, vel stygiæ aquæ veneno extinguitur. Imperium in satrapas diuiditur, corpus Alexandriam in aureo solio defertur. Halicarnasseus anno xiiii. mortuum tradit in Rhætum.

Apud Curtium anni regni non respondent annis ætatis, quod ille primum Alexandri annum, quo regnum suscepit, numeret eundem, quo pater interijt, alij sequentem (lib. 9. p. 265. edit. Antuerp.) cum Curio facit emendator temporum, sed aliorum vsus sequitur. Ita xiiii. Imperij esset mortuus. Ceterum Alexander omnium Imperatorum maximus, vt qui nec ante se maiorem agnouerit, nec post se parem habuerit, plura intra duodecim annos, quam alij quadraginta vel quinquaginta, adeoque tota vita gessit, vrbes amplius septuaginta, quod nullus aliorum fecit, condidit, & inter has duodecim, imò octodecim, vt infra ostenderetur, Alexandrias. Miles illius, illo præsentem, nullius hostis arma, quamuis inermistimuit. Ipse cum nullo hoste est congressus, quem non vicerit nullam urbem obsedit, quam non expugnaret, nullam gentem adiit, quam non calcarit. vt multo vcrius de Alexandro, quam Pompeio dictum Ciceronis accipi

accipi possit: *Qui sapius cum hoste conflixit, quam quisquã cum inimico certauit, plura bella gessit, quam alij legerunt, plures prouincias confecit, quã alij concupierunt. Quos tamen omnes etiam cupiditate longè superauit: vt verissimè Satyricus de illo: Vnus Pellao iuueni non sufficit orbis.*

## CAPVT VIII.

## Quæ mira Alexandro M. euenerint.



Non est, erudite lector, quod à me fabulas & prodigiosa portentorũ mendacia expectes, quæ passim in fabulosis Anonymi, vel nescio cuius noui Æsopi, vel pseudo-Callisthenis de Alexandro M. scriptis circumferuntur, editaque sunt Latina & patria voce è Græco versa, cum Alexander in cælum vsque & lunam, velut Icarus & Phaëthon effertur, rursusque ad ima ponti vada demergitur, vt in imo pelago monstra phœarum & balænarum perlustret, nec arboribus humanas tribuo voces, vt cum Alexandro sermocinentur. Nec cum Turcis, Alexandrum Regis Solomonis præfectum militiæ constituo, quo nihil absurdius excogitari potest, cum inter Solomonem & Alexandrum amplius septingenti anni intercesserint, nec S. Georgium quem Chederle appellant amicum Alexandri M. sociumque expeditionis vt Busbequius,\* dum Turcarum fabulas irridet, ostendit, negligo, inquam, hæc barbarorum & vulgi portenta & deliramenta, nec interim inficias eo, multa passim vera falsis aspersa, sed æra ab lupinis secernenda sunt.

Illud primum de fulmine expono, quod per somnium Olympiadi obiectum, filij claritatem portendebat. Olympias enim nocte, qua se viro adiunxit, existimauit facto tonitru in vterum sibi fulmen illabi, ex cuius ictu magno excitato incendio in flammam inde latè diffusam abire visum: Et inde factum ego censeo, vt pictores Alexandri imagini fulmen affingant; quod alij supra galeam ponunt, alij eodem manum Alexandri armant.

Alterum est, quod Philippo patri Alexandri per quietem oblatum fuit, cum sibi videretur aluo coniugis insignem impressisse bullam, quæ leonis imaginem referret. Responderunt cõiectores, vxorem grauidam esse (nihil enim vacuum signari) & generosum filium parituram, vnde Alexander in matris honorem, leonis spolio maximè gauisus, & eadem de causa, cum somnio monitus Alexandriam in Ægypto condidisset, eam Leontopolim appellauit, sed posteritas illi nomen ab ipso Alexandro dedit.

De dracone verò, ex quo velut loue Ammone Olympias Alexandrum concepisse à pluribus traditur, nos copiosissimè ad librum 4. Curtij cap. 20. disputauimus: Adde hic eo nomine ab Sidonio draconigenam appellatum.

*Quæq; draconigenæ portas non clausert hosti.*

Brodæum adi ad epigr. c. 41. l. 1. Legendum etiam emblema Alciati de gentilitio Mediolanensiu insigni, cum anguis è faucibus infantem euomit, quod ab Alexandri natali acceptum: ita enim Alciatus:

*Exiliens infans sinuosi è faucibus anguis,*

*Est gentilitijs nobile stemma tuus.*

*Talia Pelleum gessisse nomismata regem*

*Vidimus, hisq; suum concelebrasse genus:*

*Dum se Ammone satum, matrem anguis imagine lusam,*

*Diuini & sobolem seminis esse docet:*

*Ore exit, tradunt sic quosdam enitier angues,*

*An quia sic Pallas de capite orta Iouis?*



c

Quod

\* Ep. 1. p. 107.

I. Pierius p. 325. §. 2.

II. Pierius p. 3. §. 1. c. Plutarch.

III.

DE MIRIS QVAE ALEXANDRO M.

Quod exponit ipse Alciatus c.43. de singulari certamine: Celebre est, inquit, in annalibus Othonis vicecomitis cum quodam Saraceno in Asia certamen, quem ille manu captum, confossumq; galea ornamento priuauit, idq; gentilitijs suis insignibus addidit, hoc est, viperam vix natum, & adhuc manantem sanguine infantem ore euomens: nimirum ab Alexandro M. acceptum emblemata, siquidem in eius antiquis nomismatis idem sigillum reperire est, quo Ioue se natum rex ille per ambages ostendebat. Etenim serpentis forma pluribus Graecia in locis Iupiter colebatur. Suntq; in Asia genera serpentum, quos ore parere hominum opinione receptum est. & Paulus Iouius de vicecomitibus, qui affirmat Othonem (sacro in bello contra Turcos & Saracenos, Bulionio Godefredo duce) insigni pietate & magnitudine animi virum, nihil territum Volucis Saraceni ferocitate, qui medio in campo ad singulare certamen fortissimum quemq; ex acie Christiana prouocabat, cum eo fuisse congressum, tandemq; eum non minore fortitudine, quam felicitate deuicisse, deq; confossi hostis galea opimum plenumq; immortali gloria spoliū retulisse, auritam scilicet viperam inexplicatis spiris minaciter à cono casidus erectam, & puerum passis manibus deuorantem, quod vnum auspiciatæ virtutis argumentum, non modo gentilitiæ laudis gestamen fuit, sed & posteris id insigne audacter usurpantibus, & imperia, & opes, & late gloriam portendit: fuere, qui existiment Volucem ex stirpe Alexandri M. progenitum, tulisse pro insigni viperam, ex Olympiadis fabula, puerum parturientem, quod ea à Dracone se compressam fuisse, Iouis imagine prædicaret.

Quin & Carthagena nobilis, clarus & eruditus ecclesiastes, ausus est (haud scio an pie satis & prudenter) Christum à Virgine conceptum cum Alexandro M. ab Olympiade concepto componere. Quanto, inquit, Christi conceptionem Antichristi generationi dissimiliorem intueor, tanto Alexandri M. conceptionem, quoad nonnullas eius circumstantias Christi conceptioni similem magis reperio. Plutarchus loquens de Olympiade Magni Alexandri matre, ait: Visus est, Ioue tonante, venter suus de cælo tangi, itaque ex rētu largus succendi ignis, mox erumpens in flammam passim dispersas dissipari: deinde scribit Philippum Alexandri patrem vidisse in somnis uxoris uterum sigillo consignatum, cuius sculptura imaginem leonis referebat, nec non etiam iuxta Olympiadis lectum draconem expectantem, ac tandem Alexandrum Iouis filium vocatum & habitum tradit Q. Curtius de rebus gestis. Hæc omnia ad Christi Domini conceptionem haud difficile erit conuertere. nam si Olympiadis Alexandri matris visus est venter de cælo tangi, cerè virtus altissimi uterum virginis tangens mirificè illam fecundauit, vti verba sponsa non obscure indicant: & ad tactum eius intremuit venter meus. Quod si ex tactu illo prodijt copiosissimus ignis in flammam erumpens, non secus ex Virgine thalamo egressus est Deus noster, qui ignis consumens est, & qui dixit, Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Deinde si Olympiadis venter sigillo visus est consignatus, Mariæ ventrem excellentiori illo integerrimæ virginitatis sigillo obfignauit Spiritus S. Rursus si visa est in ventre Olympiadis, imago leonis, adfuit quidem in utero Mariæ non figura leonis, sed qui vicit leo de tribu Iuda, Christus Saluator noster: & si ibi Philippus vidit iuxta lectum Olympiadis horribilem draconem assistentem, & quasi partui illius inuidentem, ad eundem modum Ioannes libro suarum reuelationum sibi ostensam commemorat B. Virginem, cuius partui deterrimus draco insidiari cupiebat: postquam vidit draco, quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum: ac tandem si Alexander Iouis filius (qui Iuuanis pater interpretatur) falso nuncupatur, Christus Dominus Filius Dei Patris naturalis omni modo veraciter nominatur, iuxta verba angeli, & Filius altissimi vocabitur.

IV.

Atque hæc de Alexandro concepto. Iam videamus de Alexandro Pellæ siue pridie, siue ipsis Calendis Quintilibus nato: nam duæ præpetes aquilæ supra culmen toto die confederunt, duplicisque imperij Asiæ & Europæ regnum portenderunt, vti supra docui, quemadmodum & quod sequitur de Dianæ Ephesæ exitium denunciauit.

V.

Plutarchus  
in vita.  
Iustinus.

VI.

Et quod eodem die Philippus pater geminarum victoriarum nuncium acceperit, alterius, belli Illyrici; alterius, certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat; quanquam alij equo celete vicisse tradunt: quod omen, au-  
ctore

Can. 5.

Apoc. 5.

Apoc. 12.



Core Iustino, vniuersarum terrarum victoriam infantem portendebat.

Neque hoc non inter mira numerari potest & debet, quod Alexandro maximo orbis Imperatori summus sapientiæ magister, qui eodem tempore floruit Aristoteles datus sit doctor & institutor, qui hodieque in spacijs philosophorum regnat, & in omnibus sapientiæ domicilijs, adeoque toto orbis theatro de natura & sapientiâ triumphat. vti non immeritò Philippus pater Alexandri ad Aristotelem scripserit, Magnam se habere dijs immortalibus gratiam, non tam de nato filio, quàm quod ipsius ætate natus sit, quod speret ab ipso ita enutritum & institutum iri, vti dignum se & genere suo regio, & regni successione præbeat.

Memorandum & hoc ex Plutarcho, & alijs, mirificum fuisse Alexandrum etiamnum propè puerum equorum, vel ferocissimorum domitorem. Philonicus Thessalus Philippo patri equum generosissimum dono miserat, sedecim, vt Plinius, tredecim, vt Agellius est auctor, talentis emptum, hoc est, trecentis duodecim millibus HS. quæ apud nos ex Plinij sententiâ efficiunt nouem millia sexcentos aureos. vt vnus aureus viginti victoriat, seu quadraginta numis sestertijs æstimetur: ex Agellij septem millia octingentos; eum Bucephalum, vel Bucephalam (vtrouque modo Græcis scribitur βυκεφαλῶ & βυκεφάλας) dictum vult Plinius ab ingenti vultus toruitate, quod velut taurum referret, vel ab insigni bouis, armo equi impresso. Strabo l. 15. etiam à bouis similitudine nomen accepisse tradit: Ἐγκαλεῖτο δὲ βυκεφάλας ἀπὸ τῆς πλατύς τῆς μετώπῃς. Dicitur est autem à latitudine frontis.\* Solinus: Alexandri M. equus, Bucephalus dicitur, siue de aspectus toruitate, seu ab insigni; quod taurinum caput armo inustum ferebat, vel quod è fronte eius quedam extantium corniculorum mina protuberabant, cum ab equario suo aliàs etiam molliter sederetur, accepto regio stratu, neminem unquam alium præter dominum uehere dignatus est. Documenta eius in prælijs plurima sunt, quibus Alexandrum è durissimis certaminibus sospitem opera sua extulit: quo merito effectum est, vt defuncto in India exequias rex duceret, & supremis sepulchrum daret: urbem etiam conderet, quam in nominis memoriam Bucephalam nominauit. Agellius tamen, & capite, & nomine Bucephalum fuisse prodidit. Verus & Græcus Aristophanis scholiastes negat à forma bouis appellatum, sed à caractere bouis inusto: οὐ γὰρ, inquit, βυκεφάλας ἵππος καλεῖται διὰ τὸ μορφήν τοιαύτην αὐτῆς ἔχειν, ἀλλὰ διὰ τὸ οὕτως ἐγκεχαράχθαι, ὡς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τῷ μακεδόνῳ ὁ ἵππος ἦν. Negat & Ioannes Zetzes, vt infra leges. De hoc ergo in hæc verba \* Plutarchus. Cum Bucephalan Philonicus Thessalus ad Philippum duxisset tredecim talentis venalem, descenderunt ad equum probandum in campum. Videbatur autem morosus & perquam tractatu difficilis, neque quemquam admittebat in sedem, nec vocem ferebat vllius Philippi comitum, verum in omnes insurgebat. Igitur ubi pertasus Philippus abduci iussit quasi omnino ferum & indomitum, assistens Alexander ait, quem equum perdunt isti, qui propter imperitiâ & mollitiem tractare eum nequeunt. Id primum tacitus Philippus tulit; at crebrius cum obloqueretur & angeretur; culpas tu, inquit, maiores natu, quasi peritior sis, aut tractare equum noueris rectius? Hunc certè melius, inquit, alijs tractè. si non tractes, inquit Philippus, quam pœnam pendes temeritatis? ego hercle, inquit, precium equi dependam, Alexander. Hic risus consecutus est, inde sponsio inter eos, de pecunia. mox accurrit ad equum Alexander, correptus quæ habentis conuertit eum aduersus solem, aduerterat nimirum, quod incurrentem & agitatam ante oculos umbram cernens percelleretur. Tum molliter eum ad procursum incitauit ac permulsit, quem ubi ferocientem vidit & exultantem, abiecta leniter chlamyde insilijt in eum. & nullo negotio conscendit, frenum autem placidè habentis capiens sine verberibus vel calcaribus impetum eius repressit. vt ferocia lenita equum currere gestientem vidit, admisit iam eum, vocem quæ ferociorem, ac pedum pulsam adhibuit. Hic Philippi comitatum sollicitudo primum ac silentium incesit: vt flexit, & rirè conuertit equum glorians ouans quæ, ceteri omnes applausere: patri verò manasse etiam aliquantulum gaudio lachrymas ferunt. at postquam desilijt ex equo, caput eius osculatus, quere, inquit, fili, par tibi regnum, siquidem non capit te Macedonia. Porro in genium bucephali propius ad humanum videtur accessisse & sensisse (velut Martialis leones & eiusdem elephas, vt & Pori) cui domino seruiret. Bucephalus, inquit,

VII. Scriptores fere omnes Alexandri M.

Plutarchus. Agellius l. 9. c. 1. And. Schortus. p. 89.

VIII. In vita Alexand. Gellio; Plinio; Curtio; alijs.

\* cap. 47.

In nubis p. 123. Idem Italus auctor de re equestri p. 12. & seq. & Mr. Fuggerus de cura equorum p. 17. \* Tom. 1. p. 667.

Mart. epig. 17. Amph. L. 1. epig. 105.

Lib. 5. c. 2.

quit Plutarchus, nudus conscendendum se equisoni suo praebebat: ornatus autem regij's phaleris & bullis neminem, excepto Alexandro, admittebat: ceterorum si quis accederet tentandi gratia, aduersus occurrens magno cum hinnitu insiliebat, ac conculcabat, nisi quis fuga saluti consulisset. Idem Agellius scripsit, Super hoc equo, inquit, dignum memoria visum, quod ubi ornatus erat armatusq; ad praelium, haud unquam inscendi sese ab alio, nisi à rege passus sit. id etiam de isto equo memoratum est; quod cum in eo insidens Alexander bello Indico & facinorosa faciens fortia, in hostium cuneum non satis sibi providens immisisset, coniectis undique in Alexandrum telis, vulneribus altè in ceruice atque in latere equus perfossus est: moribundus tamen ac propè iam exanguis è medys hostibus regem viuacissimo cursu retulit: atque ubi eum extra tela extulerat, ilico concidit, & deinde iam superstitis securus, quasi cum sensus humani solatio, expirauit. Tum rex Alexander, parta eius belli victoria, oppidum in iisdem locis condidit, atque ob equi honores bucephalon appellauit. Et Curtius addit, spontè submisisse genua regi ascendenti, Bucephalon, inquit, vocabant, quem Alexander non eodem, quo ceteras pecudes, animo aestimabat, nunquam ille, nec dorso insidere suo patiebatur alium, & regem cum vellet ascendere, spontè genua submittens excipiebat, credebaturq; sentire quem ueheret. Sed permirum est, quod Ioannes Tzetzes de Bucephalo narrat, illum homines depasci solitum; Ita enim Tzetzes:

Lib. 9. p. 281.

Τὸ βυκεφάλῳ σύμπασαν ἔχεις ἰσθρίαν,  
ὡς ἰππῶ ἢν ἀπὸ βαλῶν ἀνθρώπων χατεδίωρα.  
μόνα τῶ μακεδόνι δὲ ὑπέκων Αλεξάνδρω,  
τὴν βυκεφάλα κληῖσιν δὲ τοῖσδε πρόπως ἔσχε  
βοῶς ὡς ἔχων κεφαλὴν ἐπὶ τῶ μικρῶ σφαγίδα,  
ὃ μὴν βοῶς ἐκέλητο ἢ κεφαλὴν, ἢ κέρα.

Bucephali uniuersam habes historiam,  
Quod equus esset indomitus, homines comedens,  
Soli autem Macedoni cedens Alexandro,  
Bucephali autem nomen hoc modo habuit,  
Bouis tanquam habens caput in fœmore signaculum,  
Haud verò bouis habuit, vel caput, vel cornu.

Cuius formam ex Romanis monumentis hic subiicio.

## IX.

In eius vita p. 666. B. C.

Optimo iure inter admiranda Alexandri, & hoc ponitur, quod corpus eius semper dum uiueret gratissimum spirarit odorem: Odorem, inquit Plutarchus, ex cute eius gratissimum afflasse, os eius totumq; corpus reddidisse fragrantiam, quam interiores tunicæ retinebant, in commentarijs Aristoxeni legimus. In causa fuit fortassis feruidum & igneum corporis eius temperamentum. Gignitur enim odoris suauitas (vti Theophrasti est opinio) concoctis à calore humoribus. vnde aridi & feruidi tractus plurimas & optimas species edunt: exhaurit enim sol humorem in summis corporibus existentem, & putredinis materiam. Et idem sympos. quæst. 6. l. 2. De natura odoriferorum plura noster P. Gaspar VVenkius disput. de miris mutationibus n. 19. p. 18. Nec minus admiratione dignum est, quod Curtius testatur, de corpore Alexandri, quod etiam à morte septem totos dies in summo cœli & æstus ardore incorruptum perduravit. *Vt tandem,* inquit, *curare corpus exanimatum amicis vacauit, nulla tæbe, ne minimo quidem liuore corruptum videre, qui intrauerant. Vigor quoque, qui constat ex spiritu, non destituerat vultum. Itaque Aegyptij Chaldaiq; iussu corpus suo modo curare, primo non sunt ausi ad-mouere velut spiranti manus: deinde precati, ut ius fasq; esset mortalibus attrahere eum, purgauerunt corpus, repletumq; est odoribus.*

Curt. l. 10. c. 14. Elianus triginta diebus in sepulchrum iacuisse refert. Var. 12. c. 64.

X. Plutarchus in vita eius,

Cum se bello accingeret, Orphei signum apud Libeithra, quod Cupressinū erat, sub ea tempestate copioso manauit sudore. Eo portento omnibus exterritis, bono animo iussit illum Aristander esse, res eum gesturum nunquam obliterandas, ac celebres, quæ multum sudoris & laboris decantantibus poëtis & musicis essent prabitura.

Vnde-

CONTIGERE CAP. VIII.

Vndecimum meritò cenferur, quòd cum in Liberi Patris loco facris operaretur, flamma supra templi fastigium elata ad cælum vsque ferretur. Suetonius prodigij huius auctor in Octauio Augusto: *Octauia postea cum per secreta Thracie exercitum duceret, in Liberi Patris loco barbara caremonia de filio consulenti, idem affirmatum est à sacerdotibus, quòd infuso super altaria mero tantum flamma emicuisset, ut supergressa fastigium templi ad cælum vsque ferretur: vniq; olim omnino Magno Alexandro apud easdem aras sacrificanti simile prouenisset ostentum.*

XI.

Cap. 94.

Priusquam in Asiam moueret Alexander, quam tamen iam animo complexus, de ratione duntaxat traiciendi exercitus bellique gerendi modo, apparatu, numero & copijs, sollicitè cogitabat, cùm illi se Deus haud dubiè per cælitem in cultu Pontificis Hebræi per quietem ostendit, & cunctantem hortatus est, vt in Asiam traiceret, se ductorem fore, & Persarum imperium illi traditurum. Iosephi verba leges infra ad lib. 3. Curtij c. 19. vbi explicantur etiam, quæ Alexandro Hierosolymis egerit, cùm illi Iaddus sum. Pont. cum tota vrbe candidata occurrerit, quem rex omnibus admirantibus adorarit. Illud quoq; ex Danielis cap. 7. de quatuor bestijs non omittendum, ex quo loco D. Hieronymus ostendit, Alexandro nostro à Deo tantum imperium cõmissum. Comparatur ibi rex pardo animali velocissimo & violento. Et quia in Iudæorū mentionē incidi, cõiungam, quod eidem Alexandro, cum Iudæos Caspijs montibus includeret, vsu venisse traditur, verène an falsò, haud sanè satis dispicio: rem ego semper puræ putæ fabulæ similem iudicauit, iudicoque hodie, sed quia narratio multos cùm prius, tùm recentes habet auctores, subducere lectori eiusdè cognitionem nolui. Non est ignotum, quòd literæ sacræ tradunt, & Iosephus narrat, decem Israëlitarum tribus ab Salmanassare Assyriorum rege è Samaria translatas in Mediam, nunquam in patriam reuersuras. Has Alexander in Media repertas Caspijs portis inclusisse fertur, vt nunquam inde pedem referre possent, montes enim ad ipsius præces coisse, vt viæ prorsus inuix redderentur. Cùm alioquin iuga montium illic angustias tantas efficerent, vt vix singula plaustra cõmearent: Ita enim Plinius, *Causa portarum, Caspiarum nempe, nominis eadem quæ supra interruptis angusto transitu iugis, ita vt vix singula meent plaustra, longitudine VIII. m. pass. toto opere manu factò, dextera lauaq; ambustis similes impendēt scopuli, sitiētē tractu per XXXVIII. mill. pass. angustias impedit corruatus salis è cauitibus liquor, atque eadem emissus prætereā serpentium multitudo, nisi hyeme, transitum non sinit.* Et Curtius, *Namque per tua vallis iacet vsque ad mare Caspium patens. duo terræ eius velut brachia excurrunt, media flexu modico sinum faciunt, luna maxime similem, cùm eminent cornua nondum totum orbem sidere implente.* His ergo faucibus inclusos aiunt Israelitas ab Alexandro hunc in modum, vt refert Methodius scriptor antiquus, non tamen ille nobilis & S. Martyr & Tyri Pontifex, quem laudat Photius, qui Sancti illius opera recenset, sed huius scripti nullam facit mentionem: in scriptio tamen etiam Sancti nomen & Episcopi Patarorum præfert his verbis: τὸ ἀγία μεθόδῳ πατρῶν ἐπὶ τῶν βασιλέων. Hic ergo hæc de Alexandro, καὶ ἀνῆλθεν εἰς τὴν θαλάσσιον, \* &c. *Descendit vsq; ad mare, quòd vocatur regio solis, vbi conspexit gentes immundas & aspectu horribiles. Sunt autem ex filijs Iapheth nepotes, quorum immunditiam videns exhorruit: comedebant enim hi omnem bestia speciem, omne conquinabile, id est, canes, mures, serpentes, morticinorum carnes, abortiua, & ea quæ in aluo nondum per lineamenta coagulata sunt, vel ex aliqua parte membrorum producta. compago formam fragmenti possit perficere, formam vel figuram exprimere iumentorum, nec non etiam & omnem speciem ferarum immundarum, mortuos autem nequaquam sepeliunt, sed sæpe comedunt illos. Hac verò vniuersa contemplatus Alexander M. ab eis immunditer & sceleriter fieri, timens ne quando exilientes in terram sanctam, & illam contaminent à pollutionibus & iniquissimis affectionibus, deprecatus est Dominum Deum, vt coniungeret montes, & præcipites congregauit eos, omnesq; mulieres eorum & filios, & omnia scilicet castra eorum & duxit eos de terra Orientali & conclusit, minans eos donec introissent in finibus Aquilonis, & non est introitus, nec exitus ab Oriente vsque in Occidentem, per*

XII.

4. Reg. c.

17.

Ioseph. l. 9.

ant. c. 14.

Lib. 6. c. 14.

Lib. 6. c. 7.

p. 256.

Solinus.

\* Intelligit

Caspium

mare.

Verus in-

terpres

vertit bar-

bare.

quem aliquis posset ad eos transire, vel ipsi exire. Continuo ergo supplicatus est Dominum Deum Alexander, & exaudiuit eius obsecrationem, & praecepit Dominus Deus duobus montibus, quibus est vocabula Vera Aquilonis. & adiuncti proximauerunt ad inuicem vsque ad duodecim cubitos, & construxit portas areas inter illos, & superinduxit eas Assurim, ut si voluerint eas patefacere cum ferro, ut non possint, aut dissoluere per ignem, nec valeant utrumque, sed statim ignis omnis exinguitur: talis est enim natura assurim, quia neque ignis suscipit resolutionem. Vniuersas adinventiones damnorum & calliditates mortiferas & superuacuas operantur haec obscaenissima diffformes & sordida gentes, vntas, magica arte malorum vtuntur, immunditer etiam viuunt in his in quibus sordida & inhumana pollutio est (magis enim & competenter dicitur) Deo odibilis. Destructa sunt maleficia eorum ita, ut non possint neque cum ferro, neque per ignem, vel cum qualibet alia astutia easdem refecare, vel aperire portas & fugere. In nouissimis vero temporibus secundum Ezechielis prophetiam, qua dicit. In nouissimo die consummationis mundi exiet Gog & Magog in terram Israel, qui sunt gentes & reges quos reclusit Alexander Magnus in finibus Aquilonis, & in finibus septentrionis, Gog & Magog, Mosach, & Thubal, & Anog, & Ageg, & Atherual, & Epher, & Pothim Hei, & Lybij, & Cunei, & Charitei, & Ceblei, & Lamarchiani, & Cachamy, & Amaharta, & Agrimar di, & Alan, & Anusagi, qui dicuntur Cynocephali, & Caribai, & Thasbei, & Phisolonici, & Arcenei, & Saltarei. Hi viginti quatuor reges constituti reclusi intrinsecus portarum. In reditu vero de istis gentibus Alexander a pueris suis extinctus est veneno.

Laudatur etiam Iosephus Iudaeus eiusdem historiae (seu fabulae) enarrator. Sed ego nec in Graeco codice scriptorum Flauij Iosephi, nec Latino Graeci interprete quicquam horum deprehendi. Iosephus enim Matathiae filius Graece non Hebraice scripsit, etsi quidam Rabini contra nitantur. Est alius Iosephus Gorionis filius, qui quaedam apocrypha Hebraice conscripsit, Basileae ex mendoso & corrupto codice editus, qui haec verba continet de Alexandro: Postquam autem Alexander diuisit terram, clausit cognationes Aquilonares vectibus ferreis & adificijs fortissimis porrectis vsque ad mare, ne unquam egressi perderent terram & dominium eius. Hebraea voce ita:

Bellarm. de scriptorib. Eccles. p. 38, l. 30. 1.

וְאֵלֶּיךָ אֱלֹהֵי אֲבוֹתֵינוּ אֵלֶּיךָ חָא רַצְנוּ  
אֵת מִשְׁפַּחֹת צְפוֹנָה בְּכַרְיֹתֵינוּ בְּרֹזֶל וּבְכִנְיֹן  
וְעַד מֵאֵר עַד יָם לְכַלְתֵּי יִצְחָן וַיִּשְׁחֲרוּ  
אֵת חֲאֲרָצֵינוּ וְאֵת מִמְשַׁלְתֵּנוּ

Petrus Comestor, qui anno CIICL. vixit, & scholasticam historiam scripsit, eandem fabulam, ut ego quidem censeo, ex Gorione reor, quanquam nostrum exemplar, quod mutilum est, illam non nisi duobus versibus attingat. Sed Comestorem audiamus, vel narrantem, vel fabulantem: Itaque cum venisset Alexander ad montes Caspios, miserunt ad eum filij captiuitatis decem tribuum, Ex edicto autem tenebantur egredi non licere, postulantes ab eo egrediendi licentiam; cumque quasisset causam captiuitatis, accepit eos recessisse aperte a Deo Israel vitulis aureis immolando, & per prophetas Dei predictum eos a captiuitate non redituros. Tunc respondit quod arctius eos includeret, cumq. angusta viarum obstrueret molibus bituminatis, videns laborem humanum non sufficere, orauit Deum Israel, ut opus illud compleret, & accesserunt ad se inuicem praeupta montium, & factus est locus immeabilis; ex quo liquido apparet non esse Dei voluntatem, ut exeant; egredientur tamen circa finem mundi, magnam hominum stragem facturi, & ut ait Iosephus, Deus quid factururus est pro fidelibus suis, si tantum fecit pro infidelibus?

p. 168. in hist. Hebraeae c. 5.

Comestorem secutus est Vincentius Bellouacensis post annos centum, eandem fabulam iterum verbis Comestoris refert, pauculaque addit è Solino de portis Caspijs. Nec opus pluribus; nullus huius apologi idoneus est auctor, Methodius suppositivus est, vti verè sentit Bellarminus, & res ipsa falsa que miracula docent. Iosephus non est ille Flavius, sed Gerionis filius, qui apocrypha multa suis asperfit chartis, Comestor sæpè incerta narrat, Bellouacensis est plenus fabulis. Itaque hoc mirum extra mira est, refutationis potiùs causa, quàm narrationis propositum.

Iucundius est quod sequitur, auctore Maximo Valerio, de Agasone Lampsa- XIII.  
ceno; cum traiecto Helleponto non procul Lampsaço abesset Alexander, oraculo iussus est primum ex vrbe occurrentem, vt victimam mactare: occurrit asinarius; sed audiamus ipsum Valerium optimè rem exponentem: *Cùm Alexander, inquit, Macedonum rex sorte monitus, vt eum, qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici iuberet; asinarium fortè ante omnes obvium factum ad mortem arripi imperavit: eoq; quarente, quidam se immerentem capitali supplicio innocentemq; addiceret; cùm ad excusandum factum suum oraculi preceptum retulisset, asinarius, si ita est, inquit, rex, alium fors huic morti destinavit: nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrat. Delectatus Alexander & illius tam callido dicto, & quòd ab errore ipse reuocatus erat, occasionem in aliquanto villore animali expiander religionis rapuit. Summa in hoc cum calliditate mansuetudo; summa quoque in alterius regis equisone caliditas.*

Hoc verò quod sequitur, propè diuinum est, imò planè diuinum, vt Calli- XIV.  
sthenes, Arrianus, & Flavius Iosephus tradunt. Cùm Alexander ad mare Pam-  
phylium venisset, cesserunt vndæ Macedonibus transiuris non secus atque Lib. 2. ant.  
Israëlitis mare Erythræum, quod Iosephus his verbis testatur. *καὶ ὑπεχώρησεν (Mace c. vii. pag.  
donibus) τὸ παμφύλιον πῆλα γῆς, καὶ ὁδὸν ἄλλην οὐκ ἔχουσι παρέσχεν τὴν δι' αὐτὸ καταλύσαι τῶν 347  
περσῶν ἡγεμονίαν τῷ θεῷ θελήσαντι. καὶ τῆτο πάντες ὁμολογῶσιν αἱ τὰς Αλεξάνδρου πράξεις συγγραψά-  
μενοι.*

Hæc ex Iosepho Brodæus, qui id à Plutarcho & Arriano præteritum affir-  
mat, secus habet, Plutarchus enim hoc tantùm dicit, id inflatus ab alijs scri-  
ptum, Arrianus non sine numine traiectum docet. nos plura ad cap. 1. lib. 3. Q.  
Curtij.

Cùm Alexander in Lyciam venisset, per id tempus prope Xanthum opi- XV.  
dum fons inibi exundabat, aream que tabellam egresserat, in qua per antiquis  
characteribus scriptum erat, imperium Persarum à Græcis dissolutum & oc-  
cupatum iri.

Nec tacendus nodus Gordius, quem omnes Alexandri Biographi celebrant, XVI,  
de quo oraculum ferebatur, illum tota Asia potiturum, qui implicitum & in-  
tricatum illum nexum expediret. Alexander ergo cùm in eo soluendo aliquan-  
diu laborasset, tandem ferro abrupit, atque ita vel expleuit oraculum, vel elu-  
sit. de quo infra lib. 3. c. 2. copiosè differrimus.

Tyrum accedamus, ad quam multa & admiranda cùm Tyrijs, tùm Alexan- XVII.  
dro prodigia ostensa, quæ expugnationem regi, Tyrijs exitium, quamquam  
non intelligentibus, & omnia in hostem auertentibus portenderunt. Illis dum  
fornacibus ferrum & tela cuderent, è caminis sanguinis riui profluxere. Apollo  
ex vrbe cedere velle auditus, & aureis vinculis & clavis ne fugeret affixus, bel-  
lua ingens è mari emersa ad Alexandri aggerem se applicuit. panis in Alexan-  
dri castris à militibus fractus ex medulla guttas sanguinis emisit, Hercules in  
mœnibus Tyri visus, Alexandrum in vrbem inuitabat. Quæ omnia Curtius Lib. 4. c. 6.  
describit, & fusiùs à nobis illo loco explicantur. Sed Plutarchus oraculum in- 7. 9. 11. 13.  
geniosum appingit de Satyro, quem ait Alexandro ad fontem per nocturnam 8. 10. 11. 12. 13.  
piores.

speciem oblatum, cuius interpretationem ipse addit: *ἐτέραν δὲ ὄψιν Ἀλέξανδρος εἶδεν κατὰ τοὺς ὑπνίους· σάτυρον αὐτῷ φανείς ἐδόκει προσπαύσειν πόρρωθεν εἰτα βυλομένῃ λαβείν, ὑπεξέφυγεν. τέλος δὲ πολλὰ λιπαρήσαντο καὶ περιδράμοντι, ἡλθενεῖς χεῖρας. Οὐδὲ μόνιμους τὸ νομα διαγυρνῆτες, οὐκ ἀπιθάνους ἐφασαν αὐτῷ σὴ γενήσεται τὸς καὶ καὶ κρήνην δὲ λεῖα δεικνύουσιν πρὸς ἡν κατὰ τοὺς ὑπνίους εἶδεν εἶδεν τὸν σάτυρον.* *Alia species est noctu Alexandro obuersata: Satyrus ei oblatus est, visus est hic procul eū alludere, quem cum corripere conaretur, subducere se; tandem post preces multas suas, & circumcursationes, venire in manus suas. Ei vates dissecto nomine non absurde responderunt, Tua erit Tyrus. quod σα Græcè tua significet. Ostendunt fontem apud quem videre secundum quietem visus est Satyrum.*

XVII.

Iam ad Ammonem properanti multa mirissima in itinere, ipsoque oraculo euenere suo nobis loco pro copia enarrata. hic tantum coruos via duces, aut dracones, vt nonnullis placet, laudamus, & imbrem repente iam siti deficientibus largissimè contra loci, temporis, & soli naturam effusum. Error quoque sacerdotis Iouis iucundus regi & diuinitus credebat̄ obiectus, cum vellet vt grandis natu Pontifex Alexandrum iuuenem Græcè *παῖδιον filiolum* appellare, *παῖ Διὸς* dixisse fertur *nate Iouis*. Quæ an ex composito, an casu facta sint, in medio relinquo; ego conficta potius arbitror, vt apud hoc genus hominum nihil sincerum.

XIX.

Alexandriam molienti multa mira ostendere felicitatem & opes futuræ vrbis, polenta, inquam, ab aibus depasta, quæ aduenarum portendebant copiam, qui ad mercatum Alexandriam ex varijs partibus orbis properaturi sint. Situs quoque ad insulam Phari ostensus est Alexandro quiescenti ab Homero pronuntiatis duobus versibus, quos infra posui.

XX.

Ælian. l. 15.  
cap. 21.

Draco ingens cubitos septuaginta longus, oculis ad modum magni & rotundi clypei Macedonici ingentibus, qui caput ex immani antro protulit, & horrifico squamarum strepitu & terrifico tantum non exanimauit exercitum transeuntem.

XXI.

Eratosthenes quoque auctor est apud Plutarchum, calones & lixas, quæquæ castra sequuntur seruitia Alexandro omen futuræ ad Gaugamela pugne extremæ præbuisse, cum prius omnes in duas diuisi partes glebis & sudibus congressi, vix possent amplius dirimi, alteramque Alexandri, alteram Darij personam egisse, iustosque demum ab Alexandro solos duces congregari, quorum alterum armauit Alexander, alterum qui Darij partes sustinebat, Philotas, atque acerrimè inter se depræliatos, Darij demum ab Alexandro victum, atque præmij loco Alexandrum septem vicis donatum & iure stolæ Persicæ gestandæ.

XXII.

Accessit alterum omen, quod milltem Alexandri vehementer terruit, luna, cum pleno ore sub exortum noctis læta risisset, repente hebescere, nitorem condere, & suffusa sanguine lumen omne cœdare cœpit. Sed Alexander vocatis Ægyptijs, qui siderum naturam, solisque & lunæ labores optimè cognorant, docet principes exercitus, lunæ defectionem semper Persis exitialem, solis noctem Græcis exitium portendere, idque vates exemplis ab omni antiquitate petitis demonstrauere.

XXIII.

Tertium fuit, cum iam in prælium ruentis aquila supra Alexandri verticem sublimis volaret, & cursum recta in hostem dirigeret, quod spectaculum mirifice militum studium, fiduciam & ardorem præliandi accendit.

XXIV.

Polyæn.  
l. 4. nu. 25.  
Plurarch.  
in Alex.  
epiofius.

Nec hoc inter admiranda censerem non potest, quod Polyænus tradit, Alexander per aridam & expertam aquæ viam iter faciens, maximè siti laborabat, itemque Macedones speculatores regionis cum in cauo saxo pauxillum aquæ reperissent, eam in galeam impositam Alexandro artulerunt. ille ostendens exercitui, vt apparente aqua bonum animum gererent, neque aquam ipse bibit, sed in omnium oculis & conspectu galeam effudit. Macedones clamore sublato iusserunt, vt ipse viam præcederet, fortiter siti resistentes ob regis continentiam atque

que

que tolerantiam. Cuius generis exempla habemus in Dauide rege, Theodosio iunior, Carone Vticensi.

Cum Susidas fauces oppugnaret, & aliquandiu ob loci situm frustra fuisset, XXV.  
duc Lyco peregrino, quem illi oraculum submisit, in superiora per occulta via- Idem Polyænus num. 27. & Plutarch.  
rum euasit, & portas occupauit.

Multa apud Indos cum Gymnosophistis contulit, propositis decem problematis, ad quæ qui ineptissime respondiſſet, inſcitiam morte lueret: ſed hæc prolixiora ſunt, quàm vt hic deſcribantur, quæ in commentario ſuo loco ex Plutarcho recognoſces. Omitto etiam quæ Nearchus ex luſtrato Oceano retulit, & quæ ad Babylonem redeunti Alexandro prodigia ominoſa & mortis nuncia ſunt oblata, ad finem commentariorum ponenda. Nec ignoro multa alia in fabuloſa Alexandri hiſtoria portenta legi, iureque à nobis negligi, nihil in literas, quod auctore iuſto fideque careat, mittere conſuetis. XXVI.

Nec omittendum quod Siculus & Curtius meminerunt, vt infra ſuo loco copioſius oſtendemus. Ptolemæus Lagi Alexandro in paucis charus, qui poſtea in Ægypto regnauit, telo ab hoſtibus veneno illito iectus, vita periclitabatur, cui Alexander oſtenſa per ſomnum diuinitus ſalutari herba medicinam fecit, & iam iam ad plures properantem inter viuos ſeruauit. De hac tamen realiter Strabo in 15. p. 497. Cicero idem narrat lib. 2. de diuin. XXVII.

Multo minus quod ſequitur, tacendum. Cum rex ad Oxum flumen accendiſſet, & Proxenus merator caſtrorum pro regio tabernaculo terram foderet, fontem pinguis olei detexit, cumque primum liquorem exhauſiſſet, tum verò liquidiſſima puriſſimi olei vena ſecuta eſt; quæ res omnes admiratione, regem ingenti etiam gaudio affecit; ſed prodigio ad vates relato, reſponſum eſt, glorioſum quidem & illuſtre, ſed periculoſum & laborioſum bellum imminere: ad labores enim mitigandos à Deo mortalibus oleum indultum. Alexander autem in literis ad Antipatrum hoc ſingulare Dei munus prædicat, quod ille locus alioqui nullas oleas alar, vt Plutarchus teſtatur. Curtius lib. 7. c. 25. de fonte aquæ, non olei, meminit. *Quarto die, inquit, ad flumen Oxum peruentum eſt, hic quia limum vehit, turbidus ſemper & inſalubri eſt potui. Itaque puteos miles cæperat fodere: nec tamen humo altè egeſta exiſtebat humor. Cum in ipſo tabernaculo regis conſpectus eſt fons, quem quia tarde notauerant, ſubito exiſtiſſe finxerunt, rexque ipſe credi voluit donum id fuiſſe (Deum.)* XXVIII.

Non tamen hoc, quod inter mira propè maximè mirum videri poteſt, quodque de nullo alio principe, rege, aut imperatore factum lectumque memini, ſilentio transmittendum: Septuaginta vrbes ab Alexandro conditas, atque inter has octodecim Alexandrias ab Stephano enumeratas; quarum prima eſt in Ægypto omnium maxima & celebratiſſima, oraculo condita, dicta etiam Racotis, & Pharos, & Leontopolis, quod Olympiadis vterus leonis imagine ſignatus eſſet Philippo patri viſus, cum vxor concepiffet. Appellata eſt & per excellentiam πόλις, vt à ſeu Athenæ, & vrbs, Roma. altera Troiæ, patria Hegemonis poëtæ epopæi, qui bellum Lacedæmoniorum, & Thebanorum Leuclricum deſcripſit. tertia Thraciæ, haud procul Sparta, quam condidit cum ſeptimum decimum atatis annum ageret. quarta apud Neartas Ichthyophagos, dum Indiam nauigio obiret. quinta in Opiana apud Indos. ſexta rurfus in India. ſeptima apud Arios Indicam gentem in Parthyænis. octaua in Cilicia, nona in Cypro. decima in Latmo Cariæ, in qua Adonion erat, vbi Praxitelis Venus ſeruabatur. vndecima apud Baçra, duodecima, apud Arachotas. XII. in Maracene, quam alluit amnis Maxates. XIV. apud Sorianos Indicam gentem. XV. apud Arachotas rurfus Indiæ finitima. XVI. ad ſinum nigrum. XVII. apud Sogdianos ad Paropamiſadas. XVIII. ad Tanaim. Eſt & in Ida locus ad Troiam Alexandria dictus à Paride, vbi iudicium de arum celebratum eſt. XXIX.

Alexander cum ad Indos veniſſet, ab regina Candace in priuati habitu de- Suidas.  
prehenſus & captus eſt, ad quem regina, Alexander rex, tu orbem terrarum ce-  
piſti, nunc à foemina detentus es, cum qua Alexander & foedus pacemque ſan-  
xit,

xit, prouinciamque eius intactam seruaui. Hanc tamen narrationem non immerito suspectam & fabulosam nonnulli iudicant.

cap. 94:

Quale ostentum Alexandro M. in Liberti templo apud Thracas sacrificanti prouenerit, docet \* Suetonius in Augusto. Plura lib. 10. de portentis mortem illi proximam denunciantibus.

## CAPVT IX.

## Qui honores Alexandro uiuo mortuoque habiti sint.



**E** omnibus, quæ Alexandro M. honorificè contigerunt, nihil ego illustrius & magnificentius reor vñ venisse, quàm quod apud omnem posteritatem id nomen sit consecutus, vt ab omnibus propè scriptoribus in exemplum velat vnicus, & maximus orbis imperator traheretur, ita vt neminem aliquem reperirent, qui cum suis duces, reges, imperatores, quos vel panegy-

ricis laudationibus celebrare, vel funebribus epicedijs colere, vel publico rerū publicarum & urbium nomine salutare volebant, dignius quàm cum Alexandro M. componerent: quod equidem veris rationibus rem æstimantibus multo amplius & honorificentius est, quàm vel colossos, vel statuas posuisse, vel excellos obeliscorum apices erexisse, vel ingentium pyramidum metas cælo admouisse, vel arcus triumphales exædificasse, vel templorum moles in cælum eduxisse, in quæ monumenta, vel tempestas fulminum defæuit, vel temporum longinquitas, quæ dissoluit omnia, ius suum exercet, vel bellorum clades terrarumque concussiones & tremores euertunt. Nec satis fuit Alexandro, hos ab rerum scriptoribus consensu honores consecuto; ipsi summi Imp. vnum sibi proponere Alexandrum, vnum æmulari, vnum æquare studuerunt, vt superarent, simul omnes omnibus sæculis desperarunt. Maximus ille habebatur, qui proximè hunc rerum gestarum magnitudine assequi videbatur, quem vnum Cæsarem scimus, cæteri omnes longis parasangarum interuallise undem secuti sunt. De Pompeio Sallustius testatur, qui prima, inquit, adolescentiæ sermone fautorum similem se fore credens Alexandro regi facta consilia, eius quondam æmulus erat.

in Frag. l. 3.

Lampri-  
dius Seuer.

Alexander Seuerus legit vitam Alexandri, quem præcipue imitatus est, quem inter Diuos & optimos in Larario maiore consecrauit.

Homil. 26.  
in post. ad  
Cor.

D. Chrysostomus Alexandrum ab senatu Romano inter Diuos relatum affirmat, & tertium decimum dictum inter Consentes Romanorum præcipuos Deos.

Cafaubon-  
nus ad  
Lampridiū  
p. 389.  
Xiphili-  
nus.

Antoninus Caracalla Imperator seipsum cum Alexandro composuit, & Orientalem Alexandrum appellauit. Ceterum erga Alexandrum ita erat affectus, vt armis poculisq. similibus ijs, quibus ille vsus fuerat, vteretur: eiq. compleres staturas in castris, atque adeo in vrbe collocauit, comparauitq. phalangem ex solis Macedonibus, in qua erant hominum sedecim millia, eamq. phalangem Alexandri cognominauit. Hi vtebantur eodem armorum genere, quo viuo Alexandro armati fuerant. Hac erant galea facta ex crudo bouis corio, thorax ex lino triplex, scutum ex ære, lancea longa, hasta breuis, crepida, gladius. Quibus rebus minimè contentus sese Alexandrum Orientalem Augustum appellauit: scripsitq. aliquando ad senatum, animum Alexandri in corpus Augusti introisse, vt quoniam illi fuerat vita breuis, in hoc viueret diutius. Philosophos, qui sunt Aristotelici nominati, tam magno est odio persecutus, vt voluerit libros Aristotelis comburere, atque Aristotelicis sodalitates & cætera commoda, quæ habebant in Alexandria sustulerit, criminatus eos, quod Aristoteles causam mortis Alexandri visus esset. Quumque hæc faceret, ducebat secum plures elephantos, vt in hac re Alexandrum, vel potius Dionysium imitari videretur. Igitur tanto amore prosequeretur Alexandrum & Macedones.



EXHIBITIS CAP. IX.

cedones, ut cum aliquando tribunum militum Macedonem collaudasset, quod insilisset in equum celeriter, interrogasset quæ primò curas esset, cum quæ intellexisset Macedonem esse, rogavit nomen, post ubi audiuit Antigonum esse, quaesierit ex eo, quod nomen fuisset patri, ut quæ ipsum inuenit Philippo patre natum, cuncta, inquit, qua cupiebam habeo: eum quæ, statim clarum reddidit apud reliquas legiones, nec ita multò post in senatorium & prætorium ordinem cooptavit. Alterum quoque cui nihil ret erat cum Macedonia, qui quæ magna scelera commiserat, ob ea quæ reus factus erat; postquam intellexit Alexandrum vocari, crebro quæ, accusatorem ita dicere: Homicida Alexander, Djs infestus Alexander; perinde iratus est, atque si ipse male audiret; Nisi (inquit) tibi satis erit de Alexandro dictum, perijsti.

Idem Spartianus de Caracalla memorat. Et de anime Alexandri transmigrati-  
one ex Pythagoreorum disciplina, etiam impius Iulianus credi voluit, Alexan-  
drum in se transmigrasse, & philosophi Maximi persuasione non minorem se  
de Persis victoriam, quam Alexander, reportaturum. ut ex antiquis Scriptori-  
bus Baronius ostendit anno CCCLXIII. Ad eò superbissimus quisque Imperato-  
rum volebat Alexander M. videri.

Paulus  
diaconus  
hist. mi-  
scell. lib. II.

Alexander rursus Seuerus, Alexandri M. habitu numos plurimos figuravit, &  
quidem electros, sed plurimos tamen aureos. Facit hoc quoque mirificè ad laudem  
Alexandri M. quod de nobilissima Macrianorum familia refert his verbis Pol-  
lio in Quietò Imperatore, Macriani Imperatoris F. Videtur, inquit, mihi non præ-  
termittendum de Macrianorum familia, quæ hodie quæ floret, id dicere, quod speciale sem-  
per habuerunt. Alexandrum M. Macedonem viri in auro & argento, mulieres in re-  
ticulis & dextrocherijs, & in anulis, & in omni ornamentorum genere exculptum sem-  
per habuerunt; eousque, ut tunica, & limbi, & penula matronales in familia eius hodie quæ  
sint, quæ Alexandri effigiem delicijs variantibus, monstrent. Vidimus proximè Corne-  
lium Macrum in eadem familia virum, quum cœnam in templo Herculis daret, pate-  
ram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiam  
contineret signis breuibus & minutis, Pontifici propinare: quam quidem circumferri ad  
omnes tanti illius viri cupidissimos iussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur iuvari in om-  
ni actu suo, qui Alexandrum expressum, vel auro gestitavit, vel argento. Ad quem locum  
Casaubonus, Alexandrum, inquit, multi Græcorum non secus, ac Deum sunt  
venerati. Erat autem moris simulacrum alicuius numinis, à quo iuvari se puta-  
rent, circumferre. Sic narrat Ammianus lib. 22. A sclepiadem philosophum, qui  
temporibus illis vivebat, Deæ cœlestis argenteum breue figmentum, quocun-  
que ibat, secum solitum afferre. Tale aliquid fuisse illud videtur, quod Apuleius  
habuit sudario linteo inuolutum: de quo multa ipse in Apologia.

Lampri-  
dus in Se-  
nero.  
Trebellius  
Pollio.

In notis  
P. 477.

Augustus Imperator, Alexandria cum corpus Alexandri è conditorio prola-  
tum inspexisset, corona aurea imposita, & floribus aspersis veneratus est. Con-  
sultus num & Ptolomæum inspicere veller, regem aut se voluisse videre, non mor-  
tuos, ac si Alexander viueret, aut regio nomine dignus censeretur.

Saetonius  
cap. 18. in  
Aug.

Quid de Cæsare dicemus, quem inspexita dumtaxat apud vltimas Gades, in  
templo Herculis, Alexandri imago ad res maximas incitavit. \* Suetoniū audi:  
Quæstori vltior Hispania obuenit: ubi cum mandatis prætoris iure dicundo conuentus  
circumiret, Gades quæ venisset, animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri  
immagine, ingemuit: & quasi pertusus ignauiam suam, quod nihil dum à se memorabile a-  
ctum esset in ætate, quæ iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuo  
efflagitavit, ad captandas quam primum matorum rerum occasiones in Vrbe.

\* cap. 7.  
A. V. C.  
DCL-  
XXXVII.

Augustus Imperator in diplomatibus, libellis & epistolis signandis vsus est  
immagine Alexandri M. Idem cum Alexandrini post urbem vi captam extrema  
se passuros existimarent, Augustus suggestum conscendit, adiuncto sibi Ario A-  
lexandrino, dixit se ciuitati parcere, Primum propter ipsius magnitudinem &  
pulcritudinem; Dein propter Alexandrum Magnum eius vrbis conditorem.

Suet. c. 51.

Nec vanè Mithridates ille ingens Ponti rex, & Romanorum cladibus illu-  
stris, apud Iustinum \* gloriatur se maternum genus ab Alexandro M. ducere.

\* lib. 38.

Iam verò rerum scriptores & panegyristæ omnes certatim vnum Alexan-  
drum veluti Imperatorum omnium, regum, & principum exemplum propo-  
nunt.

Pri.

Liuius  
Dec. 4.  
lib. 5.

Primum Liuius principe auctore teste Hannibal ipse rerum militiarum scientissimus & maximus Imperator Alexandrum omnibus omnino belli ducibus, qui vnquam fuerunt & belligerarunt, prætulit.

Idem non habuit quibuscum præstantissimos belli duces Reipub. Romanæ componeret, nisi Alexandrum, quem multitudine & temporum mora succubiturum putauit Romanis. Itaque agminatim producit Coruinos, Rutilios, Sulpitios, Torquatos, Philones, Cursores, Fabios Maximos, quibus tamen Magnus fuit maior; Decios, Volumnios, Curios, Quintios, Cornelios, Camillos; nec inuenit in omni ætate fortiolem & maiorem, quem suis ducibus opponeret.

\* In Cæs.  
& Pyrrho  
& lib. 2.  
de fortuna  
Alexan-  
dri.

Iam Tacitus eundem contendit cum Germanico, Agellius cum Scipione, Lampridius cum Seuero, Plutarchus \* cum maximis nominibus Romanorum Pompeio & Cæsare, idemque cum Hercule, Agamemnone, Achille, Vlysse, Diomedæ, Cyro, Agesilao, Themistocle, Philippo patre, Brasida, Pericle, Solone, Miltiade.

D. Chrysofostomus queritur apud Antiochenos repertos, qui aurea Alexandri M. numismata, tanquam morborum amuleta capiti & pedibus circumligarent. Tanta regis fuit etiam apud Christianos, quamuis hac in re superstitiosos, existimatio.

Lib. 2. de  
bellis ciui-  
lib.  
Senec. 1. r.  
de beacif.

Nec Appianus inuenit in Cæsare maiorem Alexandro: & Lucianus eundem Hannibali prætulit & Scipioni.

Nec Corinthij inuenerunt inter mortales quibuscum Alexandrum contenderent: itaque vni parem, vel maiorem Hercule censuerunt.

\* pag. 4.  
\* pag. 84.

Secuti sunt hos, seculi posterioris scriptores. Claudius Mamertinus a panegyrista, Maximianum suum contulit cum Alexandro. Themistius Eumenius, b & alij Constantinum M. cum eodem. Latinus Pacatus Theodosium M. Recentissimi quidam Alexandrum cum Carolo M. è recentioribus Vilalpandus cum antiquissimo & regum sapientissimo Salomone; alij etiam cum alijs. Sed est modus in rebus. Hæc nobis sufficiant.

Qua demum pompa transuectus sit Alexandriam, extremo libro decimo, recognoscas.

Nec mirum sanè à paganis illum pro Deo colentibus tot eidem olim colosofos, statuas, aras, templa condita, cum etiam pro numine passim coleretur.

## CAPVT X.

## Apophthegmata Alexandri M.

I.  
E Plutar-  
cho & alijs



N Philippi dictis nihil erat, quod præter vrbauitatem, non etiam ad bonos mores conduceret: nec video, quem Philippo iungamus congruentius, quàm filium Alexandrum. Is puer etiamnum cum Philippus pater multa præclare feliciterque gereret, nequaquam eo gaudebat, sed ad pueros æquales ac collataneos dicebat, Pater mihi nihil relicturus est. Illis contradicentibus, Imò hæc omnia tibi parat. Quid profuerit, inquit Alexander, si multa possidens, agam nihil? Iam tum cognoscas scintillam indolis ambitiosæ & irrequietæ.

2. Idem cum leuitate corporis ac pedum celeritate polleret, patri hortanti, vt in Olympijs stadium decurreret: Facerem, inquit, si reges habitu rus essem concertatores. Et hic agnoscebas excelsum, nec cuiquam facile cessurum in certamine laudis & imperij. Nondum erat rex, & tamen non dignabatur, nisi cum regibus committi.

3. Alexandro puero dijs largius facienti suffitum, ac subinde ad tus accurrenti, Leonides illius pedagogus, qui tum aderat: Heus puer, inquit, tum largè facies suffitum,

suffitum, cum regionē deuiceris, quæ thus gignit, Post cùm eam regionem obtinisset, memor eius dicti, hac sententia scripsit illi literas. Mitto tibi thuris & casia talenta aliquot, ne post hac parcus sis erga Deos, cùm non ignores nos potitos regione odores gignente.

4. Apud Granicum, Martem experturus hortabatur Macedones, vt affatim pranderent, veluti postridie ex hostium comœatu cœnaturi. Præsens animus ac de belli euentu fidens ac securus.

5. Perillus vnus ex amicorum Alexandri numero, filiabus suis ab Alexandro dotem petijt. Iussit rex illum capere talenta quinquaginta: cumque is respondisset, decem satis esse, Tibi quidem, inquit, satis est tantum accipere, mihi verò non satis est tantum dare. Præclare dictum, nisi virtutis indolem ambitio vitiaffet.

6. Anaxarcho Philosopho iusserat quæstorem dare, quantumcunque ille postularer, cumque quæstor audita postulatione turbatus Alexandro indicasset, philosophum petere centum talenta: Rectè, inquit, facit, sciens se amicum habere, qui tantum dare & possit & velit. Hic dubites vtrum potius admirari oporteat, regiã ne liberalitatem in donando, an philosophi, improbitatem in postulando: nisi malumus hanc vocare fiduciam.

7. Milesi cùm vidisset multas statuas eorum, qui in Olympijs, ac Pythijs vicebant, easque prægrandes: & vbi, inquit, erant tam magna corpora, cum barbari vestram urbem obsiderent? Salsè taxauit illorum stultam ambitionem, qui gloriarentur his, qui corporum magnitudine, viribusque præstantes in ludicris certaminibus victoriam reportassent, cùm in tantis periculis nulli fuissent, qui aduersus barbaros se tales præberent.

8. Cùm regina Carum Adas illud haberet studio, vt assiduò mitteret Alexandro opsonia, bellariaque per talium rerum architectos coquosque magna arte parata, Alexander ait, se ipsum habere meliores opsoniorum artifices, ad prandium quidem nocturnum iter, ad cœnam verò tenue prandium.

9. Quodam tempore cum omnibus ad prælium apparatus interrogaretur, nunquid aliud præter hæc fieri vellet: Nihil, inquit, nisi vt Macedonum barbæ radantur. Hoc dictum quid sibi vellet admirante Parmenione: An nescis, inquit, in prælio nullam ansam meliorem esse, quàm barbæ? Significabat cominus esse pugnandum, in quo genere certaminis barbæ officiant, quod his milites facillimè possunt apprehendi.

10. Darius obtulit has condiciones Alexandro, vt ab ipso acciperet talentorum decem millia, & insuper Asiam secum ex æquo partiretur. Id cum recusaret Alexander, Ego, inquit Parmenio, accepissem, si Alexander essem. Et ego, inquit Alexander, si Parmenio essem. Dario verò hunc in modum respondit. Neque terram duos soles, neque Asiam duos reges ferre posse. Et hic animi celsitudinem probare possis, nisi dictum impotentiam quandam dominandi saperet.

11. Cùm in Arbelis de rerum summa periclitaturus esset, conflicturus cum mille hominum millibus ad pugnandum instructis, adierunt illum milites aliquot ipsi beneuolentes, deferebantque cæteros, quod in castris inter se miscerent sermones conspirarentque, ne quid prædæ in regium tentorium deportarent, sed ipsi totum in suum verterent lucrum. His auditis subrisit Alexander: Fauista, inquit, nunciatis. Siquidem audio sermones virorum ad vindicandum, non ad fugiendum amatorum. Nec illum sefellit diuinatio: Plurimi namque milites regem adiere dicentes, Bono animo esto rex, neque metuas hostium multitudinem, ne pædorem quidem nostrum ferre poterunt.

12. Idem instructa iam ad prælium acie, cùm cerneret militem quendam id temporis amentum telo adaptantem, vt inutilem submouit ab exercitu, qui demum appareret arẽna, cùm his vtendi tempus adesset. Hoc inter stratagemata magis commemorandum erat, quàm inter apophthegmata, quemadmodum & hoc quod subiiciam.

13. Legebat Alexander epistolam à matre missam, quæ arcana quædam & calum.

lumnias aduersus Antipatrum continebat, simulque, vt solet, cum rege legebat Hephæstion, nec eum rex vetuit legere, sed perlecta epistola anulum signatorium è digito detractum ori illius appressit: hoc gestu admonens, vt arcana contineret. Exemplum insignis cum de amico fiducia, tum etiam humanitatis egregiæ, qui calumnias latius spargi noluerit, licet inuisum haberet Antipatrum.

14. In Ammonis templo, cum à vate dictus esset Iouis filius: Nihil inquit, mirum. Nam Iupiter omnium quidem pater est, sed ex his optimos quosque peculiariter suos facit. Modestissime interpretatus est oraculum: nam vates per adulationem dixit illum filium Iouis, quasi sic è Ioue prognatus esset, quemadmodum Hercules creditus est esse Iouis filius. Alexander fassus est Iouem natura autorem ac parentem esse omnium, sed eos demum peculiariter pro suis filiis agnoscere, qui virtute ac præclare gestis proximè ad diuinam naturam accederent. Ea est omnibus bene facere.

15. Cum in bello crus esset illi sagitta vulneratum, multique accurrerent qui ipsum frequenter Deum appellare consueuerant, exporrecta hilarique fronte ad Homeri carmen alludens dixit: Hic sanguis est quem videtis, liquorque qualis diuis solet emanare beatis. Nimirum irridens adulatorum vanitatem, cum ipsa res declararet ipsum nihil aliud esse quàm hominem. Alludit autem ad locum Homeri Iliadæ, vbi narratur Venus à Diomede vulnerata.

16. Nonnullis Antipatri frugalitatem laudantibus, quod alienam ab omnibus delicijs austeramque vitam ageret, Foris, inquit, Antipater albo vititur pallio, intus verò totus est purpureus. Notans fictam illius parsimoniam, cum esset alioqui ambitiosissimus.

17. Cum hyeme frigidoque cælo apud amicum quendam conuiuio acciperetur, videretque foculum exiguum & ignis pusillum: Aut ligna, inquit, inferte, aut thus. Subnotans conuiuatorem lignis suis parcere, perinde quasi thus essent, cum in rigore tanto, nec thuri parcendum esset: simul satis esse ignis ad faciendum suffitum dijs, at parum, ad depellendum frigus.

18. Cum Græci qui apud hostes stipendium faciebant, venissent in potestatem Alexandri, Athenienses quidem iussit in compedibus seruari, quod cum ex publico stipendium haberent, tamen apud hostes meruissent: similiter & Thesalos, quod regionem optimam nati non eam colerent. Thebanos verò dimisit dicens, His per nos nihil est reliquum, neque ciuitas, neque agri. Ita moderatus est pœnam, vt mortem commeritis non indiceret, nisi vincula, & culpam eorum qui necessitatem excusare poterant, in se transtulit.

19. Ex Indis quendam sagittandi arte cum primis celebrem, ad eum vt etiam per anulum sagittam mittere diceretur, cum in bello cepisset, iussit artis suæ specimen edere: recusantem iratus rex necari iussit. Cum duceretur homo, dixit his, à quibus ducebatur, se multis diebus non exercuisse artem, eoque timuisse ne aberraret. Id ibi renunciatum est Alexandro, quod non contumacia, sed ignominia metu recusasset, admiratus ingenium gloriae studiosum, dimisit illum donatum, eo quod mortem oppetere maluisset, quam fama sua videri indignus. Hic apparet non omnino vanum esse, quod prouerbio iactatum est, Simile simili esse amicum. Alexander gloriae supra modum appetens similem affectum in alijs amabat.

20. Taxiles vnus è numero regum Indiae occurrens Alexandro, sic illum affatus est: Prouoco te, inquit, non ad pugnam, neque ad bellum, sed ad aliud certaminis genus. Si inferior es, à nobis accipe beneficium: sin superior, nobis benefacito. Cui Alexander: Atqui, inquit, ob hoc ipsum inter nos certandum est, vter benefaciendo superet alterum. Et humanissime complexus illum, non solum, non spoliavit ditone, sed auxit etiam.

21. Cum audisset de rupe quadam apud Indos, quæ ob sublimitatem velut aibus inaccessa dicitur, quod ipse quidem locus expugnatu difficilis esset, sed qui eum teneret formidolosus. Nunc inquit, locus captu facilis est: signifi-

cans nihil prodesse munimenta, nisi vir fortis ea tuetur. Arx enim non tam fossis, ac muris tuta est, quàm viris.

22. Cùm alius quidam rupem teneret inexpugnabilem, vt putabatur, semet Alexandro dedit: at Alexander non solum eius ditionis principem esse iussit, verum etiam addidit, dicens, Hic homo mihi videtur sapere, qui se maluit bono viro, quàm loco munito concredere.

23. Rupe capta cùm amici dicerent illum egregijs gestis Herculem superasse: At ego, inquit, meas res gestas in imperio, ne verbo quidē cum his, quæ gessit Hercules, arbitror conferendas. Adulabantur illi, sed huius animo nulla satis faciebat adulatio.

24. Quosdam ex amicis multauit, quòd in ludo alexæ sensisset eos nō ludere. Si quidem multi sunt, qui in hoc ludo velut in te maximè seria versantur. Non enim ludunt, qui fortunas suas oēs, interdū & liberos, alexæ permittunt arbitrio.

25. Inter amicos quos habebat præcipuos ac potentissimos omnium maximè videbatur honorare Craterum, sed omnium maximè diligere Hephæstionem. Craterus enim, inquit, amat regem, Hephæstion amat Alexandrum. Id Græce iucundius dicitur, φιλοβασιλεύς & φιλαλέξανδρος. Senties Craterum in his quæ ad regiam dignitatem attinebant, præstare fidum amicū, Hephæstionem priuato quodam affectu diligere Alexandrum. Pariter itaque licet dissimiliter amantibus, diuersa ratione persoluit præmium: Craterum ornauit dignitate, Hephæstionem ad intimam admisit familiaritatem.

26. Xenocrati philosopho quinquaginta talenta dono misit: ea cum ille recusasset accipere, dicens sibi non esse opus, interrogauit, anne amicū quidem vllum haberet, cui esset opus: Nam mihi, inquit, vix Darij opes in amicos successerunt. Hic vtrius animum magis admirari conueniat, nondum statui, regisne tam ad liberalitatem propensum, an philosophi qui tantum munus à tanto rege vltro delatum remisit.

27. Porus rex ab Alexandro deuictus, cùm ab eo post pugnam rogaretur dicente, Quomodo te tractabo? Regaliter ait. Rursus subicienti Alexandro, Num quid etiam aliud? Omnia, inquit Porus, complectitur hoc verbum, regaliter. Alexander & prudentiam & fortitudinem viri admiratus, latiore ditionem illi addidit eā quàm prius obtinuerat. Supplici & ad pedes abiecto minus concessisset, A deo diligebat animosus iuuenis impavidos animos. Qu. Curtius<sup>\* li. 8. c. 25.</sup> aliquanto secus narat. Interrogatus Porus quid ipse victorem statuere debere censeret: Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es, quàm esset caduca felicitas, submouit regem, vt modestè sua fortuna vteretur, memor, ipsi posse accidere, quod acciderat Poru.

28. Cùm accepisset esse quendam qui conuitijs ipsum impeteret: Regium est, inquit, cùm facias benè, audire malè. Nihil hoc dicto generosius: quanquam idem & alijs ascribitur.

29. Morti proximus ad amicos respiciens dixit, Magnum epitaphium video futurum: præsentiens res ab ipso gestas multorum eloquentia celebrandas. Nec eum sua fefellit diuinitio.

30. Edicto vetuit, ne à quoquam pingeretur, præterquam ab Apelle, aut à quoquam arte sculperetur, præterquam à Lysippo, artificibus illius ætatis præstantissimis. Nam hoc quoque iudicabat ad principis dignitatem pertinere. Cum Cherylo poëta pactus erat, vt pro vnoquoque bono versu Philippicum acciperet aureum, pro malo colaphum.

31. Idem interrogatus vbi suos reconderet thesauros: Apud amicos, inquit, significans facultates nusquam reponi tutius. Cùm enim res postulat, redeunt ad te cum fœnore.

32. Cùm nuntius quidam gaudio gestiens, porrectaque manu accurreret, rem prosperè gestā narraturus. Quid mihi bone vir magni nūtiabis, nisi nunties Homerum reuixisse? significans omnium præclarè gestorum gloriam abolendam: nisi contingeret talis præco, qualis fuit Homerus.

33. Ciuitas quædam vt ab armis Alexandri quietem haberet, obrulit illi partem agrorum, & præterea rerum omnium dimidium. Cui sic respondit, Hoc animo veni in Asiam, non vt acciperem quod dedissetis, sed vt vos haberetis, quod reliquisssem.

34. Alexander habebat Eudæmonicum philosophum, sed quouis parasito adulantiorẽm. Hic cum aliquando tonaret vehementer, ad eò vt omnes expauescerent, dixit Alexandro. Quin tu tale quippiam facis Alexander fili Iouis? At ille non ferens tam abiecti philosophi vocem ridens ait: Nolo enim formidabilis esse, quemadmodum tu me doces, qui satraparum ac regum capita me iubes super cœnam apponere. Sic Athenæus. Plutarchus in vita secus aliquanto. Quid mihi succenses, quod pisces apponam in conuiuio, ac potius, satraparum capita.

35. Alexander cum hyeme duceret exercitum, assidens igni recognoscere prætereuntes copias cœpit: cumque videret senem quendam horrentem frigore, & ad ignem stantem, considerare loco suo iussit, dicens: si in Perside natus esses, in regia sella federe tibi capitale foret: in Macedonia nato conceditur.

36. Idem Aristotelem, cui puer formandus fuerat traditus, summa veneratione prosequabatur, dicens, se illi non minus quàm patri debere: quod à patre viuendi, à præceptore benè viuendi initium accepisset.

37. Cum pirata captus ad ipsum deductus esset, rogatus qua re fretus auderet infestare maria, compendiò respondit: Ego, inquit, quoniam id vnico nauigiolo facio, pirata nominor: tu cum idem facias magna classe, rex appellaris. Alexander admiratus intrepidum animum, donauit illi vitam.

38. Idem Delphos profectus, cum sacerdos negaret se consulturum Deum, quòd dies essent nefasti, quibus ne oraculis quidem loqui fas esset: vt pertracta secum sacerdote templum ascendit, cumque illa importunitate victa diceret, Inuictus es, ô fili, Satis, inquit, Alexander, oraculi est: mulieris vocem responsi loco ducens.

39. Posteaquam in expeditionem profectus, regias opes pœnè omnes in milites ac duces distribuisset, roganti Perdiccæ: Quid tibi nunc, rex, superest? Spes, inquit. Hic Perdicca, Hæc, inquit, nobis commilitonibus tuis futura communis est, & prædium quod ipsi designarat Alexander, recusauit. Tanta erat fiducia benè successuram expeditionem.

40. Idem initio cum in causis capitalibus sederet iudex, accusatori alteram aurem occludebat: rogatus cur id faceret, Alteram, inquit, integram seruo reo.

41. Cum Philoxenus classis præfectus Alexandro scripssisset, Tarentinum quendam Theodorum esse apud se, pueros habentem insigni forma venales, si vellet emere: indignè tulit, apud æquales subinde clamitans. Quid in me Philoxenus tam obscœnum animaduertit, vt mihi tantum probri conciliaret?

42. In Callisthenem nequaquam lese accommodantem aulæ regiæ moribus, sed & dictis & gestu præ se ferentem nihil ibi placere, dixit hunc versiculum:

*μισῶ σοφιστὴν ὃς λέγει οὐχ αὐτῷ σοφός.* id est:

*Sapientem ego odi, qui sibi sapit nihil.*

43. Nysam expugnaturus, cum videret milites deterreri fluminis, quod ciuitatẽ præterlabitur, profunditate, exiliit. O me omnium deterrimum exclamans, qui natare non didicerim: moxque clypeo pro subere innixus primustranauit.

44. Ilium profectus, Achillis statuam coronans, O te felicem, inquit, Achilles, cui viuo talis amicus, mortuo talis contigerit præco. De Patroclo loquens & Homero, quorum ille fidissimus Achilli fuit amicus, hic defunctum Iliade tota celebrauit.

45. Darij regiam ingressus, cum vidisset sublime cubiculum, & in eo stratum, mensas, cæteraque omnia mirifico ornatu instructa. Hoccine, inquit, erat imperare? Sentiens non esse regium, huiusmodi delicijs indulgere.

46. Idem lectum ingressus, excussis accuratè pallijs dicere solet: Nunquid hic delicatũ aut superfluũ mater addidit? Ad eò abhorrebat à muliebribus delicijs.

47. Cum

47. Cùm delato ad ipsum scriniolo, quo nihil inter opes Darij pretiosius, pulchriusue repertum est, quæreretur, in quem usum destinandum esset, alijs aliud suadentibus, dixit; Huic optimè seruandus dabitur Homerus. Sentiens nulum esse thesaurum illo preciosiorem. Ita visum est iuueni, qui se totum ad exemplar Achillis componebat.

48. Idem hortante Parmenione, vt noctu hostem adoriretur, alioqui summum fore discrimen, si palam cum tanta multitudine Martem experiretur: (siquidem ex fragore procul velut è pelago resonante, coniectabant immensum esse numerum) Non furor, inquit, victoriam: recusans tenebrarum præsidio vincere.

49. Cùm legisset prolixam epistolam ab Antipatro scriptam, in qua multæ inerant aduersus Olympiadem calumniæ: Ignorare videtur, inquit, Antipater, quod vna matris lacryma multas delebit epistolas.

50. Cùm audisset Anaxoram differentem, innumerabiles esse mundos, illacrymasse dicitur, Rogantibus numquid accidisset lacrymis dignum, An videor, inquit, meritò flere, qui cùm mundi sint innumerabiles, nos nondum vnus domini facti sumus?

51. Philippus à Triballis in prælio vulneratus est, femore lancea traiccto: opera chirurgi liberatus periculo mortis, dolebat claudicationis deformitatem contractam manere. Cui Alexander, Ne verearis, inquit, in publicum prodire, sed gradum mouens virtutis tuæ potius memineris. Hoc & alijs ascribitur.

52. Si quando in colloquijs, aut conuiujs incidisset contentio de carminibus Homeri, alijs alia præferentibus, hoc vnice probauit Alexander:

*Ἀμφοτέρων βασιλεὺς τ' ἀγαθός, καὶ ἰσὺς τ' ἀχμητής.* Id est:

*Dux bonus atque idem validus pugnator in armis.*

Addebat Homerum hoc versu virtutem Agamemnonis prædicasse, Alexandri vaticinatum esse.

53. Cum transmisso Hellesponto Troiam inuiseret, veterum heroum res gestas animo reuoluens, quidam, si vellet, pollicitus est, se Paridis lyram daturum. Hic Alexander, Minimè, inquit, illa mihi est opus, cum Achillis lyram habeam. Hac vir strenuus fortium virorum laudes canere consuevit, cum Paris sua lyra molles ac lasciuos modulos incineret.

54. Quodam tempore Darij mulieres inuisit vnà cum Hephæstione. Hunc, cùm esset eodem ornatu quo rex, corpore etiam maior, \* Syngambris Darij mater <sup>Sifygamæ bis.</sup> pro rege adorauit. Eadem cum ex nutibus astantium intellexisset errorè suum, perturbata denuò salutauit Alexandrum. Tum Alexander: Nihil est, ô mater, quod turberis. Nam & hic Alexander est; sentiens amicū esse alterū Alexandrū.

55. Cum in Hamonis templum venisset, sacerdos grandæuus illum salutauit, Salue fili, & hanc appellationem à Deo habeas. Tum Alexander, Accipio eam, ô pater, & post hac patior tuus dici, si mihi totius orbis dominium concesseris. Sacerdos recepit se intrò, & quasi consulto Deo respondit, louem certò promittere, quod peteret. Hic Alexander, Scire cupio num quis supersit inultus eorum, qui patrem meum interfecerunt. Ad hæc Sacerdos, Philippi, inquit, interfectores, omnes dedere pœnas, sed patri tuo nemo mortalium potest tendere insidias: significans illum esse Iouis, non Philippi filium.

56. Cùm Darius numerosissimum exercitum instruxisset, Alexander profundissimo somno correptus est, adeò vt nec interdiu potuerit expergisci: tandem imminente periculo, amici ingressi regem excitarunt: qui cùm dicerent, se mirari in eo rerum statu, tantam regis securitatem, Magna, inquit Alexander, animi molestia me Darius liberauit, qui vires suas omnes in vnum contraxit, vt liceat vno die de summa rerum decernere.

57. Alexandro Magno Corinthij per legatos jus suæ ciuitatis detulerunt. Hoc officij genus cùm risisset Alexander, quidam è legatis: Nulli, inquit, ciuitatem vnquam donauimus, præterquam tibi & Herculi. Hoc audito lubens accepit oblatum honorem, quem illi commendabat partim raritas, partim cùm Hercule laudatissimo viro societas.

58. Dum in obsidione cuiusdam vrbis infirmissima moenium quærit, sagitta ictus est, nec tamen ab instituto destitit: mox, cum represso sanguine, sicci vulneris dolor cresceret, & crus equo suspensum paulatim obtorpuisset, coactus quod cœperat omittere, ac chirurgum accersere: Omnes, inquit, me prædicant Iouis esse filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat.

59. Zenophantus certis modis Alexandrum ad arma solet concitare. Eam musices vim admirantibus cunctis, quidam ait: Si tantus artifex est, incinat modulos, quibus illum à bellis reuocet. Sentiens, non esse magnæ artis hominem eò propellere, quo suaptè natura pronus est.

60. Alexander statuerat Lampfacum diruere. Ad id tendenti cum Anaximenes Alexandri præceptor veniret obuiam extra muros, deprecaturus suæ ciuitatis perniciem, Alexander suspicans, quid esset petiturus, Iuro, inquit, me non facturum quod petet Anaximenes: Tum Anaximenes: Peto, inquit, vt Lampfacum diruas. Captus erat Alexander, & iureiurando compulsus est seruare, quos demoliri statuerat.

61. Cum inuitaretur vt Darij filias, quas habebat captiuas, inuiferet, prædicabantur enim puellæ admirabili esse forma, noluit ire; non committendum est, inquit, vt cum viros vicerim, vincar à fœminis.

C A P V T X I.

Apophthegmata & dicta aliorum de Alexandro.

Philippi Patris de effusa eius liberalitate.

Plutarch.  
in vita A-  
lexand.



Philippus Alexandrum filium obiurgans, quod largitionibus, Macedonum benuolentiam consecraretur: Quæte, malum, inquit, ratio in istam spem induxit, vt eos tibi putes fore fideles, quos pecunia corrueris: an tu id agis, vt Macedones te non regem suum, sed præbitorem putent?

Olympiadis matris.

Olympias Alexandri mater indignè ferens, quod Alexander pateretur se dici filium Iouis: Non desinet, inquit, Alexander me Iunoni inuisam facere. Solent enim vxores extremo odio persequi pellices.

Eiusdem.

Alexandri mater Olympias cum audisset filij cadaver insepultum fuisse abiectum, inter lamenta dixit hoc quoque: O fili, tu qui studebas cæli particeps esse, huc toto impetu properans ne ijs quidem potiri valuisti, quæ sunt mortaliū omnium communia, terra ac sepultura. Alexander viuus ambiebat diuinis honores: defuncto nec vltimus ille contigit honos, quem quiuis homo persoluit homini quamlibet humili. Narrat enim Q. Curtius & Plutarchus, Alexandri corpus multis diebus insepultum iacuisse ob graues procerum concertationes de successione principatus.

Legatorum Persarum.

Legati Persarum absente Philippo ab Alexandro adhuc puero excepti & multa interrogati, miratique sapientiam Alexandri: Puer hic rex, inquiunt, magnus, noster verò opulentus. Plut. 2. de fort.

Iulij Cæsaris.

Cum Alexandri M. res gestas legeret, non tenuit lachrymas, atque ad amicos: Hoc inquit, ætatis qua nunc sum, Alexander deuicit Darium: mihi verò ad hunc vsque diem nihil præclari facinoris gestum est. Suetonius tradit id accidisse, cum Prætor iure dicundo conuentus obiens, apud Gades in templo Herculis vidisset



disset Alexandri M. statuat. Vtinam hoc ingenium ad moderati potius, quàm maximi principis æmulationem properasset.

### Augusti Cæsaris,

1. Cùm audisset quod Alexander natus anno triginta duos, postea quam plerasque mundi regiones peragraret, dubitasset, quid in reliquum vitæ tempus esset facturus, demirabatur, si Alexander non iudicasset maius opus, bene gubernare partim imperium, quàm amplam ditionem comparasse. Rectè notauit inexplebilem Alexandri ambitionem, qui nullam aliam functionem rege dignam existimasset, quàm proferre ditionis terminos; cùm multo tum pulchrius, tum difficilius sit, regnum quod contigit, rectis legibus, sanctisque moribus exornare, quàm armis regno regnum addere.

2. Cùm Caium ex filia nepotem in Armeniam mitteret, optabat à dijs, vt illum Pompeij beneuolentia, audacia Alexandri, ipsius autem fortuna comitaretur. Quod in singulis erat præcipuum, id optabat vni contingere. Illud autem singularis erat modestiæ, quòd vir ingenio, doctrina, consilioque præstans sua præclare gesta fortunæ adscribat.

3. Indignè ferebat aliquid de se componi, nisi serio, & à præstantissimis: admoneratque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus mimorum aut histrionum obsolescere, hac quidem in parte Alexandrum M. referens. Decet vbique principis auctoritatem factam tectam præstare.

### Antoninij Pij.

Biduo priusquam moreretur, admissis amicis aperuit sententiam suam de filio, eandem quam Philippus de Alexandro, dicens: se æquo animo mori cum filium relinqueret.

### Demosthenis.

1. Cùm Alexander pacem hac lege deferret Atheniensibus, si ciues octo sibi dederent, inter quos erat Demosthenes, Demosthenes apologum rerulit de lupo, qui hac lege pacem obtulit ouibus, si canes dederent: Lupi nomine significans Alexandrum; canum, eos qui tum populi rem curabant: ouium, plebem Atheniensium. Addidit & illud: vt mercatores, inquit, exiguum frumentum in paropside specimen deferunt, per hoc ingentes acruos vendere cupientes; ita vos si traditis ciues octo, qui deponuntur, populum vniuersum traditis.

2. Cum Athenienses gestirent Harpalo ferre suppetias, iamque in Alexandrum armarentur, derepentè apparuit Philoxenus, quem Alexander maritimis negotijs præfecerat: hic cum populus metu attonitus consulesceret, Quid facerent, inquit Demosthenes, si solem videant, qui non possunt obtueri lucernam? Ita populo temerarios motus exprobrauit. En, comparat Alexandrum soli.

### Antipatri.

Antipater cum didicisset Parmenionem ab Alexandro interfectum, dixit: Si Parmenio struxit insidias Alexandro, cui fidendum est: si non struxit, quid agendum? Erat Parmenio velut alter Alexander in rebus militaribus. si tantus amicus fefellit, non est tutum cuiquam amico fidere. Si Alexander nihil commertum sustulit, præstat à regum negotijs abstinere.

### Memnonis ducis Darij.

Memnon quod tempore bellum gerebat aduersus Alexandrum pro Dario rege, militem quendam mercenarium multa conuitia petulanter iacentem in Alexandrum, hasta percussit, Ego inquit, te alio vt pugnes cum Alexandro, non vt illi maledicas.

### Phocionis Atheniensis.

1. Alexander Macedonum rex centum talenta dono miserat Phocioni, is verò percontatus est, eos qui pecuniam adferebant, quid ita cum essent Athenienses permulti, sibi vni illa mitteret Alexander, illis respondentibus, Quoniam vnum te iudicat virum, & honestum, & bonum. Ergo sinat, inquit, me talem & ha-

beri & esse. Vt scitè arreptum ab illis argumentum torfit ad occasionem recusandi muneris! Iam quis hic non admiretur incorrupti pectoris sinceritatem? pauper erat Phocion, nec doni magnitudine quicquam mouebatur. Simul autem indicat illos, qui cum reimp. administrant, tamen à capiendis muneribus non temperant, nec bonos esse viros, nec tales haberi debere.

2. Cùm Alexander ab Atheniensibus posceret sibi triremes exhiberi, ac populus nominatim flagitaret adesse Phocionem, vt quid consuleret, proferret; surgens, inquit: Consulo igitur, vt aut armis superetis eos, aut superantium amici sitis. Compendiò suasit nihil Alexandro negandum, nisi considerent se iratum posse armis opprimere. Quibus si ille videretur superior, non esse prouocandum animosum iuuenem, & repulsæ impatientissimum.

3. Rumor incerto autore obortus erat de morte Alexandri, moxque rhetores profilierunt hortantes, ne cunctarentur, sed ilicò bellum susciperent. Phocion expectare iussit, donec certius aliquid cognosceretur. Nam si, inquit, hodie mortuus est, & cras & perendie mortuus erit. Grauitè oratorum præcipitem temeritatem coërcuit.

### Hannibalis.

Inter Scipionem Africanum & Annibalem ortus est sermo de præstantia Ducum. Cùmque Scipio rogasset quem primum esse censeret, respondit Alexandrum M. quem secundum, Pyrrhum Epirotarum regem, quem tertium, seipsum nominauit. At quid, inquit Scipio, si me vicisses? Tum, inquit, me neque secundum, neque tertium, sed omnium primum censuissem. sed de hoc plenius infra cap. xiv.

### Demadis.

1. Cùm Athenienses vellent Alexandro diuinos honores decernere: Videte, inquit, ne dum cœlum custoditis, terram amittatis. Alexander enim ambiebat monarchiam. absurdum autem erat eos sic alium donare cœlo, vt ipsi terra sua pellerentur.

2. Demades orator, vita defuncto Alexandro, dixit se videre exercitum Macedonum principe orbatum, Cyclopi similem. Sentiens turbam militum, nisi adfit dux cordatus ac vigilans, nulli esse vsui. Quemadmodum Polyphemus adempto oculo frustra vastum corpus, ac vires habebat immanes.

### Nicesiæ.

1. Nicesias Alexandro abigenti muscas, quod ab illis diceret se morderi, Magis, inquit, ab alijs, quæ plus tui habent, gustato sanguine. Adulatores notauit, vt omnibus muscis plus fugentes.

2. Cinesias (an Nicesias) videns Alexandrum M. à pharmaco, quod sumpserat, vehementer turbatum, Quid, inquit, nobis faciendum est, cùm vos dii talia patiamini? Cùm Alexander ægrè sustulisset oculos. Quales, inquit, dii sumus, metuo ne dijs inuisi.

### Cratetis.

Alexandro percontanti num cuperet restitui patriam suam? Quid opus est, inquit, fortassis eam alius Alexander restitutam diruet.

### Agidis.

Agis Argiuis adulator, videns Alexandrum ingentia munera dedisse cuidam ridiculo, exclamauit: O rem vehementer absurdam. Cùm Alexander hac voce citatus dixisset, Quid tu, ais? Fateor, inquit Agis, me pati non posse, cùm videam vos è Ioue prognatos omnes pariter assentatoribus delectari. Siquidem & Iupiter Vulcanum habet pro morione; & Hercules Cercopibus, & Bacchus Silenis delectari consuevit. Tales videmus & apud te magni fieri. Pestilentissimum adulationis genus sub libertatis imagine blandiri.

Epigrammata in Alexandrum Magnum Græco-latina.

Ἀρχίε εἰς Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα.

Ἐκτορι μὲν ζοίη συγκάτθανεν, οὐδ' ἔλε χεῖρας  
Ἀντήρεν Δαναῶν πασιν ἐπερχομένοις.  
Πέλλα δ' Ἀλέξανδρον συναπάλετο πατρίδες ἄρα.  
Ἀνδράσιν, οὐ πάσαις ἀνδρες ἀγαλλόμεθα.

Ex anthologia 1.3.  
eis hysa-  
σικες. id.

Archia in Alexandrum Macedonem.

Hectore cum caso cecidit quoque Troia, nec ultra  
In Danaos potuit tollere victa manus.  
Cum duce Pella suo perijt: non patria ciues,  
Sed ciues patriam nobilitare solent.

Ostendit hoc epigramma, inquit Opsopæus, cum claris & eximijs vitis vna quoque interire gloriam & virtutem patriæ. Sicut Hectore mortuo Troia cecidit, sublato Alexandro, & virtus inuicta Macedonum fracta est. Cum decessisset Epaminondas Thebanorum quoque vires hebetatæ sunt. Atheniensium quoque respub. fortissimis viris & imperatoribus amissis prorsus eneruata est. Rectè itaque concludit, patrias à viris claris claras esse & illustres, non contrà, viros claritatem sumere à patria.

Παρμενίων εἰς τὸν αὐτόν.  
Φθίδαι Ἀλέξανδρον ψευδὴς φάσις, εἴπερ ἀληθὴς  
Φοῖβος. \* ἀνικητῶν ἀπεται οὐδ' αἴδης.  
Pellæum iuuenem mentitur fama perisse;  
Non perijt (ceu fama refert) si verus Apollo,  
Rex Macedo, inuictos vincere Pluto nequit.

\* ἀνικητῶν.

Plutarchus in Alexandro. αὐτὸς ἀναεῖς εἰς τὸν ναῦν (Apollinis Delphici) εἶλεν τὴν πρόμαντιν· ἢ δὲ ὡσπερ ἐξηγήμενη τῆς παρθῆς εἶπεν, ἀνίκητος εἶ ὦ πά. τῶτο ἀκέσσαι, σὸκ ἐτι κρη χριζερ ἐτέρῃς μαντεύματι.

Προσεδίππη εἰς τὴν Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα.

Lib. 4. c. 8.

Ἀύσιππε πλάσα Σικυώνις δαρσαλέη χεῖρ,  
Δαίε τεχνίτα πῦρ τοι ὁ χαλκὸς ὄρη  
Ὀν χατ' Ἀλέξανδρον μορφῶς χεῖς, σὸκ ἔλε μεμπτοὶ  
Πέρσαι, συγγνώμη βασιλέοντα φυγεῖν.  
Dextera Lysippi felix spirare coegit  
Aes ignem, quando nobile fudit opus,  
Os Ducis Aemathij; versis veniam date Persis,  
Compecto fugiunt nonne leone boues?

P. 452.

Πλάταρχος περὶ Ἀλεξάνδρου, λόγιος.

Μόνον Ἀλέξανδρον ἐκέλευσε λυσίππῳ εἰκόνα αὐτοῦ δημιουργεῖν. μόνος γάρ οὗτος, ὡς εἰκοιέ, κρατεμένη τῶ χαλκῷ τὸ ἐστὶ αὐτῷ, καὶ συνεξέφερε τῇ μορφῇ τὴν ἀρετήν. οἱ δὲ ἄλλοι τὴν ἀποσροφὴν τῆς βαχίλης καὶ τῆς ὀμμάτων τὴν διάχυσιν καὶ ὑργότητα μιμησάμενοι θέλοντες, οὐ διεφύλακτον αὐτῷ τὸ ἀρρενωπικὸν καὶ λεοντώδες.

Crinitus lib. 16. c. 7. Alexandrum scribit tantum permisisse, vt effigiem suam ære duceret, Polycletus, Apelles coloribus delinearet. Pyrgoteles celamine exsculperet: Horatium itaque libro epistolarum 2. Lysippum pro Polycleto adiecisse. Desipit procul dubio non tam Crinitus Flaccum carpens, quam Apuleius Floridorum primo, qui hunc errorem vulgavit. Plinius certè lib. 7. c. 37. Idem hic Imperator (Alexander) edixit, ne quis ipsum alius quam Apelles pingeret, quam Pyrgoteles sculperet, quam Lysippus ex ære duceret. Plutarchus in Alexandro: Τὴν μέρῃ οὖν ἰδεῖν τῶ σώματι οἱ λυσίππειοι μάλιτα τῶν ἀνδριάντων ἐμφαίνουσιν. ὅψ' οὐ μόνον καὶ αὐτὸς ἤξει.

EPIGRAMMATA DE

ἡξίει πλάττειν. Idem in commentario de virtute, aut fortuna Alexandri. διὸ καὶ μόνον Ἀλέξανδρον ἐκέλευε λύσιππον εἰκόνας αὐτῷ δημιουργεῖν. M. Tullius lib. ep. famil. 5. neque enim Alexander ille gratiæ causa ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi volebat. ead. Acad. quæst. 4. Stat etiam à nobis in equo Domitiani Pipinius, Paterculus, & Valerius Maximus lib. 8. nec Polycletus, si vera est Planiana temporum supputatio, Alexandrum regem, cum ille centum propè annis ante fuerit, unquam videri potuit.

Αρχελαῦ.

Τόλμαν Αλέξανδρον καὶ ὄλαν ἀπεμύξατο μορφάῳ  
 Λύσιππον ἢ πῆν ὀδὴ χαλκὸς ἔχει δύναμις,  
 Ἀυδάσσονε δὲ ἔοικεν ὁ χαλκὸς ἔς δία λεύσσωρ,  
 Γὰν ὕπ' ἐμοὶ πθεμαίξω, σὺ δὲ Ὀλυμπον ἔχε.  
*Virtutem expressit regis Lysippus & ora  
 Regis Alexandri; vis quoque in ære viget?  
 En cælum spectat, similis ἔστ' forma loquenti:  
 Iupiter astrate ne, terra subacta mihi est,*

Incerti.

Ἄυτὸν Αλέξανδρον τεκμαίρεο ὧδε τὰ κείνῳ  
 Ὀμματα καὶ ζωὴν δάσσο ὁ χαλκὸς ἔχει  
 ὅς μόνον ἦν ἐφορώσιν ἀπ' ἀθέρων αἱ Διὸς αὐγαί,  
 Πᾶσαν πελάσσο γῆν ὑπέταξες θρόνω.  
*Cernis Alexandrum? sic os oculos ἔφερεbat:  
 Pectus adhuc audax vivit in ære Ducis.  
 De cælo totum dum spectat Iupiter orbem,  
 Pellao totum subdidit imperio.*

Incerti.

Ἔττον Αλέξανδρον μεγαλήτορον ὕια φιλιππῶ  
 Δέρκεα, ἀρξέλοχευτον, Ὀλυμπιάς ὄν ποτε μήτης  
 Καρτερόθυμον ἔλιπτεν ἀπ' ὠδίνων δὲ μιν Ἀρης  
 Ἔργα μόθων ἐδίδασκε, τύχη δὲ ἐκέλευσεν ἀνάσσειν.  
*Hac est magnanimi diuina proptago Philippi,  
 Atque recens matris partus Olympiadis.  
 Quem Mars ab cunis docuit studia aspera belli,  
 Et Fors sublimem iussit adire thronum.*

Αντιπάστρου.

Ἰὸς ὅππ' προβολῆσιν, ἀλὸς παρὰ κούμα Κιλίαςης  
 Ἀχρίον, αἱ περσῶν κείμεθα μορῖαδες,  
 Ἔργον Αλέξανδροιο Μακεδόνων οἱ ποτ' ἀνακτε  
 Δαρείω πυμάτην οἱ μὲν ἐρεσσόμεθα.  
*Ipsi in proiectu propter Cilicis maris undas  
 Sævas Persarum millia multa iacent,  
 Strauit Alexander Macedum Rex castra secutos  
 Persica Darÿ Regis Achaemenÿ.*

De hoc plura ad 3. Curtij.

Parmenionis.

Τύμβον Αλέξανδροιο Μακεδόνων ἦν ἕς ἀείδῃ,  
 Ἡκείρως κείνῳ σῆμα λέγ' ἀμφοτέρω.  
*Quisquis aues tumulum Pellao ponere Regi,  
 Europam atque Asiam ponit o pro tumulo.*

Hyperbolicè dictum hoc, multas enim in Europa nationes nunquam adiit, sensus est, non posse tumulum Alexandro poni, nisi totus orbis ponatur, quem vicit. In Asiam enim & Europam, omissa Africa, quam Asiæ tribuebant, totum olim orbem veteres partiebantur, ut auctores sunt Eratosthenes, Isocrates panegy. Varro de lingua latina, Strabo lib. primo, Pindari Scholiastes, Christodorus, Alphaus. plura Brodæus.

Enim

Enimuero ipse maiores mundo toto spiritus gerebat, vti pro paruo duceret, mundo imperatore, quem admodum Iuuenalis canit:

*Vnus Pellexo iuueni non sufficit orbis.*

Et Lucanus extremo Pharsaliae omnium regum maximum testatus est:

*Summus Alexander regum quem Memphis adorat.*

Et idem in eodem:

*Ludibrio seruatus erat non utile mundo  
Erat exemplum, terras tot posse sub uno  
Esse viro ———  
Occurrit suprema dies, natura q̄ solum  
Hunc potius finem vesano imponere regi.*

Εἰς Ἀρρίανον.

Πελαῖα Μακεδῶν ἐκ κήροκ' οὐ ποδ' ὀμῆρε  
Ἐλακεν οὐ προγόνοις ἔργματ' αἰσομένε,  
Ἀχνοτο θυμὸν ἔον, μάχαρον τ' Ἀχιλλῆα δοκεύσας,  
Τὴν αὐτῆ ἀτελῆ ἄετ' εὐτυχίω.  
Ἀρρίανθ' δὲ τυχῶν τόσῳ πλέον ἔλλαβεν εὖχῃ  
Ὅσῳ μυθολόγων κρείσσονες ἱστορικοί.  
Εὐτυχίᾳ Ἡρακλείων Βρυγίεω.

Idem Latine.

*Magnus Alexander praecone non naetus Homerum,  
Qui caneret laudem in postera secla suam;  
Felicem pra se merito censebat Achillem,  
Fortuna q̄ sua laudis inesse minus:  
At pracone isto tanto est plus laudis adeptus,  
Quam praestant vanis vatibus historici.*

Bonauer. Vulcanij Brugensis.

Henrici Stephani.

Ἀρρίανθ' μεγάλας μεγάλας μεγαλῶς πὶ ἀνακτῃ  
Πηρῆσιαι ἱστορῶν φήμη μετῶν ὄν χαλῆσκει,  
Πάσιν ἐδείξε μέγισον, εἰ εἴξε τῆς ὄντ' ἀ μέγισον.

Eiusdem.

Ὅσον Ἀλέξανδρ' ἄ μέγας ἐπλετο ἐν βασιλεῦσι,  
Τόσον ὄδ' ἐν πάντεσσιν (ἐκὰς θόν) ἱστορικοῖσι.

Gualterus in Prologò.

*Qui si senio non fractus inermi  
Polluce fatorum, nostros vixisset in annos,  
Caesareos nunquam loqueretur fama triumphos,  
Tota q̄ Romule a squaleret gloria gentis.*

Mens Gualteri est Alexandrum M. si pluribus annis vixisset, adeoque ætuum in senium porrexisset, totum mundum vidurum fuisse, Romamque subacturum, nullamque Caesarum gloriam, aut triumphos Romam vnquam conspexuram.

Nos hoc illum epitaphio auximus, aut  
diminuimus.

*Hic erat, immensus cui non suffecerat orbis:  
Hic est, cui toto nullus in orbe locus.  
Quarite regna Ducēs per tela, per arma, per ignes:  
Vna dies sepeli pralia, regna, duces.*

## CAPVT XIII.

## De forma habituque corporis Alexandri.

Plutarchus  
in vita p.  
500. & de  
fort. Alex:  
2. p. 6:4.  
Curtius  
lib. 3. p. 93.  
Arrianus  
li. 7. p. 359.  
Curt. p. 262  
de Thale-  
stri.  
Elianus  
Var. hist.  
lib. 12. c. 14.  
Alexandri  
pictura  
Protegenis  
opus.  
Plini. 480.  
Ab Apelle  
pingi tan-  
tum vo-  
luit. 38.  
A Pyrgo-  
tele, gem-  
ma scul-  
ptus 154.  
382.  
Suidas vo-  
ce Alexan-  
tote σωμα  
καλλιστον.  
Zonaras  
in Alexan.  
Sol. c. 15.  
Arrianus  
l. 7. tote  
σωμα  
καλλιστον  
p. 167.



I Lysippi manu factæ Alexandri statuæ, Apellis penicillo pictæ imagines, Pyrgotelis gemmarum annuli superessent, certissimum Alexandri vultum, os, staturam, ac totius corporis habitum lectori, & spectatori proponeremus. Nunc fidem dumtaxat numismatum testor, sanè non paucorum auro, argento, ære, cum Monachij in inclito Principis, & admirando technotamio duorum, tum Augustæ Vindelicorum in nobilis & docti viri Conradi Peutingeri Reipub. Septemviri bibliotheca, & apud Melchiorem Mairium virum nobilem, qui multorum mores hominum, ut alter Vlysses spectauit, & vrbes, Bartolomæum denique Kelnerum, Consiliarium Cæsareum, qui nobis aliquot transmisit. E quibus aliquot descriptos hic tibi repræsentabo. Vidi etiam in Antiquario Serenissimi Principis Electoris Boiorum Ducis, pectorale signum è patrio candido, cui in basi subscriptum est: *Alexander M.* de quo an germana sit effigies Alexandri, vehementer dubito, quod verear ne sit alicuius gladiatoris Romani, quod galea nullis insignibus sit illustris. Varias etiam icones coloribus illustratas contemplatus sum, sed *pictoribus atque poetis* —

Numi cum veterum protopographiæ potissimum consentiunt: sed calamus optimorum scriptorum melius Alexandrum expressit, quam vlla artificum commenta & figmenta, quorum ingenia iam pridem vetustate sunt deleta, nec Stasiratis opinor Thracius Athos æternasset, quam multos enim montes terrarum tremores, aut in planiciem æquarunt, aut in valles depresserunt; aut plana in montes erexerunt? Ad authores ergò vertamur, & Plutarchum singulare Alexandri cultorem principeloco ponamus, qui Alexandrum ex Lysippo ita effigiat:

*Corporis eius figuram Lysippi statua maximè demonstrant, à quo voluit solo fingi. Etenim quam præcipuè successores eius complures, post & amici amulati sunt, prode est amercuicem, & in sinistrum humerum modicè propensam, oculorumque tenit atem ad unguem expressit ille artifex. Alexandrum pingens fulmen tenentem, nec representauit Apelles colorem eius: magis fuscum & sordidiorum fecit, quum fuerit (at auunt) candidus, qui color in pectore & facie potissimum purpurascibat.*

Quæ apud Plutarchum de fragrantia corporis gratissima sequuntur, iam supra in admirandis & miris Alexandri collocauimus. Illustrior est apud eundem locus in 2. de fortuna Alexand. *Vixere, inquit, tunc etiam Apelles pictor, & Lysippus fector, horum Apelles fulminigerum Alexandrum pinxit ita perspicuè & atemperatè, ut diceretur duos esse Alexandros, vnum Philippi F. insuperabilem, alterum Apellis inimitabilem. Lysippus autem cum finisset primum Alexandrum facie sursum conuersa in calum intuentem, sicut solebat suspicere Alexander, leniter inflexo collo, subscrispsit quidam non absurde:*

*Aereus inspiciens Diuosque hominesque regentem,  
Velle mihi est visus talia verba loqui:  
Magne, tene, Iupiter, neque enim prohibemus, Olympum,  
Dum toto tellus pareat orbe mihi.*

*Itaque etiam solum Lysippum Alexander fabricari suas iussit imagines, quod nimirum is solus are ingenium ipsius exprimeret, simulque cum forma etiam virtutem proponeret. Reliqui inclinationem ceruicis, oculorumque remidentem volubilitatem imitari volentes, masculum eius leoninumque vultum non seruabant. Inter alios artifices fuit tunc etiam Stasirates architectus, nullum opus moliens, quod varium iucundamque aspectu esset, sed & manu magnifica & dispositione operum utens, qua sumptus à rege suppeditari opus haberet. Is cum ascendisset ad Alexandrum, pictas eius & sculptas atque fectas*

ima.

imagines culpauit, ut timidorum & humilium opera artificum. Ego aiebat, statui corporis, o Rex, tui similitudinem in uiam & interitus experitem aternis q̄ firmatam radicibus materiam, & immota pradam grauitate introducere. Thraciæ enim mons Athos, ubi maximus & planè conspicuus affurgit, latitudines habens proportione toti congruentes, tum membra & artus, atque intersitia quæ conformari queant, potest artificio ita transferari, ut imago Alexandri & sit & dicatur. Fundamentis suis mare attingens, manuum autem altera gestans urbem CCIOO ciuium capacem; dextra perennem fluium è patera in mare libans. proinde aurum, æs, ebur, ligna, uncturas, simulacra exigua, uenalia & furtis exposita abijciamus. Hoc ut audiuit Alexander; audaciam sanè artificis & fiduciam admiratus laudauit. Tu tamen, dixit, Atho montem intactum relinque; satis est eum esse monumentum petulantia quam unus in eum rex exercuerit. Me Caucasus monstrabit, & Emodi montes, & Ianaïs & Caspium mare. Hæ sunt meorum factorum imagines. Hæc Plutarchus.

Iam Arrianus \* paucissimis, statura, inquit, corporis decora fuit.

Arrianus eximiè celebrat, ut etiam ad capillamentum Alexandri ascenderit: \* lib. 7. in fin.  
 Ἐρασμῶταλον καὶ ὠρανόταλον φάσιν ἑλλήνων μὲν γενέσθαι Ἀλεξάνδρην, Ῥωμαίων δὲ Σκιπίωνα καὶ Δημήτριον τὸν πολιορκητὴν λέγουσιν ὠρᾶς ἀμοιβωθεῖν. Ἀλέξανδρον δὲ τὸν Φιλίππου ἀπρὸς γένους ὠραῖον λέγουσι γενέσθαι, τὴν μὲν γὰρ κόμην ἀναστύθει αὐτῷ ἑαυτὴν δὲ ἔπειτα ὑπαναφύεσθαι δὲ ἕκαστος ἐξ ἑαυτοῦ φοβερόν τῷ Ἀλεξάνδρῳ λέγουσι. *Amabilitate simul & forma maximè floruisse dicuntur, apud Græcos Alcibiades, ex Romanis verò Scipio Demetrium quoque Poliorceta m ferunt certasse de uenustate. Alexandrum etiam Philippi filium sine curatione formæ spectiosum exiuisse perhibent Capillos enim, qui erant flauis, ei fuisse. ferunt tamen formidabile quiddam in facie Alexandri insitum fuisse.*

Ab Suida τὸ σῶμα κάλλιστον & vocatur, corpore pulcherrimus.

Zonaras, ἦν δὲ τὴν χροῖαν λευκὴν ὁ Ἀλέξανδρος ἢ λευκοῦτος δι' ἐφορίαν τοῦ περιτῆτος & μάστιδα, καὶ τὸ πρόσωπον, fuit colore candido, ut is circa faciem & pectus maximè purpurasceret.

Ioannes Tzetzes Alexandrum varioculum & variæ ceruicis facit.

Ὁ βασιλεὺς ὁ μέγιστος Ἀλέξανδρος Φιλίππου  
 γλαυκὸν τὸν ἓνα ὄφθαλμόν ἔχειν θρομβεῖται πᾶσι,  
 μέλαινα δὲ τὸν ἕτερον τοῖς ὑφ' αὐτοῦ τοῖσιν.  
 ἦν δὲ καὶ σιμοζάχην καὶ παρὰ Ζαχηνῶν δὲ,  
 ὡς δοκεῖν πρὸς οὐρανὸν ἐνατείναν τῆτον  
 τοῦτον καὶ Ὀσίππου ἔκρινον ἐχαλκίργει.

Καὶ τῆστι δὲ Ἀλέξανδρος ἐπέχαρεν εἰκόσιν,  
 ἢ σασικράτης πλάσμασι ψευδέσι, τυφόμενοις.  
 ὅτι δὲ ἦν ὁ Ἀλέξανδρος τοιοῦτος τὴν ἰδέαν  
 ἄλλοι καὶ τὸ ἐπιγραμμά ὅπερ τυγχάνει τὸδε  
 Αἰδάσονι δι' εἰκὸν ὁ χάλκεος, ἐς δὲ ἀλεύτων,  
 Γᾶν ὑπ' ἐμὲ πίθεμαι, ζεὺς σὺ δὲ δλομπον ἔχε.

Rex maximus Alexander Philippi,

Casum unum oculum habuisse narratur ab omnibus;

Nigrum autem alterum: oculus talis.

Erat autem & pressi colli & obtorto collo,

Ut uideretur calum uersus intendere hoc,

Tandem & Lysippus illum areum fecit.

Atque huius Alexander magis gaudebat imaginibus,

Quàm Stasiratis figmentis falsis, elatis.

Quod autem erat Alexandri talis forma,

Declarat & epigramma, quod est huiusmodi:

Locuto autem similis visus est faber ætarius ad Iouem prospiciens;

Terram sub me pono, Iupiter uerò tu Olympum habe.

Cæterum, quæ Plutarchus de Lysippi statuis affirmauit confirmat etiã Tzetzes:

Et iste fingens æra Lysippus fuit

Erat autem ex Sicione, proxima Corintho,

Philippi contemporaneus filio, Alexandro.

Admodum similia simulachra faciens prototypis:

Gai-

DE FORMA ALEXANDRI M.

Gaudebat autem Alexander ab hoc fictis operibus,  
Etenim & resupino vertice fecit illum,  
Qui videretur intueri calum, atque totum exactè.  
Qualis erat Alexander Macedo ille,  
Vt existimarent qui aspicerent, Alexandrum, non columnam.  
Cui columna quispiam inscripsit epigrammatophorus:  
(Loquenti similis videtur ararius, ad Iouem respiciens)  
Terram sub me pono, Iupiter, tu autem Olympum habe.

Atque huius Lyssippi statuas omnes præsertim Alexandri celebrarunt, sicut & pietas imagines Apellis, Cicero, \*Valerius Max, Horatius, Plinius, alij.

Tandem Latini non ita in descriptione oris Alexandri cum Græcis, & inter se consentiunt. Solinus vehementer laudat Alexandri elegantiam & corporis habitum, Curtius non nihil deprimit. *Forma*, inquit Solinus, *supra hominem augustiore, ceruice celsa, latis oculis & illustribus, malis ad gratiam rubescentibus* \* reliquis

partibus corporis non sine maiestate decoris.

Curtius Hæphestionem Alexandro illustriorem docet forma corporis, & cum de Thalestri Amazone loquitur, negat magnitudini formæ corporis maiestatem respondisse.

Corn. Tacitus comparat cum Germanico Cæsare, *Vtrumque*, inquit, *corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidijs externas inter gentes occidisse.*

Lyssius in *Monitis* cap. 8. exempl. 2. *Alexander M. ceruice leuiter curuâ & pandâ fuit, quod certatim proceres & aulici imitati, quasi ipsum sic effingentes: Ad eò & minutâ obseruant atq. amulantur: vtinam sic interiora & virtutes! vtinam, ô bone Lipsi, non vitia.*

Comparatus est Alexander hirco etiam, ob oculorum transuersum obtutum. Nam hirci vel hirci Suetonio, Isidoro, Gesnero testantibus, vocantur oculorum anguli. Virgili. *transuersa tuentibus hircis.* Hunc Alexandri situm præscia eius statua in monte Quirinali refert.

EX MARMORIBVS, NVMIS, NOMISMATIS.

Roma in monte Quirinali est statua Alexandri M. Cornel. de Lapide in Danielelem.

Optimæ notæ



Argenteus.

Nobilis Dominus Bartholomæus Kelnerus à Zinnendorf submisit Augusta.



ÆREVS.



ALEXANDER.



AVREVS.



ΑΛΕΞΑΝΔΡ.  
ΒΑΣΙΛΕΥΣ  
Alexander Rex.



AVR.



Philippus pater, an Alexander M. Filius?

EX FVLVII VRSINI ICONIBVS.  
Alexander Magnus. Alexander, & Olympias.



Apud Fulvium Vrsinum in  
nomismate argenteo.



Apud Fulvium Vrsinum in Gemma.

Alexander Epirota Rex,  
Alex. M. auunculus, qui in Italia periit.



Apud Fulvium Vrsinum in nomismate  
argenteo.

ALEXANDER COMPARATVS  
ALEXANDER A VARIIS SCRIP-  
toribus cum Dijs, Imperatoribus, Regibus,  
Ducibus compositus.

CAPVT XIV.

A Liuiio lib.9. decad.1. cum Romanis.



**N**ihil minus quaesitum à principio huius operis videri potest, quam ut plus iusto ab rerum ordine declinarem, varietatibusq; distinguendo opera, & legentibus velut diuerticula amena, & requiem animo meo quaerem; tamen tanti regis ac ducis mentio, quibus saepe tacitis cogitationibus voluit auit animum, eas euocat in medium, ut querere libeat, quinam euentus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit? Plurimum in bello pollere videntur militum copia & virtus, ingenia imperatorum, fortuna per omnia humana maximè in res bellicas potens. Ea & singula intuenti, & vniuersa, sicut ab alijs regibus gentibusq;, ita ab hoc quoq; facile praestant inuictum Romanum imperium. Iam primum ut ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium ducem fuisse Alexandrum: sed clariorem tamen cum facit, quod vnus fuit, quod adolescens in incremento rerum nondum alteram fortunam expertus, decepsit. Vt alios reges claros ducesq; omittam, magna exempla casuum humanorum: Cyrum quem maximè Graeci laudibus celebrant, quid nisi longa vita, sic Magnum modo Pompeium vertenti praebuit fortuna? Recenseam duces Romanos, nec omnes omnium aetatum, sed ipsos eos, cum quibus consulibus, aut dictatoribus Alexandro fuit bellandum: M. Valerium Coruinum, C. Martium Rutilium, C. Sulpitium, T. Manlium Torquatum, Q. Publicum Philonem, L. Papyrium Cursorem, Q. Fabium Maximum, duos Decios, L. Volumnium, M. Curtium, deinceps ingentes sequuntur viri, si Punicum Romano praeruertisset bellum, seniorq; in Italiam traiecisset. Horum in quolibet tum indoles eadem, qua in Alexandro erat, animi ingenijq; tum disciplina militaris iam inde ab initijs vrbis tradita per manus, in artus perpetuis praecipis ordinata modum venerat. Ita reges gesserant bella: ita deinde exactores regum, Iunij, Valerijq; ita deinceps Fabij, Quintij, Cornelij: ita Furius Camillus, quem iuuenes duo, quibus cum Alexandro dimicandum erat, senem viderant. Militaria opera pugnando obeunt Alexandro (nam ea quoque haud minus clarum eum faciunt) cessisset videlicet in acie oblatas par Manlius Torquatus: aut Valerius Corvinus, insignes ante milites, quàm duces? Cessissent Decij deuotis corporibus in hostem ruentes? Cessisset Papius Cursor alio corporis robore, illo animi: victus esset consilij iuuenis vnus, ne singulos nominem, senatus ille? quem qui ex regib; constare dixit, vnus veram speciem Romani Senatus cepit. Id verò erat periculum, ne solertius, quàm quis vnus ex ijs quos nominauit, castris locum caperet, commetatus expediret, ab insidijs praecaueret, tempus pugna eligeret, aciem instrueret, subsidijs firmaret. Non iam cum Dario rem esse dixisset: quem mulierum ac spadonum agmen trahentem, inter purpuram atque aurum eneruatam fortuna sua apparatus, praedam verius quàm hostem, nihil aliud quàm bene ausus vana contempere, incruentus deuicit. Longè alius Italia quàm India, per quàm temulento agmine comessabundus incepsit, visus illi habitus esset, saltus Apulia, ac montes Lucanos cernenti, & vestigia recentia domestica cladis: vbi auunculus eius nuper Epitirex Alexander absumtus erat. Et loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit. Quis ex habitu nouae fortuna, nouiq; (ut ita dicam) ingenij, quod sibi victor induerat, spectatur: Dario magis similis quam Alexandro in Italiam venisset, & exercitum Macedonia oblitum degenerantè quàm iam in Persarum mores adduxisset. Referre in tanto rege piget superbam mutationem vestis, & desideratas humi iacentium adulationes, etià victis Macedonibus graues, ne dùm victoribus: & feda supplicia: & inter vinum & epulas cades amicorum: & vanitatem ementienda stirpis? Quid si vini amor in dies fieret acrior? quid si trux ac praefervida ira? (nec quicquam dubium inter scriptores refero) nullane haec damna imperatoris virtutibus ducimus: Id verò periculum erat, quod leuissimi ex Graecis qui Parthorum quoq; contra nomē Romanū glorie fauent, dictitare solent, ne maiestate nomenis Alexandri, quē nec fama quidem illis

illis notum arbitror fuisse, sustinere non potuerit pop. Rom. & aduersus quem Athenis in ciuitate fracta Macedonum armis, cernente tum maxime prope fumantes Thebarum ruinas, concionari liberè ausi sint homines (id quod ex monumentis orationum patet) aduersus eum nemo ex tot proceribus Romanis vocem liberam missurus fuerit. Quantalibet magnitudo hominis concipiatur animo, vnius tamen ea magnitudo hominis erit. collecta paullo plus decem annorum felicitate, quam qui eò extollunt, quod pop. Rom. et si nullo bello, multis tamen praelijs victus sit, Alexandro nullius pugna non secunda fortuna fuerit: non intelligunt se vnius hominis res gestas, & eius iuuenis, cum populi iam octingentesimum bellantis annum rebus conferre. Miremur, si cum ex hac parte secula plura numerentur, quam ex illa anni: plus in tam longo spacio, quam in aetate 13. annorum fortuna variauerit. Quin tu hominis cum homine, & ducis cum duce, fortunam cum fortuna confers? Quod Romanos duces nominem, quibus nunquam aduersa fortuna pugna fuit: Paginas in annalibus magistratum fastisq; percurrere licet, consulum dictatorumq; quorum nec virtutis, nec fortuna illo die pop. Rom. pœnituit. Et quo sint mirabiliores quam Alexander, aut quisquam alius rex: denos vicesq; dies quidam dictaturam, nemo plus quam annum consulatum gessit. ab Tribunis plebis delectus impediti sunt: post tempus ad bella ierunt: ante tempus, comitorum causa reuocati sunt: in ipso conatu rerum circumegit se annus: collega nunc temeritas: nunc prauitas impedimento, aut damno fuit: male gestis rebus alterius successum: tyronem, aut mala disciplina institutum exercitum acceperunt. At hercule reges, non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumq; trahunt consilijs cuncta, non sequuntur. Inuictus ergo Alexander tum inuictis ducibus bella gessisset: & eadem fortuna pignora in discrimen detulisset: imò etiam eo plus periculi subisset, quod Macedones vnum Alexandrum habuissent, multis casibus non solum obnoxium, sed etiam offerentem se: Romani multi fuissent Alexandro vel gloria, vel rerum magnitudine pares, quorum suo quisque fato sine publico discrimine viueret, morereturq;. Restat ut copie copijs comparentur vel numero, vel militum genere, vel multitudine auxiliorum. Censebantur eius aetatis lustris ducena quinquagena militum capitum. Itaque in omni defectione sociorum Latini nominis urbano prope delectu decem scribebantur legiones, quaterni quinq; exercitus, saepe per eos annos in Hetruria, in Vmbria, Gallis hostibus adiunctis in Samnio, in Lucanis gerebant bellum. Latium deinde omne cum Sabinis, & Volscis, & Aequis, & omni Campania, & parte Vmbriae Hetruriaeq; & Picentibus, & Marsis, Pelignisq; ac Vestinis atque Apulis, adiunctaq; omni ora Graecorum inferi maris à Thurys Neapolim & Cumas, & inde Antio atque Hostia tenus Samnites, aut socios validos Romanis, aut fractos bello inuenisset hostes. ipse traiecit mare cum veteranis Macedonibus non plus triginta millibus hominum, & quatuor millibus equitum, maxime Thessalorum, hoc enim roboris erat, Persas, Indos, aliasq; se adiunxisset gentes, impedimentum maius quam auxilium traheret. Adde, quod Romanis ad manum domi supplementum esset: Alexandro (quod postea Annibali accidit) aliènd in agro bellanti, exercitus consenuisset. Arma clypeus, sarissaq; illis, Romano scutum, maius corpori tegumentum, & pilum haud paulo quam hasta vehementius ictu missuq; telum. Statarius uterque miles, ordines seruans: sed illa phalanx immobilis & vnius generis: Romana acies distinctior, ex pluribus constans: facilis partienti quacunque opus esset, facilis iungenti. Iam in opere quis par Romano miles, quis ad tolerandum laborem melior? Vno praelio victus Alexander, bello victus esset. Romanum, quem Caudum, quem Cannam non fregerunt, quae fregisset acies? Na ille saepe etiam si prima prosperè euenissent, Persas, & Indos, & imbellem Asiam quassisset, & cum fœminis sibi bellum fuisse dixisset: quod Eperi regem Alexandrum mortifero vulnere ictum dixisse ferunt, sortem bellorum in Asiagestorum ab hoc ipso iuvene cum sua conferentem. Equidem cum per annos quatuor & viginti primo Punico bello classibus certatum cum Pœnis recordor, vix aetatem Alexandri suffecturam fuisse reor ad vnum bellum. Et forsitan cum fœderibus vetustis iuncta Punica res Romana esset, & timor par aduersus communem hostem duas potentissimas armis utriusq; vrbes armaret, simul Punico Romanoq; obratus bello esset. Non quidem Alexandro duce, nec integris Macedonum rebus, sed experti tamen sunt Romani Macedonem hostem aduersus Antiochum, Philippum & Persen, non modò cum clade vlla, sed ne cum periculo quidem suo. Absit inuidia verbo, & ciuilia bella sileant, nunquam ab

*equite hoste, nunquam à pedite, nunquam aperta acie, nunquam equis utique, nunquam iniquis locis laborauimus. Equidem sagittas, saltus impeditos, aua commeatibus loca, grauis armis miles timere potest, mille acies gruiore, quàm Macedonum atque Alexandri, auertit: auertet q̄ modo sit perpetuus huius qua viuimus pacis amor, & ciuilibus cura concordia.*

### Ab eodem lib. V. Dec. IV. cum Pyrrho, Hannibale, Scipione.

*Claudius secutus Græcos Acilianos libros, P. Africanum in ea fuisse legatione tradit, eum q̄, Ephesi collocutum cum Annibale, & sermonem etiam unum refert, quo quarenti Africano, quem fuisse maximum imperatorem Annibal crederet, respondisse, Alexandrum Macedonum regem; quod parua manu innumerabiles exercitus fudisset, quod q̄ ultimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset, quarenti deinde, quem secundum poneret, Pyrrhum dixisse, castra metari primum docuisse: ad hoc neminem elegantius loca cepisse, praesidia disposuisse: artem etiam conciliandi sibi homines eam habuisse, ut Italica gentes regis externi, quàm populi Rom. tam diu principis in ea terra, imperium esse mallent. exequenti quem tertium duceret, haud dubiè semetipsum dixisse, tum risum obortum Scipioni, & subiicisse, Quidnam tu dices, si me uicisses: tum me uerò, inquit, & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante omnes alios imperatores esse, & perplexum Punico astu responsum, & assentationis genus Scipionem mouisse, quod è grege imperatorum uelut inestimabilem secreuisset.*

### Ab eodem l. 6. Dec. 3.

### Natalis Scipionis collatus cum Alexandri natali.

*Hic mos, qui per omnem uitam seruabatur, seu consulto, seu temerè uulgata opinionum fidem apud quosdam fecit. Stupis eum diuina uirum esse, retulit q̄, famam in Alexandro Magnoprius uulgatam & uanitate, & fabula parem: anguis immanis concubitu conceptum, & in cubiculo matris eius persape uisam prodigij eius speciem, interuentu q̄, hominum euolutam repente atque ex oculis elapsam. His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est: quin potius aucta arte quadam, nec abnuendi tale quicquam, nec palam affirmandi.*

### Paul. Messen.

### Procles Carthaginensis cum Pyrrho.

*Hunc (Pyrrhum) fortuna & rerum gestarum splendore Alexandro Philippi F. inferiorem fuisse restatur. In disponendis uerò in acie peditem equitumque copijs, & item capiendi consilij, quo hostis caperetur, arte illo multò meliorem.*

### A Cicerone l. de offic. n. 127.

### cum Philippo patre.

*Philippum quidem Macedonum regem, rebus gestis, & gloria superatum à filio, facilitate uerò, & humanitate uideo superiorem fuisse.*

### Ab Iustino lib. 9.

### cum eodem.

*Huic Alexander filius successit, & uirtute, & uitijs patre maior. Itaque uincendi ratio utriq̄, diuersa: hic aperte, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fuis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentiore. Iræ pater dissimulare, plerumq̄, etiam uincere, hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Vini nimis uterque auidus, sed ebrietatis diuersa uitia: patri mos erat etiam de conuiuio in hostem procurrare, periculis se temerè offerre. Alexander non in hostem, sed in suos sauebat. Quamobrem Philippum saepe uulneratum praelia remisere: hic amicorum interfectore conuiuio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat.*

bat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus utriusque similis. Solertia pater maioris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderator. Parcendi victis filius animus & promptior, & honestior. Frugalitati pater, luxuria filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperij fundamenta pater iecit, operis totius gloriam filius consummauit.

### Apud Sallustium in lib. 3. histor. fragmentis. cum Pompeio.

Sed Pompeius prima adolescentia, sermone fautorum, similem fore se credens Alexandro regi, facta consultaque eius quondam amulus erat.

### A Tacito lib. 2. Annal. cum Germanico Cæsare.

Funus sine imaginibus & pompa, per laudes & memoriam virtutem eius celebre fuit. Et erant qui formam, aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interijt, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidias externas inter gentes occidisse. sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, vno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus praliatorem, etiam si temeritas absuerit, praepeditusque sit percussas tot victorijs Germanias seruitio premere. quod si solus arbiter rerum, si iure & nomine regio fuisset, tantopromptius adsecuturum gloriam militia, quantum clementia, temperantia, caeteris bonis artibus praestitisset.

### Ab Agellio lib. 7. c. i.

### Natalis Scipionis cum Alexandri natali.

Quod de Olympiade Philippi regis uxore, Alexandri matre in historia Graeca scriptum est, idem de P. Scipionis quoque matre, qui prior Africanus appellatus est, memoria datum est. Nam & Caius Oppius, & Iulius Higinus, alijque, qui de vita, & rebus Africani scripserunt: matrem eius diu sterilem existimatam tradunt. P. quoque Scipionem cum quo nupta erat, liberos desperauisse. Postea in cubiculo, atque in lecto mulieris, cum absente marito cubans sola obdormisset: visum repente iuxta eam cubare ingentem anguem. Eumque, ijs, qui viderant, territis & clamantibus elapsum inueniri non quisse. Id ipsum P. Scipionem ad aruspices retulisse. Eos sacrificio facto respondisse. fore ut liberi gignerentur. Neque multis diebus postea quum ille anguis in lecto visus est, mulierem concepisse, concepti fetus signa, atque sensum pati. Exinde mense decimo peperisse. Natumque esse hunc P. Scipionem Africanum, qui Annibalem & Carthaginienses in Africa bello Punico secundo vicit.

### Ab Ælio Lampridio in Alex. Seuero. cum Alexandro Seuero Imperatore.

Alexandri nomen accepit, quod in templo dicato apud Arcenam urbem Alexandro Magno, natus esset, quum casu illuc die festo Alexandri pater cum uxore patria solennitatis implenda causa venisset: cui rei argumentum est, quod eadem die natalem habet hic Mammaea Alexander, qua ille Magnus excessit à vita.

### Et ibidem.

Legit & vitam Alexandri, quem praecipue imitatus est: etsi in eo condemnabat ebrietatem & crudelitatem in amicos, quamuis virumque defendatur à bonis scriptoribus, quibus sapius ille credebatur.

### Et cum Dijs collocatus.

Alexandrum verò Magnum inter Diuos & optimos in larario maiore consecrauit. Οχρεος οππηνωριου ab aureo dicendi flumine dictus D. Chrysothomus homil. 26. in posteriorem ad Corinthios, etiam ab senatu Romano inter Diuos relatum

rum affirmat, & tertium decimum dictum inter consentes Romanorum prae-  
cipuos Deos. Sed de Senatus decreto haud scio an res non sapiat fabulam.

A Plutarcho lib. 2. de fortuna Alexandri.  
cum Hercule, Agamemnone, Achille, Vlysse,  
Diomede, Cyro, Agesilao, Themistocle,  
Philippo patre, Brasida, Pericle,  
Solone, Miltiade.

Etenim Alexandri ingenium siquidem, ex multis ab ipso create Deo aptum & con-  
sertum virtutibus est, nonne Cyri spiritus, Agesilaei temperantiam, Themistoclis soler-  
tiam, Philippi experientiam, Brasidae fiduciam, Periclis dicendi vim, administrandae rei-  
publicae scientiam habere, non dixerimus? Quamquam si vetustiores repetamus, Aga-  
memnone temperantior erat: quippe ille captivam iustae uxori prae tulit; hic à captis absti-  
nere, sibi imperare sustinuit, antequam iustae nuptiae fuerunt. Animi verò magnitudine  
vel magnum Achillem praestitit: quippe ille parva pecunia Hectoris defunctum corpus  
vendidit, hic verò grandi aere Darium funeravit. Rursus ille munera ab amicis, iraque, po-  
nenda pretium accepit, hic hostes armis victos, etiamnum opibus cumulavit. Nam Dio-  
medem quidem pietate antecelluit, etenim ille cum Dijs pugnare confidentissime sustinuit.  
hic autem omnia Deorum caepa per decus evadere semper arbitratus est. Postremo cha-  
rior necessarius Vlysse quoque fuit, siquidem illius mater mortem mærore obiit, huius verò  
hostis mater pro desiderio eius commori obstinavit.

Et:

Agedum Alexandrum consideremus uniuersorum contentione. Iam primum igitur  
Solon Athenis tabulas novas instituit, quam Sesachthiam nuncupavit, quasi dicas oneris  
excussum: Alexander pro his qui versuram fecerant, faeneratoribus dissoluit, Pericles  
Graecis tributorum collatione exhaustis, extractis passim fanis arcem Athenarum adorna-  
uit. Alexander barbarorum opes raptas in Graeciam importandas curavit, templaque Dijs  
extruenda locari decem talentorum millibus iussit. Brasidam in Graecia famigeratum fe-  
cit auditum ad Methonem eum ferociter percurasse, disiecto circa maritimam oram  
hostium exercitu: Alexandri verò atrocem illum saltum, & auditu incredibilem, & visu  
horrendum, praecipiti saltu sese è muro librantis in hostes, hastis, spiculis, ensibus, proti-  
nus illum excepturos, cui aequius quàm fulmineo igni assimilare possumus erumpenti è  
nube, vel à turbine raptò: cuiusmodi quondam visa ignitis armis offulgentia deorsum  
ferri videntur. Ceterum illi stupore primum perculsi, qua cuique proximum fuit, trepidi  
refugerunt; deinde cum hominem unum animaduertissent multos ferociter impetentem,  
restitere. Ibi vero fortuna magna egregiaque benevolentia exempla in Alexandrum edi-  
dit.

Idem Alexandrum Pompeio in Pyrrho: in comparatis vitis, Caesari opposuit.

Ab Appiano lib. 2. pag 522. &c. de bellis ciuilibus.  
cum Iulio Caesare.

Vir per omnia fortunatus, & magnificus, meritoque cum Alexandro conferendus. ambo  
enim fuere ambitiosissimi bellicosissimique, in consilijs exequendis celerrimi, in periculis ag-  
grediendis audacissimi, minime parcetes suo corpori, nec magis imperatoris artibus freti,  
quam fortuna & audacia. Quorum alter per loca squalentia, longum iter ad Hammonis  
oraculum fecit tempore feruentissimo, & intimum Pamphylium suum vadis vento nu-  
datis transcurrit feliciter, fortuna interim marina undas cohibente, sicut prius iter fa-  
cienti pluuiam temperauerat. Apud Indos etiam ignotum mare pertentauit nauibus,  
primusque scalis ascendit mœnia, & inde solus in hostes desiluit, accepitque tredecim vul-  
nera: & semper inuictus bellum vno alteroue absoluebat praelio: in Europa multorum  
barbarorum domitor, & Graecorum gentis subiugator, amantissima libertatis, quem nemi-  
ante paruerat, praeterquam Philippo, idque breui, & sub decore imperatoris titulo. Asiam  
verò ferme uniuersam mira celeritate peruagatus, & ut compendio dicam, eius fortu-  
na m

nam atq. potentiam quicquid terrarum vidit, subegit: de reliquo inuadendo cogitantem mors interceptit. Casari verò & Adriaticum mare nauiganti media bruma tranquillum cecit, & Britanicus Oceanus traiciendi, nunquã tentatus antea: quo tempore gubernatores ad Britannica saxa appulsos coegit naues frangere: sicut aliatē peste solus in nauicula contra fluctus tendens gubernatorem vela ventis dare iussit, & Casaris fortunã pluris quã mare facere. Nec semel in hostem profiliit solus ceteris trepidantibus: & vnus omnium imperatorum decertauit cum Gallis triginta pralijs, donec quadringentos eorum subegit populos: ea tenus Romanis tã formidabiles, vt in lege qua immunitas militia cõceditur sacerdotibus & natu grandibus, excepta sint bella Gallica: horũ enim tempore nec senibus, nec sacratis viris vacatio permittitur. Ceterum in Alexandrino bello solus in ponte interclusus premente hoste abiicit purpuram, & in mare desiliit: insectantibusq. regis diu sub aquis natauit, per interualla tantum respirans, prolato capite, donec ad vnicam nauem adnatans, porrectis manibus agnitus est & seruatus. Ad hæc verò ciuilia bella, siue metu, vt ipse aiebat, siue ambitione delatus, cum ducibus sui seculi præstantissimis congressus est, cumq. multis ac magnis exercitibus, non iam barbaris, sed Romanis, tum viribus, tum rebus gestis florentissimis: omnes tamen deuicit, vno atq. aliero pralio singulos. Sed non ita, vt Alexander perpetuo fuit inuictus. nã & à Gallis insignis clades accepta est, ductu Titureij Cottæq. legatorũ: & in Hispania Casariani à Petreio Afraniog. sic cincti sunt vndiq., vt ab obseßus differrēt minimũ: ad Dyrrachium verò & in Africa versi in fugam, & in Hispania contra Pompeiũ trepidatũ est in acie. Verũm Casar ipse semper interritus, bello certè nullo victus est, & imperium Romanum ab Euphrate Occidentalem vsq. Oceanum iam tum parens, partim vt, partim beneficentia pertraxit in suam potestatem, firmitus multò quã Sylla & temperantius: nam inuitis omnibus rex factus est, quamquã nomine abstinuit: dumq. ipse quoq. alia bella parat, è medio sublatus est. Quis & exercitus vtriusq. fuit similis, alacris in pugna & ferocissimus, interdum tamen contumax & sediciosus continui laboris tadio: vtrumq. certè suus defunctum luxit & desiderauit pariter & diuinis dignatus est honoribus. Ambo etiam pulchri fuere, & eximys corporis dotibus à natura præditi: Vtriusq. genus à Ioue, illius per Araci Herculisq. stemmata, huius per Anchisen & Venerẽ. Et cum contentiosi essent erga aduersarios, tamen erga victos erant faciles ad veniam & gratiam, & insuper benefici sola contenti victoria. Atque hæctenus quadrat collatio, nisi quod non à paribus inijs exorsi sunt: sed ille à regno iam exercitatus Philippi auspicijs: hic à priuata conditione, licet nobili ac illustri, pecuniarum tamen admodũ indiga. Prodigiõrũ ad se pertinentiũ vterq. contemptor fuit: neuter molestus vatibus mortem prædicentibus: & ipsa prodigia propemodũ eadem vtriq. sunt oblata, euentu quoq. simili. Nam vtriq. bis exta visa sunt sine capite primò periculum anceps portendentia, in Oxydracis, Alexandro, dum ante alios conscensis mæmibus & scalis post se fractis pondere, in muro à suis destitutus, & in hostem desilire ausus, in pectus grauitè sauciatus, inlicita in cervicẽ quoq. claua, moribundus, agrè à Macedonibus, refracta ob ignominia metum porta, seruatus est; Casari verò in Hispania, dum suis trepidè contra iuniorẽ Pompeiũ in aciem progressis inter utrosq. procurrens, tela ducenta excepit clypeo, donec exercitus, metu pudori cedente, accurrēs eum protexit. Atq. ita priora exta sine capite extremum periculum eis significarunt, secunda verò præsens exitium. Nam Pithagoras vates Apollodoro, & Alexandrũ & Hephæstionem metuenti, extis inspectis auctor fuit bene sperandi, quando vterq. breui tollendus esset è medio: moxq. Hephæstione defuncto, Apollodorus timens nequa cõtra regem aleretur conspiratio, præsagium id ei prodidit. Ille ridens, ex ipso Pithagora quasiuit quidnã indicarent exta: qui vbi respondit, extremũ diem significari, rursum arridens, & Apollodori studiũ laudauit, & vatis vocem liberã, Casari verò extremum in Senaiũ eunti, vt pauld ante dixi, idem prodigiũ oblatum est: quod ille irridens, ait tale sibi visum etiã in Hispania: cumq. aruspex respondisset, tum quoq. magnũ eum adysse discrimen capitis, nunc verò maius etiam exta mimari, cedens nonnihil tam confidenter monenti, denuo sacrificauit, donec moram sacrorum pertasus, curiã ingressus perijt. Idem & Alexandro accidit, repotentem enim Babylonẽ cum exercitu post victorias Indicas, iam propinquantem vrbi Chaldei monebant, differret introitum: respondit ille vulgato prouerbio, Qui bene conijciat vatem hunc perhibeto optimum. Tum Chaldei denuo rogabant, saltem nõ Occidentem spectans induceret exercitiũ, sed ita circumductis copijs, vt à fronte urbem & Orientem solem habeat: fertur hæctenus eum paruisse, vt cæperit circumducere, sed offensum via cænosa palustriq., posteriora quoq. contempsisse vatum monita, atq. ita introgressum obuersa in solem occidũ facie. Nec multo post secundo Euphrate nauigauit ad Pallacortem fluuium, qui Euphratem excipiens in paludes & stagna deuehit, inundaturũ alioquin totam Assyriam, eum fluuium cum mu-

nire cogitaret, nauigās illuc fertur & uallatus in Chaldaeos, quod saluus & intrasset Babylonem, & tunc exiret nauigio: sed mox rediturum manebat extrema dies. Similiter & Caesar cauillatus est; nam pramonitus à uate fatales sibi esse Idus Martias, ubi ea dies uenit, exprobrauit illi adesse Idus: & tamen ultra eas non uixit. Ita hic quoq; omnia conueniunt prodigia, uatum monita æquo animo audita, cauillatio, prædictiois euentus inuenitabilis. Scientiarum etiam fuere amatores, tam patriarumquàm Græcarum externarumq;: Alexander Brachmanis collocutus, qui habentur Indorū subtilissimi & sapientissimi, sicut Persarū Magi: Caesar cum Aegyptijs, quando præsens Cleopatram reduxit in regnum, quapropter etiam in pace multa apud Romanos correxit: & annum ad id ætatis inæqualem propter intercalares menses (nam ratione lunari utebantur) iuxta solis cursum ordinauit, auctoribus Aegyptijs. Quin & illud ei contigit, ut nemo ex cõiuratis euaserit, sed pænas meritas eius filio dederint, sicut Alexandro interfectores Philippi. Quomodo autem dederint, dicetur in sequentibus uoluntinibus.

Ab Luciano tom. I. pag. 281.

## Dial. de inferis in Alex. cum Hannibale & Scipione.

O Lybice, me decet præponi, melior equidem sum. Hannibal. Imò uerò me. Alex. Iudicet ergo Minos. Min. Quinã estis uos? Alex. Hic est Hannibal Carthaginiensis, ego autem Alexander Philippi regis filius. Min. Per Iouem, utriq; gloriosi. Sed qua de re uobis altercatio est? Alex. De præstantia, dicit enim is se meliorem, quàm me ducem exercitus fuisse, ego uerò quemadmodum omnes sciunt, nõ hoc solum, sed omnibus fermè, qui ante meam ætatem fuere, in re militari, præstantiorem me esse affirmo. Minos. Dicat ergo uterq; uicissim, tu uerò, ô Lybice, prius loquaris. Hannib. Vnum hoc me iuuat, quod & sic sermonè Græcum didicerim, ut neq; etiam hac in re Alexander me superet. Porro illos maxime laude dignos puto cum parui à principio fuere, propria uirtute ad magnam gloriã euasere, potentesq; per se ipsi facti, & principatû digni habiti. Ego igitur cum paucis quibusdam Hispaniam primum inuadens, cum sub fratre præfectum agerem, maximis rebus idoneus atq; optimus iudicatus sum. Ibi tum Celtiberos cepi, atque Gallos ipsos deuici. Et cum magnos mentes transmigrassem, omnem Eridaniû transcurri, multasq; ciuitates euerti, & planam Italiam subiugauit, & usq; ad suburbia Romæ grassatus sum, totq; uno die Romanos cecidi, ut annulos eorû modijs mensurari oportuerit, & ex cadaueribus pontes fluminibus fecerim. Atq; hæc omnia peregi, nec ammonis dictus filius, neq; Deû me fingens, aut matris infomnia narrans, sed me hominem fatebar, pugnabamq; contra duces magna prudentia, contra milites magna audacia atq; fortitudine præditos. Non aduersus Medos, aut Armenios, qui antequàm quispiam sequatur, fugiunt, & facile cuius audenti uictoriam tradunt. Alexander uerò regni patris successor, & ia fortuna quodam impetu ampliauit. Qui cum deuicto misero illo Dario, apud Issum & Arbelas uictoriã cepit, antiquã ex patre consuetudinè omittens, adorari sese uoluit, seseq; ad Medorû delicias ac uiuendi modû contulit, atq; in conuiujs amicos interemit, interficientibusq; auxiliû tulit. Ego autem patria dominatus sum, quæ cum me reuocaret hostiû magna classe aduersus Lybiam nauigante, parus, continuoq; me hominem priuatum dedi, & damnatus æquo animo rem tuli. Atq; hæc egi barbarus cum essem, omnisq; Græcorum disciplina expertus, & neq; Homerum, ut hic edidici, neq; Aristotele sophista magistro eruditus fui, sed solû mea natura optima sum usus. Hæc sumi, quibus me meliorem Alexandro esse puto. Si uerò ea causâ mihi hic præferendus est, quod caput diademate ornauerit, id decorum forsan apud Mæcedones est, non tamen ob id præstantior hic uideri debet generoso duce, & uiro, qui mentis sententia magis quàm fortuna est usus. Minos. Hic certe orationem neq; ignauam, neq; ut Lybicum decebat, dixit: tu uerò Alexander, quid ad hæc inquis? Alex. Oportet quidem, ô Minos, homini ad cõtemerario nihil respondere. Sola enim te fama satis edocere potest, qualis ego rex, qualis hic latro habitus fuerit. Aduerte tamen, an parum ipsum superauerim, qui cum adolescens adhuc essem, rem aggressus, regnum obtinui, & de patris mei interemptoribus supplicium sumpsi. Ac cum Thebas subuerissem, totius Græcia terrori fui, ab ea dux electus. Neq; dignum putauit, Mæcedonum regno me contentum esse, quod pater reliquerat, sed totum terrarû orbem situri, parum existimans, nisi rerum omnium dominus essem: paucos quosdam mecum agens in Asiam exercitum traduxi, & apud Granicum magna pugna uici, Lydiam, Ioniam & Phrygiam cepi. Et tandem quæcumq; transieram subiugans, ueni ad Issum, ubi Darius me expectabat, infinitos exercitus secum agens. Post hæc, ô Minos, uos ipsi scitis, quot ad uos uno die mortuos miserim. Dicit enim Charon, tunc sibi scapham non suffecisse, sed ratibus compositis illorum plerosque se transportasse, atque hæc confeci me ipsum periculis opponens, & in pugna uulnerari non timens. Et ut quæ apud Ty-



rum & Arbelas gesta sunt omittam, usque ad Indos veni, atque Oceanum mei regni terminum feci, & illorum hominum elephantem cepi, ac Porum captivum abduxi. Scythas vero homines certe non spernendos, Tanaim transiens magna equitum pugna vici, ac amicos meos remuneravi, inimicos autem ultus sum. Si vero Deus hominibus videbar: parcendum illis erat. Nam rerum magnitudine, ut tale aliquid de me crederent inducti sunt. Tandem mors me regem occupavit, hic autem Hannibal apud Prusiam Bythynia exulavit, ut crudelissimo & pessimo homini conveniens erat. Nam quo pacto Italos vicit, omitto dicere, quia non virtute, sed malitia atque perfidia & dolis id peregit, nunquam alicuius claritudinis aut iusti memor. Sed quoniam quod deliciose vixerim, vituperavit, oblitus mihi videtur eorum, quae apud Capuam admisit. Ibi enim voluptatibus vir iste mirabilis, belligerendi occasiones perdidit. Ego vero, nisi, ea quae sub Occidente sunt, parva quidem putans, versus Orientem me impulissem, quidnam a deo magni profecissem, si Italiam absque sanguine cepissem ac Lybiam, omnemque eam oram usque ad Gades sub potestatem redegissem? Sed haec ego tanta contentione digna non putavi, praesertim iam antea illis percussis, ac dominum agnoscentibus. Dixi. Tu vero, Minos, iudica: Nam & haec est multis protulisse satis est. Scip. Non, nisi me prius audias, o Minos. Minos. Quis tu vir optime, es? aut unde? quod hisce claris ducibus te conferre audes? Scip. Scipio Romanus, qui Carthaginem delevi, & Afros multis magnisque praelys devici. Mi. Quid dicitur & tu dicis? Scip. Alexandro quidem minore esse me, Annibale autem praestantior, ut qui ipsum victum persecutus fuerim, & ad turpem fugam compulerim. Quomodo ergo non impudens iste videatur, qui cum Alexandro se compareret, cui ne ipse quidem Scipio, qui istum devici comparare me ausim? Min. Per Iovem aqua dicit, Scipio: quapropter primus quidem iudicetur Alexander, deinde post illum tu: atque tum, si placet, tertius hic Hannibal, quippe qui nec ipse contemnendus existat.

### Apud Xiphilinum.

Antonius Caracalla imperator seipsum cum Alexandro composuit, & Orientalē Alexandrū appellavit.

Redi ad caput 9.

Idem Spartianus de Caracalla memorat. Vide supra ibidem.

**Ab Corinthijs.** cum Hercule comparatus apud Senecam lib. 1. de Benef. c. 13.

Alexandro Macedoni, cum victor Orientis, animos supra humana tolleret, Corinthij per legatos gratulati sunt, & civitate illum sua donaverunt, cum risisset Alexander hoc officij genus, unus ex legatis, Nulli inquit, civitatem unquam dedimus alij quam tibi & Herculi. Libens accepit delatum honorem, & legatos in invitatione aliaque humanitate persecutus, cogitavit, non qui sibi civitatem darent, sed cui dedissent. Et homo gloria deditus, cuius nec natura, nec modum nouerat. Herculis Liberique vestigia sequens, ac ne ibi quidem resistens ubi illi defecerant, ad socium honoris sui respexit astantibus: tanquam calum, quod mente vanissima complectebatur teneret, quia Herculi aquabatur. Quid enim simile habebat vesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transiit non concupiscendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis honorum vindex, terrarum marisque pacator? At hic a pueritia latro gentiumque vastator, tam hostium pernicies, quam amicorum, qui summum bonum duceret, terrori esse cunctis mortalibus, oblitus, non ferocissima tantum, sed ignavissima quoque animalia timeri, ob virus malum.

Apud Curtium lib. 9. cap. 9.

Ipse se cum Hercule & Libero.

Iam perflare ad ipsos auram maris, ne inviderent sibi laudem quam peteret, Herculis & Liberi patris terminos transisturo, illos regi suo, paruo impendio, immortalitatem fama daturus.

Et mox.

Clamor ab exercitu est redditus, inbentium, duceret Djs secundis, aquaretque gloria, quos amularetur.

A Da.

ALEXANDROMASTIGES.  
A Daniele propheta cap. 8.  
cum hircō.

Et leuavi oculos meos, & vidi: & ecce aries vnus stabat ante paludem habens cornua excelsa, & vnum excelsius altero, atque succrescens. postea vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestię non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius: fecitque secundum voluntatem suam, & magnificatus est. Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terrę & non tangebatur terram: porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos. Et venit vsque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suę. Cumque appropinquasset prope arietem: & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries resistere ei: cumque eum misisset in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: Cumque creuisset fractum est cornu magnū, & ortę sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cęli.

Ex eodem.

Aries quem vidisti habere cornus, rex Medorum est atque Persarum. Porro hircus caprarum, rex Gręcorum est, & cornu grande quod erat inter oculos eius ipse est rex primus. Quod autem fracto, illo surrexerunt quatuor pro eo; quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius.

Ab eodem cum Pardo.

ET REGNUM TERTIVM ALIVD AEREVM QVOD IMPERABIT VNIVERSA E TERRA. *Hoc est regnum Alexandri & Gręcorum. Alexander enim penę vniversę terra nostrati dominatus est, ita vt sub eo ipsa se curuans siluerit quasi tacite agnoscens eum dominum. dico nostrati, non enim Alexander adit & denicit Chineses, Peruanos, Mexicanos &c. Ita S. Hier. & passim alij. Perperam ergo Orosius ex eo Prosper lib: de prad. & promiss. part. 2. c. 33. per ventrem & femora areę, acceperunt Carthaginense imperium.*

Cornelius de Lapide in Daniele.

Cur Gręcorum arii

*Quares, cur vocatur areum. Resp. S. Hieron. quia as non tantum forte est & durum, sed & vocalissimum est & sonatissimum. Talis fuit Alexandri & Gręcorum fama, & gloria, non tantum ob potentiam & bella fortiter gesta, sed etiam ob sapientiam, & eloquentiam, quę apud Gręcos floruit. Aes ergo primo significat areas tubas, galeas, loricas, & arma Alexandri pura clangorem tubarum, & armorum aneorum strepitum & fragorem, inter quę assidue ipse versabatur vsq; quasi musica suauissima delectabatur: fuit enim ipse pugnacissimus, non nisi arma, & martem spirans: nam veteres armis areis pro ferreis vtebantur; ars enim vsus antiquior est, quam ferri. Vnde Hesiodus,*

*Aere laborabant nondum noscentia ferrum  
Secula*

*Sic & Homerus Achilles & Gręcorum tela, & arma docet fuisse areę: quę Combe puella in Eubęa primum inuenit, indeq; cognominata est Chalcis. χαλκός enim Gręce significat as. ita ex Eustathio & alijs docet Caius Rhodiginus lib. 10. antiq. 50. vbi & addit, Combenuisse Aesopi filiam. Hinc & Gabriel archangelus Dan. 10. 5. brachia femora & tibias habuit instar aris candentis, quia hac specie representabat Machabaorum fortitudinem, & armorum splendorem. Sic & Deus in currū Cherubico pugnaturus contra Iudęos, induit corpus ex electro, id est aurichalis, quod est as optimum & fulgidissimum, vt dixit Ezech. 1. 27. Secundo, as resonans significat facundiam & eloquentiam Gręcorum. Tertio, as sonorum significat famam & gloriam gestorum Alexandri, quę subito toto orbe insonuit adeoque omnes percussit, vt certatim cuncti ei subderent se, aut cum eo fœdus inirent. Fuit ergo ipse as sonans, & cymbalum toto orbe tinniens. vnde & Lysippus eum ex are sculpsit, vt mox dicam. De fama Curtius: Tantus, aut, nominis eius Alexandri terrore vniversum orbem inuaserat, vt cunctę gentes velut iam destinato sibi regi adularerent.*

larentur. Hinc & 1. Machab. 13. dicitur in conspectu eius siluisse vniuersam terram, ac si audisset fragorem ruentis mundi. Quocirca verè dixit de eo Tertull. l. de pallio, sola ipsum fama sua fuisse minorem. De sapientia & eloquentia sola Athena, qua ab omnibus epithetum doctæ fortita sunt, locupletes sunt testes. Cicero orat. pro Flacco: Adhuc, ait, Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur. Plato in Prothagora, Athenas sapientiæ prytineum appellat. Mirum verò est, quod scribit Tertull. libro de anima c. 20. Thebis, ait, hebetes & brutos nasci relearum est; Athenis sapiendi dicendique acutissimo, vbi penes Colytum pueri mense citius eloquuntur præcoce lingua. Siquidem & Plato in Timæo Mineruam affirmat, cum urbem illam moliretur, nihil aliud quam regionis naturam perspexisse, talia ingenia pollicitam. Hodiernus latonis interpretis sic vertit; Dea vobis habitationem designauit delecto loco, in quo geniti estis temporum anni temperiem in eo conspiciat, quod sapientissimos viros producturus esset.

Æris verò huius tinnitum, id est, Alexandri famam & gloriam, sigillatim audi: Duodecim ferè in Alexandro eluxerunt dotes eximie, & elogia rara, quæ eius nomen apud omnes gentes celebrarunt. Collegit eas Cornelius de Lapide ex Plutarcho in eius vita, Q. Curtio l. 10. & Iustino. Has nos suprâ posuimus hic verbo repetitas.

1. Olympiadis venter in conceptu Alexandri de cælo tangi visus, & flamma inde erumpens. 2. Signatus deinde vterus Olympiadis. 3. Draco visus ad dormientis latus. 4. Ephesij templi conflagratio. 5. Tres nuncij Philippo allati: Victoriæ de Illyrijs, victoriæ rursus in Olympiæ certamine, & de nato Alexandro. De his Plutarchus. 6. De duabus aquilis. 7. De aquila volante supra caput eius cum pergeret in Darium. 8. Visus Apollo ad Tyrum. 9. Satyrus ad Tyrum. 10. Fragrantia corporis. 11. In Aphtharsia corporis post mortem ad multos dies in summo calore. 12. Summa celeritas, vnde & fulmini comparatus.

Solus Apuleius incomparabilem iudicauit, cuius encomium è primo Floridorum hic subscribo: *Alexandro illi longè olim excellentissimo regi, cui ex rebus actis & auctis cognomentum Magno imditum est, placuit, ne nisi vnicam gloriam adeptus sine laude vnquam nominaretur. Nam solus à condito auro, quantum hominum memoria extat, inexuperabili imperio orbis auctus, fortuna sua maior fuit: successusq; eius amplissimos & prouocauit ut strenuus, & equiparavit ut meritis, & superavit ut melior, solusq; sine æmulo clarus; ad eum ut nemo eius audeat, vel sperare virtutem, vel optare fortunam. Eius igitur Alexandri multa sublimia facinora, & præclara edita fatigaberis admirando, vel belli ausa, vel domi prouisa, quæ omnia aggressus est meus Clemens eruditissimus & suauissimus poetarum, pulcherrimo carmine illustrare. Sed cum primis Alexandri illud præclarum: quod imaginem suam quo certior posteris proderetur, noluit à multis artificibus vulgo contaminari, sed edixit vniuerso orbi suo, ne quis effigiem regis temerè assimilaret are, colore, calamine: quin sæpe solus eam Polyclethus are duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles calamine excuderet. Præter hos tres multò nobilissimos in suis artificijs, si quis vspiciam reperiretur alius sanctissimi imagini regis manu admolitus, haud secus in eum, quàm in sacrilegum vindicaturus. Eo igitur omnium metu factum solus Alexander ut vbique imaginum summus esset, utque omnibus statuis & tabulis & iocumatis idem vigor acerrimi bellatoris, idem ingenium maximi honoris, eadem forma viridis iuuenta, eadem gratia reclinæ frontis cerneretur.*

Agathias Scholasticus etiam Duces Alexandri post mortem eius ob nominis claritudinem, famam & admirationem, diu in Asia & India regnasse testatur, diutiusque regnatos fuisse, nisi inter se dissentientes armis concurrissent, & se ipsi euertissent: *Alexander enim Philippi filius, interfecto Dario rege Arsami filio, totaq; Perside subactâ, ad Macedonicam gubernationem res transtulit. Ita enim erat rerum gestarum magnitudine eximie clarus, belloq; insuperabilis, ut etiam posteaquam eum è viujs excedere contigit, successores tamen ipsius, Macedones cum essent, alienam exteramq; regionem quàm diutissimè in potestate retinuerint, & ad summam potentiam euaserint. Et sanè arbitrator eos etiam in hunc vsque diem regnatos, imperiumq; obtenturos fuisse,*

*Alexandri gloria suffultos, nisi inter se disidentes, frequentibusq; praelijs tum aduersus se mutuo, tum aduersus Romanos habitis plura habendi studio suas ipsorum vires potentiamq; fregissent, effecissentq; ut non amplius finitimis insuperabiles viderentur, cum aliquin imperassent non minore temporis spacio quàm Medi, septem videlicet annis minus; nam etiam in hac re credendum est Polyhistori. Cum itaque tanto tempore imperassent, à Parthis gente alijs subdita, minimeq; antea celebri imperio fuerunt exuti.*

### S. Chrysofomus cum S. Paulo Apostolo.

Aptud Sim.  
Metaph. &  
Theodorū  
Daphnipa-  
lum, Sur-  
tom. . Iu-  
nio. p. 877.

*Quid in mundi gloria est Alexandro gloriosius, aut quid sublimius? non viuus multa magna gessit, & praeclara? non & gentes, & vrbes subegit, & bella multa vicit, & praelia, & erexit trophaa? nõ existimatus est esse Deus tertius decimus à Senatu Romanorum? sed quod viuus quidem bella recte gereret & victorias obtineret, cum & rex esset & exercitus haberet, nihil mirum: post mortem autem & sepulturam vbique, & in terra, & in mari quotidie tam multa facere, hoc est quod maximam affert admirationem. vbi enim est, dic mihi, corpus Alexandri? ostende mihi, & dic diem in quo decessit. Sed non poteris. Pauli autem & praeclarum corpus videris, qui ad maximè regiam venerit ciuitatem, & illustrem eius mortis diem vniuersus orbis terra celebrat. Et res quidem illius, etiam sui ignorant; res autem huius sciunt etiam barbari; & Christi serui sepulchrum, est regis atrys splendidius.*

## C A P V T X V.

### Alexandromastiges.



*S*ed, ne quid per dissimulationem silentio transmittamus, quod vel maximè ad rem pertinet, & virtutes duntaxat, ac laudes Alexandri iactemus, vitia verò & flagitia premamus, perinde quasi sanctus vbique, iustusq; & inculpatus nihil vnquam peccarit: habuit, habuit, inquam, Alexander sicut Hephæstiones & Φιλαλέξιδης multos, ita non paucos etiam Alexandromastigas, qui labe vitæ, & quicquid contra rationem, leges diuinas, & humanas designauit, quicquid crudeliter, flagitiosè, turpiterque dixit, fecit, gessit, illi & in os præsentis ingererent, & absenti mortuoq; exprobrarent, atque in literas mitterent, adeoque apud omnem posteritatem reum peragerent. Tria sunt, in quibus maximè offendit, primum cædes trium maximorum & innocentium virorum, Clyti fortissimi, Callisthenis sapientissimi, Orsinis satrapæ nobilissimi: deinde ebrietas cum ingenti sæpè luxu coniuncta: & ambitio atque superbia, qua humanæ sortis oblitus, ad diuinos grassari honores diuinitatem affectare, cœpitque velle pro Deo haberi, Deus credi, dici, coli, adorari, quod omnium propè popularium animos ab ipso auertit, & demùm in exitium vltimum præcipitem egit.

Primum elogium est ab Scythis, qui hæc Alexandro, vt pirata ille, coram in os: *Tu, qui gloriaris te ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es.*

### Hermolaus in Curtio.

*Nos verò, quoniam quasi nescias quaris, occidendi te consilium iniuimus, quia non vt ingenius imperare cœpisti, sed quasi in mancipia dominaris.* Primus ex omnibus, pater ipsius, Sopolis, parricidam etiam parentis sui clamitans esse, consurgit, & ad os manu obiecta, scelere & malis insanientem vltra negat audiendum. & quæ sequuntur cap. 15. toto.

**CICERO**, patrem filio præfert, & Philippum semper magnum, Alexandrum sæpè turpissimum fuisse dicit.

### Liuius l. 9.

*Referre in tanto rege piget superbam mutationem vestis, & desideratas humi iacensium*

rium adulationes, etiam victis Macedonibus graues, nequam victoribus; & fœda supplicia: & inter vinum & epulas cades amicorum; & vanitatem ementienda stirpis. Quid si vini amor in dies fieret acrior? quid si trux ac praeferuida ira? (nec quicquam dubium inter scriptores refero) nullane hac damna imperatoris virtutibus ducimus?

### Valerius Max. lib. 9. cap. 3.

Alexandrum iracundia sua propemodum calo deripuit. nam quid obstitit, quo minus illuc assurgeret, nisi Lysimachus leoni obiectus, & Clitus hasta traectus, & Callisthenes mori iussus? quia tres victorias totidem amicorum iniustus cadibus victor perdidit.

### Idem l. 9. c. 5:

Alexandri regis virtus & felicitas tribus insolentia gradibus exultauit euidentissimis. Fastidio enim Philippi, Iouem Hammonem patrem adsciuit: radio morum & cultus Macedonici, vestem & instituta Persica assumpsit: spretomortali habitu diuinum emulatus est; nec fuit ei pudori filium, ciuem, hominem dissimulare.

Idem de eiusdem cupiditate nimia laudis, & siti auaritiæ, cui totus non suffecit orbis, Angusta homini possessio gloria fuit, qua Deorum omnium domicilio sufficit.

### Curtius:

Crudelem Orsini eadem luculenta oratione Curtius ipse describit; ego verbo rem hinc tango. Bagoam spadonem, Orsines nobilissimus Pasargadarum princeps è Cyro natus, velut Mardochæus Ammanem sine cultu honoris transferat ad Alexandrum, & monitus ab alijs de Bagoa, quàm charus esset Alexandro, respondit: *amicos regis, non scorta se colere.* Hanc generosam vocem morte redimere coactus est Orsines; nec enim Bagoas destitit, quoad per criminationes illum in crucem tolleret. quod suo loco copiosius ostendemus. Magnam Orsini supplicium inuidiam apud omnes posteros Alexandro, nec immeritò, conciliauit. nec Sisenis Persæ mors laudi fuit Alexandro. Sed de Orsine, Clito, Callisthene, & Sifene plenius in Comment.

### Seneca:

Sed ex omnibus rerum scriptoribus capitaliorem hostem & acerbiorum insecratorem nullum habuit Alexander, quam Latinum philosophum Senecam, vbiq; sibi infestum, vbiq; obtreçantem, vbiq; obstreptentem, & omnia magna facinora eleuantem & prementem, vbiq; grauius insultantem. Nec Curtius suo imperatori parcat. Græcos ferè omnes multo sibi magis propitios sensit, qui etiam ingentia regis flagitia, vel excusant, vel molliunt, vt ex Plutarcho, Arriano, & alijs cognosci potest. Atque de eadè Cliti copiosissimè Curtius & Iustinus: Seneca paucissima cum ingenti aculeo. Refer. inquit, *Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum carissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit, certè debuit.*

Epist. 83.  
pag. 441.

### Atque de eodem.

Dabo tibi ex Aristotelis sinu regem Alexandrum, qui Clitum carissimum sibi & vna educatum inter epulas transfodit, & manu quidem sua parum adulantem & pigrè ex Macedone, ac libero in Persicam seruitutem transeuntem.

Li. 3. de ira  
cap. 17.

## Et cap. 22.

*Huius nepos (Antigoni, inquit Seneca, sed fallitur, Amyntas fuit) Alexander, qui lanceam in conuiuas suos torquebat, qui ex duobus amicis, quos paullo ante retuli, alterum Lyfimachum fera obiecit, alterum Clitum sibi.*

Natural.  
quæst. l. 6.  
c. 236

Iam de Callisthene philosopho ab Alexandro crudeliter interfecto, quid idem Seneca? ubi ex sententia Callisthenis de terræ motibus agit, ita disputat: *Rara terra natura est, multumque habens vacui per has raritates spiritus fertur, qui ubi maior influxit, nec emittitur, concutit terram. Hac placet & alijs ut paullo ante retuli, causa; si quid apud te profectura testium turba est, hanc etiam Callisthenes probat non contemptus vir, fuit enim illi nobile ingenium & furibundi regis impatiens. hoc est, Alexandri crimen aeternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet: nam quoties quis dixerit: Occidit Persarum multa millia; opponetur, & Callisthenem: quoties dictum erit; occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat; opponetur, & Callisthenem: quoties dictum erit, omnia Oceano tenus vici, ipsum quoque tentauit nouis classibus & imperium ex angulo Thracia usque ad Orientis terminos protulit: dicitur, sed Callisthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla transferit, ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam scelus Callisthenis. His laudibus celebrat Alexandrum Magnum Seneca, cui magni quoque cognomen penitus abdicauit; nam cum sæpius illius mentionem iniiciat, nusquam tamen magnum appellat, sed regem duntaxat, vel Alexandrum, vel Macedonem: imò latronem à pueritia, gentiumque vastatorem. Callisthenis crudelem mortem leges lib. s. c. 16. ad quod ex varijs scriptoribus multa prolata.*

*Ad ebrietatem & luxum veniamus, & Senecam laudantem audiamus. nam ubi de causa Clyti interepulas obruncati agit, hæc subiicit: Omne vitium ebrietatis & intendit & detegit: obstantem malis conatibus ver ecundiam remouet. Plures enim pudore peccandi, quam bona voluntate prohibitis abstinent. ubi possedit animum nimia vis vini, quicquid male latebat emergit: non facit ebrietas vitia, sed prodit: tunc libidinosus ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis quantum petierint sine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profiteretur ac publicat; tunc petulans non lingua, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas sauo, malignitas luuido. omne vitium detegitur & prodidit. adyce illam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: stomachi toruenta, cum efferuescit merum ac viscera ipsa distendit. Tunc tamen utrumque tolerabile est, dum illi vis sua est. Quid cum somno vitiatum & quæ ebrietas fuit, cruditas facta est? cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hac acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mænia patefecit: hæc contumacissimos & iugum recusantes in alienum egit arbitrium: hæc inuictos acies mero domuit. Alexandrum, cuius modo feci mentionem, tot itinera, tot pralia, tot hyemes, per quas victa temporum locorumque difficultate, transierat; tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum demiserunt: intemperantia bibendi, & ille Herculeus ac fatalis scyphus condidit. quæ gloria est, capere multum? cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitantibus recusauerint, cum superstes toti conuiuio fueris, cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vim capax fuerit, vinceres à dolio.*

Lib. 10.  
p. 434.

Ex quo loco simul discis Senecæ mentem de nece Alexandri non medicato poculo stygiæ pestis, sed Bacchi Herculeo succubuisse. Senecæ subscribit Athenæus: ἐπιτεδὲ καὶ πρῶτος, ὁ μακεδὼν πλεῖστον, ὡς φησὶν ἑπιτεδὲ, &c. Tu Latine translatum audi.

*Bibacissimus fuit Proteas Macedo, ut ait Ephippus, libro de Alexandri & Hephestionis*

stionis sepultura, robustoq; corpore vitam traduxit, quamvis se plurimum in bibendo exercuisset. Alexander igitur poculum, quod duos congios capiebat, cum poposcisset, Proterea id præbuit: ille vero sumptum multis laudibus regem prosecutus exhausti, cum applausu omnium, ac paullo post poculum idem postulavit, rursumq; Alexandro propinans id hausit: rex autem generose quidem ebibit, sed perferre non potuit, in pulvinar reclinatus & poculo è manibus dimisso: ac iam inde morbo correptus interijt, Baccho, ut fama est, irato, quòd Thebas patriam suam obsedisset. Bibacissimus Alexander certò fuit, ut qui temulentus sapiens duos totos dies nocte q; totidem cubans crapulam edormiret. Ex eius ephemeridibus hoc innotescit, quas scripserunt Eumenes Cardianus, & Diodotus Erythraeus. Menander in Adulatore:

A. In Cappadocia, Condyon, ò Struthia, heminarum decem capacem, aureum ego & plenum quidem, ter ebibi. B. plus sanè tu bibisti quàm Alexander rex. A. Non minus per Palladem. B. Magnum hoc quidem.

Nicobule, qui hæc scripta tribuit, author est, cœnantem Alexandrum apud Medeam Thesaliam, viginti qui accubuerant conuiuis, omnibus præbibisse, illoq; paria fecisse, ac paullo post è conuiuio discedentem somno se Alexandrum tradidisse. & infra. Εἰς τοσούτου δὲ Ἀλεξάνδρου ἐμέθουεν, ὡς φησι Καρύστιος ὁ περιγραμνὸς ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι, ὡς καὶ ἐπὶ ὄνου ἀρματικῶμαζερ. Adeo verò nonnunquam temulentus Alexander fuit, quod Pergamensis Carystius ait in historicis commentarijs, ut ad currum iunctis asinis commessabundus veheretur.

Aelianus post enumerata nobilissima Alexandri facinora subijcit de ebrietate: ἐκεῖνα δὲ ὅσα ἐκ ἐλά Ἀλεξάνδρου δι' οὐ μὴνός φασὶ πέμπτη ἔπινε παρ' εὐμαίῳ, εἴτα ἐκλή ἐκάθευδε ἐκ τῶ πότη. καὶ τοσούτου ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἔζητεν, ὅσον ἀνασῆς χρηματίσαι τοῖς ἡγεμόσιν ὑπὲρ τῆς αὐριον πορείας, λέγων ὅλα ἔσα πρώτ. καὶ ἐβδόμη εἰσιτάτο παρὰ Περδίκου, καὶ ἔπινε πάλιν, καὶ ὄγδοη ἐκάθευδε, πέμπτη δὲ ἐπὶ δέχα τῶ αὐτῷ μηνός, καὶ ταῦτα ἔπινε, καὶ τῇ ἐπομένῃ τὰ εἰλισμένα ἔδρα, τὰ ἐκ τῶ πότη, παρὰ βαγῶα δὲ εἰδείκνυτε τεσσαρὶ μετὰ εἰκάδα ἀπέχε τῶ βασιλείων ὁ βαγῶα οἶκος δέχα σαδίους εἴτα τῇ ἑτῆ ἐκάθευδε, δύοῖν οὖν δάτερον, καὶ Ἀλεξάνδρος χαλκῶς τοσαύτας τῷ μηνός ἡμέρας αὐτὸν ἐχμιοῖδιὰ τὸν οἶνον, ἢ οἱ ταῦτα χρῶσταντες ἑυδόνται. ἔξεσι δὲ ἐκ τῶτων ἐννοεῖν, καὶ τῶ λαπῶ χρόνῳ τὰ ὅμοια αὐτοῦ λέγοντας, ὧν καὶ εὐμείνης ὁ Καρδιανός καὶ ἐκεῖνός ἐστι.

Verùm illa non sunt amplius laudanda in Alexandro, quòd cum quinta die mensis, ut fama est, perpotasset apud Eumæum, deinde sexta crapulam edormiret, neque plus illo die vixerit, quàm ut surgeret, & ducibus de crastina profectioe mandata daret, inquiens eam summo mane futuram. Septima deinde die epulatus est apud Perdiceam, qua se rursus vino ingurgitavit & octava dormiuit. Et decimo quinto die eiusd. mensis iterum indulsit vino, & sequenti solito more crapulam somno decoxit. Vigesimo quarto cœnauit apud Bagoam, distabat à regia domus Bagoæ stadys decem, post tertio dormiuit. Ex duobus igitur alterum sit oportet: aut quod Alexander magno sibi nocumento fuerit, tot diebus potando consumptis: aut, quod qui hæc tradiderunt, mendacia dixerunt. Ex quibus colligi potest, eos in reliquis itidem à veritate deflectere, in quibus Eumenes Cardianus ille non postremum locum obtinet.

De eadem Plutarchus Sympos. l. i. c. 6. Λόγος ἦν περὶ Ἀλεξάνδρου τῷ βασιλέως, ὡς οὐ πολὺ πίνοντο, ἀλλὰ πολὺν χρόνον ἐν τῷ πίνειν καὶ διαλέγεσθαι τοῖς φίλοις ἔλκοντος. ἀπεδείκνυε δὲ αὐτοῦ φληαρήντας φίλους ἐκ τῶ βασιλικῶν ἐφημερίδων, ἐν αἷς συνεχέσασα γέγραπται, καὶ πεισάκεις, ὅλα τῆνδε τῶν ἡμερῶν ἐκ τῶ πότη ἐκάθευδεν ἐσι δὲ ὅτε καὶ τῶν ἐφεξῆς. Sermo incidereat de rege Alexandro quod is non bibisset multum, sed inter pocula differendo cum amicis multum extraxisset temporis. Eum vanitatis conuincit Philinus ex diarijs commentarijs regis, in quibus creberrimis & contemner scriptum est. Hanc diem rex à computatione dormiuit: aliquando etiam & posteram.

Idem in vita. Sed hoc enarrabimus cum de eius morte agemus. Vide Curtium lib. 6. cap. 2.

Lib. 1. p. 17.  
& 18.  
Lib. 12. p.  
53. & 54.  
\* Alianus  
1. 2. c. 41.

De luxu porrò conuiuiorum Alexandri plurima Athenæus, quæ quia prolixiora sunt, lectorem ad primum, & duodecimum eius volumen remittimus, quæ infra quoque in historia enarranda attingemus. Deterrimum fuit, quòd etiam certamina \*potantibus proposuerit, quibus aliquot, & seipsum in mortem dedit:

\* li. 6. c. 28.  
Lib. 1. de  
benef. c. 15.

Tertium crimen Alexandri, Superbia & diuinitatis affectatio, omnium grauissimum fuit, qua sibi odium, risum, ludibrium, mortem comparauit, cum eius superbiam populares non ferrent, Curtius\* horum grauissimus est infestator. Seneca etiam: *Alexandro*, inquit, Macedoni, cum victor Orientis animos supra humana tolleret, Corinthi per legatos gratulati sunt, & ciuitate illum sua donauerunt. Cum rississet Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis, Nulli, inquit, ciuitatem vnquam ac dimus aly, quam tibi & Herculi. libens accepit delatum honorem, & legatos inuitatione, aliaq; humanitate profectus, rogauit, non qui sibi ciuitatem darent, sed cui dedissent. Et homo gloria deditus, cuius nec naturam, nec modum nouerat, Herculis Liberiq; vestigia sequens, ac ne ibi quidem resistens, ubi illi defecerant, ad scitium honoris sui respexit à dantibus, tanquam calum quod mente vanissima complectebatur, teneret: quia Herculi aquarebatur. quid enim simile habebat vesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicis: orbem terrarum transiit, non concupiscendo, sed vindicando. quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marisq; pacator? At hic à pueritia latro, gentiumq; vastator, tam hostium pernicies, quàm amicorum, qui summum bonum duceret, terrori esse cunctis mortalibus, oblitus, non ferocissima tantum, sed ignauissima quoque animalia timeri ob virus malum.

\* lib. 4. p.  
174. in 8.

Et apud Arrianum \* Callisthenes contra Anaxarchum. Enimvero Plutarchus libro vtroque de fortuna Alexandri, omnia ipsius vitia, miris modis cleuat, aliorumq; criminaciones diluit, vt pleraque etiam Arrianus.

Acerrimis quoque scoptes, iron, & irrisor Alexandri M. est Lucianus in dialogis, quorum duos, quia simul amœni & iucundi sunt, lubet apponere. Primus est, quo Diogenes Alexandrum mortuum apud inferos exagitat.

Tom. 1. p.  
291.

Τὸ πρῶτον, ὃ Ἀλέξανδρον εἶπε, καὶ τὸ δεύτερον, ὃ ὁ ἄλλος ἀπέκρινεν, & quæ sequuntur.

Diogenes. *Quid hoc res Alexander? itane defunctus es tu quoque, perinde atque nos omnes? Alex. Vides nimirum, Diogenes; tametsi mirandum non est, si homo cum fuerim defunctus sum. Diog. Num ergo Iupiter ille Hammone mentiebatur, cum te esse suum filium diceret? an verò tu Philippo patre prognatus es? Alex. Haud dubiè, Philippo, neque enim obyssem, si Hammone parente fuisset progenitus. Diog. Atqui de Olympiade etiam consimilia quadam ferebantur, puta draconem quendam cum ea fuisse congressum, visumq; in cubiculo: ex eo grauidam, peperisse te. porrò Philippum errare fallig; qui se tuum patrem esse crederet. Alex. Inaudieram quidem & ipse ista, quemadmodum tu: at nunc video neque matrem, neque Hammone illos vates sani quicquam aut veri dixisse. Diog. Attamen istud illorum mendacium, Alexander, ad res gerendas haudquaquam tibi fuit inutile, propterea quod vulgus te verebatur, metuebatq;, cum Deum esse crederet. sed hic mihi, cui nam tam ingens illud imperium moriens reliquisti? Alexand. Id equidem ignoro, Diogenes; celerius enim è vita submouebat, quam vi esset ceterum de illo quicquam statuendi, præter id vnum; quod moriens Perdicca anulum tradidi. sed age, quid rides Diogenes? Diog. Quid ni rideam? an non meministi quid Græci fecerunt, cum nuper tibi arrepto imperio adularentur, principemq; ac ducem aduersus barbaros deligerent, nonnulli verò in duodecim Deorum numerum referrent, ac fana constituerent, demiquè sacrâ facerent tanquam draconis filio? sed illud mihi disto, ubi te sepelierunt Macedones? Alex. Etiam dum in Babylone iaceo tertium tantum diem: porrò Ptolemæus ille satelles meus, si quando detur otium ab his rerum moribus, qui nunc instant, pollicetur in Aegyptum deportaturum me, atque inibi sepulturum, quo videlicet vnus sum ex dijs Aegyptijs. Diog. Non possum non ridere, Alexander; qui quidem te videam etiam apud inferos desipientem sperantemq; fore, vt aliquando vel Anubis fias, vel Osiris, quin tu spes istas omitis, ô diuinissime? neque enim fas est reuerti quenquam, qui semel paludem transmiserit, atque in tra specus hiatum de-*

scende-



scenderit, propterea quod neque indiligens est Aeacus, neque contemnendus Cerberus. Verum illud abs te discere peruelim, quo feras animo quoties in mentem redit, quanta felicitate apud superos relicta, huc sis profectus, puta corporis custodibus, satellitibus, ducibus, tum auri tanta vi, ad hoc populus, qui te adorabant: praeterea Babylone, Bactris; immanibus illis belluis, dignitate, gloria: deinde quod eminebas, conspicuus, dum vectareris, dum amiculo candido caput haberes reuinctum, dum purpura circumamictus esses: nunquid hac te discruciant, quoties recursant animo? quid lachrymaris stulte? an non id te sapiens ille docuit Aristoteles, ne res eas qua à fortuna profiscantur, stabiles ac firmas aestimares? Alex. sapiens ille? cum sit assentatorum omnium perditissimus. sine me solum Aristotelis facta scire, quam multa à me petierit, qua mihi scripserit, deinde quemadmodum abusus sit mea illa ambitione, qua cupiebam eruditione ceteris praestare, cum mihi palparetur interim, ac pradicaret me nunc ob formam, tanquam & ipsa summi boni pars quadam esset: nunc ob res gestas atque opes: nam has quoque in bonorum numero collocandas esse censebat, ne sibi vitio verteretur, quod eas acciperet. Planè prestigiosus vir ille quidem erat, ac fraudulentus, ô Diogenes: quanquam illud fructus scilicet ex illius sapientia fero, quod nunc perinde quasi summis de bonis extrucior ob ista, qua tu paulò ante commemorasti. Diog. An sciri quid facies? ostendam tibi molestia istius remedium. quandoquidem in his locis veratrum non prouenit, fac ut Lethaei fluminis aquam auidis faucibus attrahens bibas, iterumque ac sapius bibas: atque eo pacto desines de bonis Aristotelicis discruciar. Verum enim Clitum etiam illum & Callisthenem video, cum quibus his alios complures raptim huc sese ferentes, quò te discerpant, pœnasque sumant ob ea, qua quondam in illos commisisti. quare fac in alteram hanc ripam te conferas, & crebrius, ut dixi, bibas.

### Alter Philippi & Alexandri.

Νὺν μὲν, ὁ Ἀλεξάνδρῃς, οὐκ ἀνέξαριθ' γένοιο, μὴ οὐκ ἐμὸς ὅς εἶνα. & quæ sequuntur.

Philippus. Non igitur inficiaberis, Alexander, ex me prognatum te esse filium, nam ad Iouem Hammonem genus paternum referens, mortem non obisses. Alex. Neque verò nefcius eram pater, Philippi Amynta me esse filium; sed quia ad res gerendas sic mihi visum, erat conducere, commento hoc usus sum vaticini. Phil. Quid ais? conducibile id tibi visum ut vaticibus impostoribus fallendum te exponeres? Alex. Non isthuc, sed barbaros in meâ admirationem tractos facilius hoc prætectu nostro subdidimus imperio; cum nemo vnus viribus nostris hæctenus restiterit, quippe hac sola opinione ducti, quod aduersus Deum sibi esset praliandum. Phil. Quos tu igitur tanto conatu dignos vsquam vicisti, qui cum timidus illis arcibus, peltarijs ac gerris vimineis pugnare solitis semper cõgressus es: atqui Græcos armis domare, Bæotios, Phocenses, Athenienses, & id genus alios, operis fuerat strenui atque magnifici. Arcadum insuper sustinere armaturam, equitatum Thessalum, Eleorum iaculatores, Mantineos peltis instructos, aut cum Thracibus, Illyricis, Pæonibusue manum conferere operosum profecto atque arduum id fuisset in primis. Ceterum Medos, Persas, & Chaldaeos delicatos, ac plurimo auro conspicuos, non satis compertum habeo quonam modo ante te duce Clearcho mille viri bello adorti expugnarint, fædè in fugam actos antequam ad manus ventum fuisset. Alex. At verò Scythæ, pater & Indici elephantes, res sunt non vsque ad eò abiectæ & contemptibiles; & tamen neque concitatis inter ipsos intestinis odijs, neque per prodicionem mihi venundari passus sum victoriam. Sed neque peteraui vnquam, aut per nugas à pollicito recessi, fidemque solui victorie gratia. Adde quod & Græcos alios sine sanguine in deditioem accepi: Thebanos autem fortassis ipse audisti quomodo aggressus fuerim. Phil. Noui hac omnia ex Clito, quem tu inter epulas eò quod nomen meum celebraret, & meas res gestas cum tuis conferre auderet, traiccto per corpus telo, tum iugularas. Tu verò & Macedonicam chlamydem abijciens, candym Persicum amictum recepisti (ut aiunt) & tiaram rectam, ut ne interim commemorem, quod à Macedonibus viris utique liberis adorari debere te in animum induxeris, & qui quod maximè omnium erat ridiculum, hominum abs te victorum mores imitatus es. Tempero mihi ne memorem alia qua turpiter admiseris, viris doctis in leonum claustra inclusis, & nuptijs talibus peractis; quodque Hephæstionem plus quam esset satis, amaris. vnum est quod solum laudo abs te gestum, in Dary uxore videlicet, formam praestante, quia ab illius complexu abstinueris, & genitricis illius atque filiarum, ne vim paterentur, curam susceperis. Regium certè id opus extitit: quod

Tom. 3.  
pag. 37.

quod tum factitasse te accepimus. Alex. Quomodo autem tibi non probatur, pater, quod in Oxydractis gente Indica, lubens me in periculum coniecerim, atque acceptis plurimis vulneribus muros primus omnium transfilerim? Phil. Non probo, Alexander, ne quid quia pulchrum esse negem vulnerari quandoque imperatorem, & in subeundis periculis praetentare viam; sed quia ex re tua isthuc erat minimè. siquidem pro Deo habitus, quos, oro, risus praebebas spectatoribus. quando post acceptum vulnus, ab exercitu magno tumultu direptus, mœrens ac eiulans sanguine fluitabas? Adde quod Iupiter Hammon tanquam praestigiator quispiam & vanus propheta, reus mendacij palam tum arguebatur. Non enim video, qualiter risum contineat, qui Iouis filium viderit animum deicere, & in desperatione rerum efflagitare medicorum auxilia, denique cum iam tandem mortem obieris, quem credas obsecro esse, qui consuetam illam adoptionem, qua Iouis dictus es filius, non carpat maledictis? potissimum ubi Dei istius cadauer iacere, turgidum sanè & iuxta aliorum corporum morem contactu suo omnia labefactans aspexerit. Caterùm quod ais, Alexander, tibi fuisse conducibile, quo facilius rerum potireris, id profecto multum tibi gloriae ex bene etiam ac strenuè gestis eripuit. Nam quamquam insigniter multa, tamen dijs longè inferiora agere visus, vacillare ob hoc iudicatus es, & tota ratione deficere. Alex. Haudquaquam de me isthuc sentiunt mortales, sed cum Hercule me & Baccho conferunt, veluti amulum, parij cum illis gloria certantem, nam & Aornum a neutro etiam illorum armis subactum ego facile cepi. Phil. Etiam dum videris ista ut Hammonis filius dicere, quando nec Baccho quidem cedis, nec Herculi, sed nec erubescere nosti, Alexander, solitamue dediscere arrogantiam, te ipsum demum noscere, vel iam tandem sapere, etiamsi serius, ubi fato occubueris.

Orat. 64.  
pag. 97.

Dio quoque Chrysostomus Brusæus acriter Alexandrum perstringit his verbis: Πολλά γὰρ Ἀλεξάνδρῳ & πολυμῆρ᾽ ἐπραόσερ, &c. Multa sanè Alexander temeraria designauit facinora. Non ferebat audire Philippi filius, Iouem mendacis onerabat, Dioscuros contemnebat, Dionysium conuiuijs incessebat, tametsi abunde illius donis vteretur. Occidit autem & Clitum sapientem, & Philotam formosum, & vicinum Parmenionem, & praeceptorem Callisthenem, & Aristotelem occisurus erat, de q̄ Antipatri nece deliberauerit. Eum ergo viuentem adegit, ut confiteretur se hominem esse. nam vulneratus ad amicos, At hoc, inquit, quod effluit, non est diuinus humor, sed verus sanguis. Moriens autem planè confessus est fortunam magnam esse deam. Ille igitur cum effugisset & Thebanorum grauem armaturam, & Thessalorum equestres copias, atque iaculatores Aetolos, Thracēs q̄ macharis accinctos, & bellicosos Persas, inuictumq̄ Medorum genus, & magnos montes, & flumina, & precipitia insuperabilia, & Darium, & Porum, atq̄ alia multa gentium regumq̄ nomina, in Babylone absque pugna & vulneribus mortuus est.

Ennodius demum eludit acta Alexandri in panegyrico Theodorico regi dicto. Sed bona pace Ennodij dixerim, mille Theodorici non geseire, quod vnus Alexander, Audiamus tamen Alexandromastigem: Eat nunc, inquit, & coturnatis relationibus Alexandrum iactet antiquitas, cui fama opulentiam peperit dos loquentium, ut per adiutricem facundiam videatur crescere rebus mendica laudatio. Regis nostri merita solatium non postulant adferentis; minora sunt eius veris actibus, quamuis aucta sint veterum gesta mendacis simulastis, poeta, grandia, sed fateri vos conuenit presentem dominum geseisse potiora. Pelleus auctor praconiorum suorum summam Chærii voluit constare beneficio, ne fallendi votum multitudo deprehenderet, & fieret testis impudentia, qui adsciscabatur in adstipulatione victoria.

pag. 415.





R. P.

MATTHAEI RADERI  
E SOCIETATE IESV,

AD

Q. CURTII RVFI  
HISTORIAM

DE

ALEXANDRO MAGNO,  
Commentarij.

SYNOPSIS

RERVM AB ALEXANDRO MAGNO  
gestarum, Anno Regni primo, & secundo,  
qui in Curtio desiderantur.



*Vpplementa Curtij scripsere Quintianus Stoa,  
& Christophorus Bruno, olim antè Sociorum  
aduentum Monachij poeticæ doct̃or & Furis  
Ciuilis Candidatus, cuius libelli duo ad Curtium  
passim vel à fronte vel à calce sunt adiuncti, qui-  
bus quod in primo & altero libro desideratur, quo-  
quo modo resarcitur. Stoaam vidi in Lugdunensi*

*editione loco Brunonis adscriptum, ex quo cæpi dubitare Stoa an  
Brunonis sint eadè supplem̃ta, cùm Brunonis labor Stoa adsignetur,  
quem tamen in præfatione ad Principem Boiorum Albertum,  
Bruno sibi vendicat. Mihi visum ad exemplum Flori argumentum  
etiam & Synopsin primi & secundi libri Curtij ex variis & antiquis  
iisque potissimum Græcis scriptoribus concinnare, quod & reliquis  
in libris omnibus Curtii priore editione feci.*

*Anno ergo ab rerũ & mundi conditu CIO. CIO. CIO. IDCXCVIII. vti  
Salianus numerat; ante Christum natum CCCLV. Olymp. CVI. anno  
primo, Elpino Athenis Archonte post Urb. Cond. CCCXCVII. (vel ut  
alys placet CCCXCV. & alijs CCCXCIX. rursumque alijs CCCC. adeò va-  
riat calamus scriptorum) Coss. Popilio Lenate, Cn. Manlio Impe-  
rioso*

A

rioso

rioso, vel ut Solinus ex Nepote observavit, M. Fabio Ambusto, I. Quinctio Capitolino Coss. Alexander M. Philippo Macedoniae rege & Olympiade matre Pellae Macedoniae natus, paternum genus ab Hercule, maternum ab Aecidis traxit. Morum formatorem Leonidam habuit, eloquentiae doctorem Anaximenem Lampfacenum, omnis humanae sapientiae magistrum & naturae ocellum Aristotelem, naturalis philosophiae & geometricae institutorem Anaxarchum, ita felix illud seculum summa in vario disciplinarum genere protulit ingenia, armis verò potentissimum & maximum orbis dominatorem Alexandrum; qui regnum vicennis adiit, & patri sub finem anni Olymp. CXXI. anno primo à Pausania sublato, statim in Peloponnesum profectus, coactis illic in concilium Graecis, creatus est imperator exercitus aduersus Persas, solis Lacedamonys refragantibus, quos postea semper in numero hostium habuit. Primo vere Olymp. CXXI. anno secundo Thracas autonomos bello aggressus domuit. Ab illis recta in Triballos & Illyrios mouit, quos & mox acie deiecit. Inde traiecto Danubio Getas petijt, praelioq; fudit, urbem illorum excidit, praedam abegit. Reuersus in castra, legatos Syrmi regis Triballorum & Germanorum, quos Graeci Celtas id temporis appellarunt, amicitiam petentes excepit: data utrinq; fides, Germani excepti conuiuio cum rogarentur, quid maximè timerent, ne caelum, inquit, ruat. quos inde superbos dixit Alexander, ratus fore, ut dicerent, se nihil praeter Alexandrum timere. Hinc traiecto rursus Danubio per Paonas & Agrianos copias reduxit, quorum rex Langarus cum auxilijs suppeditatum Alexandro occurrit, qui inde Glauciam Taulenticrum regem inuasit, fusosq; exercitu Glauciae in Graeciam redijt, & Thebas, cum & defecissent, & praesidium Macedonicum eiecissent praesidiique duces Amyntam & Timolaum interfecissent, exceptis Pindari laribus, funditus evertit, reliquasq; Graecorum Respub. ingenti metu percussas in officio continuit; cum certatim legatos mitterent, qui vel defectionis poenam deprecarentur, vel fidem & Societatem redintegrarent. Ab Atheniensibus Alexander decem oratores ad supplicium petijt, sed pacem eis demorantibus solo Charidemo in exilium pulso, ignouit. Atq; ita uniuersam Graeciam pacauit. Hac primi & secundi anni synopsis, poterit in primi libri & secundi qui apud Curtium desideratur, pro supplemento succedere.

SYNO.

## S Y N O P S I S

Anni tertij, Anno Mundi 3720. Olymp.  
cxj. Anno III.

**A**lexander, Romæ T. Viturio Caluino & Sp. Posthumio Albino  
Coss. ante Christum natum CCCXXXIII. cum annum ageret alterum  
& vicesimum Ctesicle Atheniensem Archonte, cum triginta peditum,  
quatuor millibus equitum, & quingentis, centumque & sexaginta  
triremibus, plurimisque onerarijs, primo vere per Hellespontum in A-  
siam traiecit, primusque ex nauis hastam in litus coniectam quasi Asia  
possessionem occupaturus defixit. Cum ad Ilium venisset, Palladi litauit,  
suisque armis Dea dicatis; ex adytis illius alia depromsit, induit,  
armigerisque alia ferenda tradidit. inde Achillis tumulum coluit, felici-  
cemque ob Homerum prædicauit. Tum ad Arisben, ubi exercitus eius  
castra posuerat, progressus, tandem ad Granicum amnem penetra-  
uit, ubi illum trans flumen omnis Darii exercitus cum ducibus, aditum  
Asia præclusurus expectabat Alexander superato cum ingenti peri-  
culo & labore, Granico, in Adastris campis cum Darii ducibus con-  
flictus, qui ex Diodori sententia, centum millia peditum, decem equi-  
tum collegerant. Iustinus indistincte Persarum sexcenta millia fuisse  
tradit. Victis prælio Persis & viginti peditum millibus auctore Plu-  
tarcho, duobus equitum millibus & quingentis, Siculo verò decem  
peditum, duobus millibus equitum cassis, viginti millibus captis, Alex-  
ander ex Macedonum auxiliarijs copiis tantum xxv. in primo con-  
flictu amisit, quibus fusas à Lysippo statuas equestres in Iouis templo  
posuit, ex reliquis Græcis equites lx. pedites xxx. duntaxat desidera-  
uit, ut Arrianus est auctor. Iustinus centum viginti equites, nouem  
pedites desideratos scripsit. Aristobulus apud Plutarchum non am-  
plius, equites xxv. pedites nouem cecidisse testatur.

Alexander inde Sardibus Lydorum regia occupatis, omnique Ly-  
dia potitus, Ephesum ingressus populum libertate donauit, tributum  
barbaris ante pensa Dianæ assignauit. Dum Ephesi versatur, legati  
ex Magnesia & Trallibus adueniunt, urbesque & gentem Alexan-  
dro dedunt. Tum Miletum profectus non sine labore in insulam & urbem  
recepit. ex Milesijs trecentos in exercitum suum transcripsit, reliquis  
vitam & libertatem concessit. Atque ibi classem dissoluit, cum ex aquila  
augurio didicisset, terrestri prælio Persas vincendos. Miletum in Cariam  
A 2 mouit,

mouit, & Halicarnassum magna vi expugnatam deleuit, Cariamq;  
 Adæ reginæ tradidit, quæ Alexandrum non recusantem in filium  
 adoptauit. Hic Cleandrum in Peloponnesum ad militem conquire-  
 dum, quod iam initio tertij Curtius narrat, ipse in Lyciam contendit,  
 omnesq; oras maritimas occupauit, ac totam inde Lyciam, Phaseli-  
 dem & Pamphiliam subegit. Interea loci Alexandrum Aeropum  
 Lyncestem Arrabai fratrem sibi insidiantem cepit, & in custodiam  
 tradidit, ipse per littus Pamphilij maris exercitum non sine diuino  
 numine Pergas vsque saluum deducit. Inde progressus Aspendum  
 versus contendit, urbemq; in edita asperaq; rupe sitam circumfedit,  
 & ad deuotionem compulit. Hinc in Phrygiam, ex hac in Pisidiam  
 peruenit, ubi expugnata Salagasso, Pisidisaq; fuis, alteram Phrygiam  
 petijt, & Quintis castris castra ad Celenas urbem posuit, à cuius op-  
 pugnatione Curtius Tertium librum inchoat, cuius synopsis adiuun-  
 go.

---

AD Q. CVRTII RVFI

LIBRVM III.

SYNOPSIS.

**A**lexander victis ad Granicum ducibus Darj, & Lycia, Pam-  
 philiaq; in prouinciarum formam redactis, Celenas cum arce oc-  
 cupat. Vbi Marsyas amnis describitur. Inde per Phrygiam venit  
 Gordium, nexumq; Gordium gladio abrumpit potius quàm soluit.  
 Darius interius recenset copias, petit Ciliciam. Alexander in-  
 uadit Paphlagoniam, Cappadociam, Ciliciam, vincit  
 Darium ad Issum, & per Parmenionem cum  
 thesauris recipit Da-  
 mascum.

Q. CVR-



Q. CVRTII RVFI

# HISTORIARVM ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

Cleander ad conducendum militem mittitur: Marfyas fabulis celebratus laudatur: Alexander Celenas occupat.



**N**ter hac Alexander ad conducendum ex Peloponneso militem Cleandro cum pecunia misso, Lycia Pamphyliaq; rebus compositis, ad urbem Celenas exercitum admouit. Media illa tempestate mœnia interfluebat \* Marsyas amnis, fabulosis Græcorum carminibus inelytus. Fons eius ex summo montis cacumine excurrens in subiectam petram magno strepitu aquarum cadit: inde diffusus, circumiectos rigat campos, liquidus & suas duntaxat undas trahens. Itaque color eius placido mari similis, locum poetarum mendacio fecit. Quippe traditum est nymphas amore amnis retentas illa rupe considerare. Caterum quamdiu intra muros fluit, nomen suum retinet.

At cum extra munimenta se euoluit, maiore vi ac mole agentem undas, Lycum appellant. Alexander quidem urbem destitutam à suis intrat: arcem verò, in quam confugerant, oppugnare \* adorsus, caduceatorem pramissit, qui denuntiaret, \* Ni se dederent, \* Ni dederent, ipsos vltima esse passuros. Illi caduceatorem in turrim & situ & opere multum editam perductum, quanta esset altitudo intueri iubent, ac nunciare Alexandro, non eadem ipsum & incolas astimatione munimenta metiri: se scire inexpugnabiles esse: ad vltimum pro fide morituros. Caterum vt circumlideri arcem, & omnia sibi in dies arctiora viderunt esse, sexaginta dierum inducias pacti, vt nisi intra eos auxilium Darius ipse misisset, dederent urbem: posteaquam nihil inde presidij mittebatur, ad præstitutam diem permisere se regi.

INTER HAEC) Interea dum hæc aguntur quæ inter primam Alexandri cum Persis pugnam ad Granicum, & alteram ad Issum imminentem partim gesta sunt, partim parabantur, in hoc medio temporis spacio, (victis inquam ad Granicum Persis, Lydia, Pamphilia, Caria, Lycia, Pisidia occupatis, Cleandro in Peloponnesum ad supplementum & nouum militem scribendum misso, nulloque à tergo hoste relicto) admouit exercitum Celenis, quas & occupauit. Inter hæc. Ita Cicero & noster sæpius infra amat loqui.

PELOPONNESO) \*Peninsula quæ arx est totius Græciæ, angustis faucibus adhæret continenti, \*Strabo l. 3. vbi Isthmus est, folio platani similis, æquè ferè patet in longum atque latum, stadijs c. 15. cccc. Ambitu continet extra sinum stadia iv. c. 15. b alij addunt cccc. cum sinu complectitur stadia amplius v. c. 15. 150. plura Strabo. Dicta à Pelope, qui insulã cum Imperio tenuit, & πρὸ τῆς πέλοπος ἔχων. Artemi- Pelopis insula. Hæc isthmo seu tenui quasi ceruice terræ diuortium facit inter mare AEGÆUM & IONICUM. Pelopis insula. Hæc isthmo seu tenui quasi ceruice terræ diuortium facit inter mare AEGÆUM & IONICUM. nium, adeò vt naues plaustris ex vno ad alterum sint per sulcum, terram seu isthmum transportandæ, quatuor, vt Solinus est auctor, non amplius millibus passuum vtrunque mare dispellentem. \* Plinius lib. 4. c. 4. totam

totam Peloponnesum accurate describit, & colligere in circuitu 563. millia passuum affirmat. Ptolemaeus non præterijt. Marcianus Heracleotis: εἶπ' ἐστὶ Πελοπόννησος, &c. Et Scylax Cariandeus. τὸν ἄδην ἀρχεται ἡ Πελοπόννησος, &c. Dicæarchus in descriptione Græciæ. Iconem Peloponnesi seu chorographiam habes apud Ortelium p. 29. in parergis theatri.

CLEANDRO) impurissimo capite & celerato latrone, qui iussu Alexandri, Parmenionis latus hausit, sacra omnia profanauit, fanda infanda fecit. plura l. 7. & 10. cognosces. Meminit de eod. Arrianus idemque Curtius narrat. Demum ab Alexandro occisus.

LYCIAE) Lycia, Pamphilia, Caria, Lydia, Pisidia &c. sunt Prouinciæ minoris Asiæ ab Alexandro post Granicum prælium occupatæ, de quibus Geographi Strabo, Pto. Plin. Solin. 53. cap. Mela lib. 1. quemadmodum autem omnem illam oram maritimam Alexander expugnarit, exponit Arrianus singillatim l. 1.

li. 2. antiq. Iud. c. vii. Callisthenes idem teste Brodæo.

PAMPHILIAE) Memorabile est quod refert Iosephus, ubi de Israelitis mare rubrum sicco vestigio transeuntibus tractat, atque ad fidem ab exemplo faciendam narrat, eodem modo Alexandro Mag. mare Pamphilum celsisse, cum exercitum cōtra Darium duceret. Verba Iosephi sunt: Nemo autem mirari debet tanquam incredibilia, si priscis hominibus, & ad malitiam etiam tum rudibus, de salute periclitantibus via per mare patuit, siue Dei voluntate, siue natura sponte, cum & Alexandro Macedonia regi, qui non ita pridem fuit, cesserit Pamphilium pelagus, & aliam viam non habenti illac iter aperuerit, cum Deus eius opera ad destruendum Persarum imperium vti decreuisset: id quod omnes consententur, qui res gestas illius regis scripto prodiderunt.

Plutarchus tamen supra veri fidem ait à scriptoribus relatum: *Qua celeritate oram Pamphilia peragravit, id multis historicis materiam inflatus scribendi præbuit, qui diuina quadam fortuna id mare Alexandro celsisse autumant, quod alioqui semper ab alto asperum continenti allidatur, raroq; admodum infra præcipitia & abruptos montium processus tenues quasdam & resonantes cautes detegat. Sanè incredibilem eam rem etiam Menander in Comœdia notauit.*

Menander de cod.

Quam germanum Alexandri facinoribus hoc? si quempiam

Quæro, is vltro adest: quod si videlicet me oporteat

Pertransire aliquem maris locum, patebit transitus.

Ipsæ Alexander pronuntiat sententiam. lib. 1.

At ipse in epistolis suis Alexander nihil prodigiosi memorat: iter se fecisse per Climacem ait, profectum à Phaselide.

Arrianus maximus auctor, non sine diuino numine ipso Alexandro telte illud iter superatum narrat: Alexander ex Phaselide mouens, aliquam exercitus partem per montana Pergas mittit, qua Thraces iter monstrarunt, arduum quidem sed compendiosum, ipse secus mare per littus suos ducit. Via autem hæc aliter confici non potest, nisi ventis à Septentrione flantibus: Austro autem inualecente, ægrè per littus iter fit. Tum verò ex vehementibus Austris Boreales venti exorti, non absq; diuino quodam numine (vt ipse Alexander, & qui cum eo erant interpretabantur) facilem ac celerem transitum præbuerunt. Strabo causam aperit: Apud Phaselidem sunt ad mare angustia, per quas exercitum traduxit Alexander. Est enim ibi mons Climax, Pamphilio incumbens mari, & propter littus arcum relinquens transitum: qui tranquillo mari nudatur, & à viatoribus perambulari potest: mari exundante, fluctibus admodum obtegitur. Alexander autem hybernâ incidit in tempestatem, cuiusq; fortuna maximam euentus partem crederet, antequam desuenerent vnda, profectus est: itaq; contigit, vt totum diem milites per aquam iter facerent vsque ad vmbilicum in eam demersi. Vrbs ista Lycia est, in consinio Pamphilia sita: sed per se constat, neq; cōmunitatis Lyciorum est particeps. Sed clarius Strabone Tacitus, qui id Etesiarum flatibus assignat, à quibus flatibus littora nudantur.

In Societatis nostræ Annalibus Peruanæ Prouinciæ huiusmodi quoque maris & aquarum miracula commemorantur, qualia transeuntibus Israelitis Erythræum & Iordanem flumen narrant Sacræ litteræ.

Colleg. A-requipçis p. 263. an. 1604.

Nec minus stupenda (inquiunt litteræ) sciantis maris tempestas, contremuere vnda, ingentiq; fragore opposita littora velut indignabunda præterfluentes, vnius leuca interuallo magna hominum iactura agros complures inundauerunt, nec semel tantum, ter fertur extra præscripta sibi littora desluxisse mare. Miræ ferunt ex trino maris fluxu refluxuq; cōtigisse varijs in locis. Id verò quod in portu Pisco cōtingit, nō est absimile miris illis euentis in mari rubro Iordaneque fluuio editis. Distat hic portus à Lima leucas quinque & triginta, frequentatur à viris nobilissimis. Cum primum igitur contraxit sese mare, vt sunt ad nouitatem propensi mort alium animi, constuxere vndique multi, quid rei esset spectaturi, ignari satis futuri euentus. extemplo igitur citissimo vndisonoq; impetu in sese contractum mare oppressas ac velut in globum redactas vndas, pauore percussis trepidantium animis late diffudit, ac distendit. Tunc pauore penè exangues homines, implorare numen, lamentis cuncta complere, consilij ancipites harere, nec vllum ab imminentibus vndis effugium inuenire. Res sanè miræ, cum mare sinistrum portus, dextrumq; cornu præterfluens, obuia quæq; vnius ferè leuca spacio inundaasset: qua parte obruturum erat cum portu accolæ, iam iam aduentantes ac imminentes vndas duarum bastarum altitudine suspensas cobibuit, ac in sese incoluim portu refusum est, tot mirandi euentus testes, quot portus accolæ.

lib. 38.

CELÆNAS) Non habeo meliorem Liviæ auctorem, qui Celenas vnus omnium optimè describit. Celena vrbs caput quondam Phrygia fuit, migratum inde haud procul veteribus Celoni: noueq; vrbi Apa-

bi Apa-



bi Apamee nomen inditum ab Apamea sorore Seleucis regis. Et Marsyas amnis haud procul à Meandri fontibus oriens, in Meandrum cadit, fama, ita tenet: Celanis Marsyam cum Apolline tiliarum cantu certasse. a lib. 12. Eisdem celebrant a Strabo, b Plinius, c Solinus, & ex Græcis eleganti oratione d Dio Chrysolostomus, b li. 5. c. 29. Celanis Phrygiæ dicta, qua laudes Celanarum in cælum effert. c. 33. d orat. 35.

MEDIA ILLA TEMPESTATE) Tempore, inquit, illo, quo Alexander Celanarum arcem exercitu obsedit, mediam urbem interfluxit amnis Marsyas, seu Marsya. Nam postea desertis Celanis veteribus migratum est Apameam, ut ex Liuiio didicisti, à quo non abit Strabo, Plinius & Solinus. Curtij ævo iam Celanæ veteres nullæ erant. Media illa tempestate, tempus illud medium videtur appellasse, quod est ab Urbe condita vsque ad Alexandrū, & ab Alexandro vsque ad suam, Quinti inquam Curtij, ætatem, quadringentorum ferè ante, totidemque post annorum intervallo interiecto. Sed meo animo fortasse verius interpretaberis, media mœnia interfluebat, ut fit quartus, non sextus casus, & coniungatur cum voce mœnia, non cum tempestate. liquidus enim & clarus loci illius hic erit intellectus. Marsyas media mœnia Celanarum interfluebat, sic enim infra dixit Curtius de Tarso & Cydno, Mediam Cydnus amnis interfluit.

Media mœnia, an media tempestate.

TEMPESTATE) vox poetis & historicis frequentata, rarius oratoribus, primum idem valet quod tempus; deinde etiam diem: tam in singulari quam multitudinis vsu. Plautus: vis paucas tempestates. Cicero:

*Tertia te Phthia tempestas læta locabit.*

MARSYA) Medij codex habet Marsyas, antiquissimus, Marsus manifesto errore, quamuis Silius canat Marsos à Marsya victo, & in eas partes fugiente, appellatos. Aldinus & emendatiores omnes Marsya, quod retinemus. Ouid.

*Marsia nomen habet Phrygia liquidissimus amnis.*

Non mendose tamen dixere alij scriptores Græcos imitati, quibus rectus casus est Μαργύρας, ut supra ex Liuiio cognouisti, nec aliter Plinius est locutus, utroque ergo modo licet vtare. Lib. 5. c. 2.

FABVLOS. GRAEC. CARM. INCLYTVS) laudarunt Marsyan Philippus Nicander, & alij Græcorum, nec Græci tantum poetæ, sed historici & geographi Herodotus, Strabo, Paulanias, Athenæus, Plutarchus, Philostratus, Tzetzes, alij: ex Latinis Ouidius, totam fabulam in 6. Transform. libro eleganter persecutus, & 6. Fastorum. Apuleius, Claudianus, Silius, Liuius, Plinius & Solinus, Martialis lib. 10. ep. 61. Higynus fab. 165. Marsyas Hyagnidis tibicinis filius tibus à Minerua proiec-tas inuenit, & non procul à Celanis lacus est, ex quo Marsyas & Menæder flumina extant, vbi cum Apolline in certamen musicum descendit Marsyas, victusque & exuuijs corporis exutus in fluuium sui nominis est mutatus. Solinus paucis: *Asiam excipit Phrygia, in qua Celena, qua antiquato priore nomine in Apameam transiere, oppidum à rege Seleuco postmodum constitutum. Istic Marsyas ortus, istic & sepultus, vnde qui proximat fluuius Marsyas dicitur. Nam sacrilegi certaminis factum & audaces in Deum tibus testatur non procul cum fonte vallis, qua euentum gesta rei signat, & ab Apamea decem millibus passuum separata Aulo crene vsque adhuc dicitur. Eundem agonem inter Apollinem & Marsyam non ineleganter describit Apuleius: Hiagnis, inquit, fuit, ut fando accepimus, Marsya tibicinis pater & magister, rudibus adhuc Musæ seculis, solus ante alios cantus canere. Nondum quidem tam indefessa anima sono, nec tam pluriformi modo, nec tam multo foratili tibia. Quippe adhuc ars ista repertu nouo commodum oriebatur, nec quicquam omnium est quod possit in primordio sui perfici. Sed in omnibus fermè ante est spectrudimentum, quam rei experimentum. Prorsus igitur ante Hiagnim nihil aliud pleriq, callebant, quam Virgilianus opilio, seu busequa,*

lib. 1. Florid.

*Stridenti miserum stipula disperdere carmen.*

Quod si quis videbatur paulò largius in arte promouisse, ei quoque, tamen mos fuit vna tibia velut vna tuba personare. Primus Hiagnis in canendo manus discapedinauit. Primus duas tibus vno spiritu animauit. Primus leuis & dextris foraminibus acuto tinnitu, & graui bombo concentum musicum miscuit. Eo genitus Marsyas cum in artificio patris foret tibicinis, phryx cætera & barbarus, vultu sermo trux, bispidus, multibarbus, spinis & pilis obsitus, fertur, pro nefas, cum Apolline certauisse. Therites cum decoro, agrestis cum erudito, belua cum deo, Musæ cum Minerua disimulamenti gratia iudices adstitere, ad deridendam videlicet monstri illius barbariem, nec minus ad stoliditatem puniendam. Sed Marsyas quod stultitia maximum specimen est, nõ intelligens se deridiculo haberi prius quam tibus occiperet inflare, prius de se & Apolline quadam delitamentum a barbare effutiuit, laudans sese, quod erat & coma relicinus, & barba squalidus, & pectore hirsutus, & arte tibicen, & fortuna egenus, contra Apollinem (ridiculum dictu) aduersis virtutibus culpabat, quod Apollo esset, & coma intonsus, & genis gratus, & corpore glabellus, & arte multiscius, & fortuna opulentus. Iam primum, inquit, crines eius præmullis antijs, promullis capronis, antevetuli & propenduli corpus totum gratissimum, membra nitida, lingua fatidica, seu tute oratione, seu versibus malis vrobique facundia equiparari. Quid quod & vestis textu tenuis, tactu mollis, purpura radians? Quid quod & lyra eius auro fulgurat, ebore candidat, gemmis variegat. Quid quod & doctissime & gratissime cantilat. Hæc omnia inquit blandimenta nequaquam virtuti decora, sed luxurie accommodata, circa corporis sui qualitatem præ se maximam speciem ostentare. Risere Musæ cum audirent hoc genus crimina sapienti exoptanda, Apollini obiectata, & tibicinem illum certamine superatum, velut vsam bipedem, corio execto, nudis & lacris visceribus re-

bus reliquerunt. Ita Marfyas in pœnam cecinit & cecidit. Enimvero Apollinem tam humilis victoria pudum est.

Pulch: è huic præcinit Ovidius de Marfyæ supplicio.

— quid me mihi detrahis, inquit?

Ab piger, ab non est, clamabat, tibia tanti.

Clamanti cutis est summos direpta per artus,

Nec quicquam nisi vulnus erat, cruor undiq; manat,

Detectiq; patent nerui, trepidaq; sine vlla

Pelle micant vena, salientia viscera posses

Et pellucentes numerare in pectore fibras.

Addas his licet quæ iunior Philostratus scripsit de Marfyæ imagine. longè diuersa ab his Diodorus Siculus lib. 4. Antiq.

**VNDAS TRAHENS**) a Alibi suastantum aquas vehementem, vt b Tibullus — dum vehebat amnis a-  
 quas. Et hoc quadam opinione hominum, inquit c Turnebus, quasi amnes ipsi animati sint, & aquas por-  
 tent suas.

**COLOR EIVS**) Tranquillum mare cœlestem colorem induit, vnde carula ponti dixere poetæ.

**NYMPHAS AMORE AMNIS RETENTAS**) vt qui ex illarum lacrymis creuerit. Ovidius postquâ

Tzetzen  
 consule  
 Marfyæ supplicium descripsit, subiicit: *Illum Ruricola*, & quæ sequuntur.

**LYCVM APPELLANT**) Haud procul Apamea est vrbs Laodicea ad Lycum dicta, supra quam  
 Cadmus est mons, ex quo Lycus præcipitat, cum quo reor confundi Marfyam, certe Lycus ipse in Me-  
 andrum cadit. nemo tamen quod meminerim aliorum, Lyci nomen Marfyæ assignat. De alijs e-  
 iusdem nominis fluuijs hic supersedeo dicere, dicturus lib. 4. ad cap. 37.

**ARCEM**) Eadem tradit Arrianus, additque mille Cares defendisse, cum mercenarijs Græcis  
 centum.

**CADUCEATOREM**) legatum conciliandæ paci missum; sicut facialis erat qui bellum denuncia-  
 bat. Caduceus pacis signum. Varro pronunciat de vita pop. Romani: Verbenarius ferebat verbe-  
 nam. id erat caduceus pacis signum. Nam virgam Mercurij possumus existimare, de qua Martia-  
 lis:

*Cyllenes, caliç, detus facunde minister*

*Aurea cui torto virga dracone viret.*

**Capet** de verbis dubijs, caduceus, inquit, hic, non hoc caduceum. Atqui Macrobius in neutro v-  
 surpauit: In Mercurio, inquit, solem coli etiam ex caduceo claret, quod Aegyptij in specie draconum maris  
 & fœminæ coniunctorum figurauerunt Mercurio consecrandum. Hi dracones parte media voluminis sui in-  
 nuicem nodo, quem vocant Hercules, obligantur: primæque partes eorum reflexæ in circulum presis ofculis ambi-  
 tum circuli iungunt: & post nodum caudæ reuocantur ad capulum caducei, ornanturq; alis ex ead. capuli  
 parte nascentibus. Hæc in descriptione Caducei Macrobius, qui Græcam reor lecutus originatio-  
 nem, dixit caduceum neutro genere, vt Scaliger notauit ad Festum voce caduceator: Caduceum, in-  
 quit, Græcum est, pro caruceum καρούριον Syracusanè, & Tarentinè, quod alijs χερουκίων. R. in D. vt contra sã-  
 Caduceum p̄ D. in R.

**Carucei** neutro g.  
 Carucei.  
 καρούριον.  
 χερουκίων.  
 Caducei  
 descriptio.  
 4. A. En.  
 Higynus  
 l. 2. de Ly-  
 ra.  
 Plinius: Hic tamen complexus anguium & efferatorum concordia, caussa videtur esse, quare exteræ  
 gentes caduceum in pacis argumentis circumdata effigie fecerunt: neque cristatos esse in caduceo mos est. Ex  
 his Plinij verbis disci potest Romanos non esse vfos caduceo in legationibus, sed exteræ gentes.

**A. Gellius** tamen missam à Romanis ad Carthaginienses hastam & caduceum signum belli & pacis.  
 Varro non hastam nec caduceum missa, sed tesseras in quibus simulacra hastæ & caducei erant. le-  
 genda parçemia: altera hastam, altera caduceum præfert. Elegans est Alciati emblema de caduceo.

*Anguibis implicitis geminis caduceus alis*

*Inter Amaltheæ cornua rectus adest.*

Tu perlege si vacat, quæ sequuntur, mihi indigitasse fat est.

**NI DEDERENT**) Aldi editio habet, ni se dederent, vt & Lugdunensis, Basiliensis & Argentina;  
 antiquæ omnes. Sed antiquissimus Codex à Cœnob. S. Vdalrici, cum Florentino & Modiano, re-  
 ciprocum, se, abiecere, & meo animo verè, nam & MS. Constantiensis se reiecit. mens Curtij hæc:  
 Arcem verò in quam confugerant oppugnare adortus, caduceatorem præmisit, qui denunciaret;

Ni

Ni dederent (nempe arcem, quæ vox præcesserat, nec erat opus iterare) ipsos (qui erant in arce) vltima & extrema supplicia passuros. Malim etiam *adorfus*, vt habent antiquiores codices, quam *adortus*; ab adior, non adordior, quod in Latina lingua verbum nullum est. Sic & Ouidius:

*Est mea culpa grauis, sed quæ me perdere solum*

*Ausa sit, & nullum maius adorsa malum.*

2 de Pont.  
eleg. 2.

Rarius tamen est *adorfus*, quam *adortus*, sed habet & alia quædam rara Curtius, vt suo loco monebo.

SITV ET OPERE) Arrianus. ἐν δὲ ταῖς Κελαγοναῖς ἀμρα ἦν πάντῃ ἀπότομος. Erat in ea vrbe arx omni ex parte prærupta & præceps.

SE SCIRE INEXPUGNABILES ESSE) alterum reciprocum desideratur & auditur. plena oratio esset: se scire se inexpugnabiles esse; sed iteratio eiusdem vocis orationem reddit molestant, quam obrem & in proximo verfu omisit pro fide (se) morituros, & amat ita loqui Curtius, vt notabis.

AD VLTIMUM) ἐν τῷ βελῶν. Denique si oppugnare tentaret & perseveraret, malle se vitam quæ fidem proderet. *Æacidina nima*. mox vbi periculum & obsidium sensere, clypeum & hastam proiecerunt. *Paroemia*. Alexander urbem & arcem in fidem acceptam, & mille quingentorum armatorum præsidio firmatam, Antigono præfecto tuendam commisit, ipse post decimum inde diem Gordium versus mouit.

## CAPVT II.

## ARGVMENTVM.

Legatis Atheniensium respondet, copias aduersus Darium contrahit, Phrygiam ingreditur, Gordium urbem capit, Gordium nodum explicat.



*S*perueniunt deinde legati Atheniensium petentes, vt capti apud Granicum amnem redderentur sibi. Ille non hos modo, sed etiam ceteros Græcos restitui suis iussurū respondit, finito Persico bello. Ceterum Dario imminens, quem nondum Euphratem superasse cognouerat, vndiq; omnes copias contrahit, totis viribus tanti belli discrimen aditurus. Phrygia erat, per quam ducebatur Exercitus, pluribus vicis quam urbibus frequens. Tunc habebat nobilem quondam *Mida* regiam, Gordium nomen est urbi, quam Sangarius am-

*nis* interfluit, pari intervallo Pötico & Cilico mari distans. Inter hac maria angustiissimum Asia spacium esse comperimus, vtroq; in arctas fauces compellente terram, qua quia continenti adhaeret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem in sula præbet: ac nisi tenuè discrimen obijceret, maria, qua nunc diuidit, committeret. Alexander, vrbe in suam ditionem redacta, Iouis templum intrat: vehiculum quo Gordium *Mida* patrem vectum esse constabat, aspexit, cultu haud sanè à vilioribus vulgarisq; usu abhorrens. Notabile erat vinculum astrictum compluribus nodis in semetipsos implicatis, & celantibus nexus. Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asia potiturum qui inexplicabile vinculum soluisset, cupido incepsit animo eius sortis implenda. Circaregem erat & Phrygum turba, & Macedonum, illa explicatione suspensa, hac sollicita ex temeraria regis fiducia. Quippe seriem vinculorum ita astrictam, vt vnde nexus inciperet, quo ve se conderet, nec ratione nec visu percipi posset. Soluere aggressus iniecerat curam, ne in omen verteretur irritum inceptum. Ille nequicquam diu luctatus cum latentibus nodis. Nihil, inquit, interest, quomodo soluantur, gladio que ruptis omnibus loris oraculi sortem vel elusit vel impleuit.

\* iustum.  
\* al. Alexandro imminens de Dario cura erat.  
\* ciuitatē.  
\* præterfluit.

\* series v. ita erat astricta.  
\* posse.  
Modius mendosè.  
\* aggressus al. cuoluerit aggressus.

SPERVENIUNT LEG. ATHEN.) Arrianus Alexandrum à legatis non Celænis sed Gordijs contentum narrat.

CAPTI AD GRANICVM) in acie pro Dario contra Alexandrum pugnantes arma tulerant, vt docet Arrianus. de pugna supra dictum. Cecidit & turma equitum Macedonum in primo statim conflictu, quibus Alexander equestres statuas Lysippo artifice posuit, quas Q. Metellus prætor postea victis Macedonibus cum Pseudo-philippo transtulit Romam, vti testatur Velleius Paterculus: Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, &c.

SED CAETEROS) bis mille in Macedoniam missos, vt ibi custodirentur. Fecit hoc Alexander vt Græcos in metu & officio contineret, quoad Persicum bellum conficeret, hisce velut obsidibus retentis.

DARIO IMMINENS) Omnes quos vidi Codices, præter Modianum, hunc locum augent. Cæterum Alexandro imminens de Dario cura erat, quem &c. Antiquissimus vitiosissimè: Cæterum Dario imminens de Alexandro cura erat. Modius ex MS. emendat, & illas voces *De cura erat*, proscribit, seruatis *Cæterum imminens Dario, quem nondum Eufratem superasse cognouerat, vndique omnes copias contrahit*. Et veram esse Modij scripturam docent ipsa verba, quæ alioqui malè cohærent, vt appareat illa spuria esse: *Alexandro de Dario cura erat*. atque ex glossemate aliquo irrephisse, quomodo enim ista coniunguntur? *Cæterum Alexandro imminens de Dario cura erat, quem nondum Eufratem superasse cognouerat*. Vndique copias contrahit.

Lib. 9.

VNDIQUE COPIAS CONTRAHIT) Alexander ex Macedonia in Asiam per Hellepontum deportauit peditem triginta millia, equitum quinque. Liuius xxx. m. ped. iij. m. equit. Idem Aristobulus, idem Diodorus. Iustinus ex Trogo ped. xxxij. Mil. Equit. iij. m. d. naues lxxxij. Frontinus xl. millia vniuersè censet. Ptolemæus xxx. m. ped. v. m. Equit. Anaximenes xljij. m. ped. v. m. equitum & D. Viaticum non amplius lxx. talenta tantum, vt Aristobulus est auctor, hoc est quadraginta duo millia Philippæorum. Duris tantum triginta dierum commeatum. Plut. lib. i. de fort. Alex. Vt Arrianus narrat, amisit in acie ad Granicum quindecim supra centum, equites lxxxv. pedites xxx. quamquam variant de numero cælorum. reliquit in præsidio Celænarū mille quingentos, superfuere triginta quatuor millia, octingenti octoginta quinque. ad hos accessere cum Gordij esset, equites quingenti, pedites mille.

EVFRATEM) Eufrates in Asyria Babylonem interfluit, & Darius copias ad Babylonem collegit: vt occurreret Alexandro ad Issum, traiciendus erat Eufrates, vltra quem Darius cum exercitu versabatur.

PHRYGIA ERAT) ex Pisidis in Phrygiam transijt Alexander, cuius olim caput Celæna, postea Apamea.

PLVRIBVS VICIS) Ita Tacitus de Palestina: *Iudæa magna pars vicis dispergitur*.

MIDAE) Hic ille Midas est omnium poëtarum fabulis decantatus, cui omnia tacta in aurum versa, cui aures vt Afino Cumano appingunt, quæ ego figmenta poëtis non inuideo. Epitaphium ipsius verum ex Homero & Herodoto non est omittendum. Profectus ergo Cumam (Homerus) è Nouo Muro per Larissam iter fecit, vt potè compendiosissimum, vbi, vt Cumani narrant, flagitante focero, epigramma hoc scripsit Midæ Phrygum regi Gordij filio, id quod etiam nunc in Gordij cippo inscriptum visitur.

2.  
Μίδασ ὁ τῶ  
Γορδίου  
φραγῶν ἦν  
βασιλεὺς  
ὁς διέτε.

Χαλκῆ παρθένος εἰμι μίδῳ δὲ ἐπὶ σήματι κείμεα  
Εὐ τὸν ὕδωρ τε πέη, καὶ δένδρεα μακρὰ τεβήλη  
Ἡελίος τεάντων λάμπων, λαμπράτε σελήνη,  
Καί ποταμόν ῥέων ἄνακλῦζήν ἤ δάλασσα  
Αὐτὸς τῆδε μένισσα πολυκλαύτη ἐπὶ τῷ μῶ  
Ἀγγελῶ παριοῖσι Μίδης ὅτι τῆδε τεθαπῆαι.  
AENEa virgo Midæ stans hic incumbo sepulcro  
Dum fluit vnda lenis sublimis nascitur arbor  
Dum sol exoriens & splendida luna relucet,  
Dum flumj labuntur, inundant littora fluctus,  
Hic constanter ago, lacrymasq; in margine tincto  
Fixa Midæ moneo tumulatum hic chore viator.

\* MIDAE \* CIVITATEM GORDIVM) Primum docet Curtius quis situs Gordij ciuitatis, deinde explicat nexum Gordium. Gordium paucis describit Arrianus: *Est porro, inquit, Gordium in Phrygia Helleponto proxima ad Sangarium amnem sita*. De Sangario Liuius: *Cum ad Sangarium Consui Volso) peruenisset pontem, quia vado nusquam transitus erat, facere instituit. Sangarius ex Adoreo monte per Phrygiam fluens miscetur ad Bithyniam Tymbreti fluuiio. inde maior iam geminatis aquis per Bithyniam fertur, & in Propontidem se effundit*.

INTERFLUIT) Ita legendum docent emendatiōres codices, quam scripturam iuuat Strabo, qui scribit: *ἐπὶ τῷ ποταμῷ τῷ Γορδίου*. super hoc flumine (Sangario) posita est vrbs Gordium.

Lib. 8.

PARI INTERVALLO) Liuius, cuius testimonia alias pro oraculis laudo, hic videtur lapsus. *Postero die ad Gordium peruenit, id haud magnum quidem oppidum est, sed plus, quam mediterraneum celebre & frequens emporium. Tria maria pari ferme distantia interuallo habet: Hellepontum, (ita interpungo) ad Sinopen, & alterius ora littora, qua Cilices maritimi colunt, multarum magnarumq; prætere gentium fines contingit, quarum commercium in eum maximè locum mutui vsus contraxere*. Quod Liuius tria maria nominet, & Curtius duo, intelligo nullo errore Curtij factum, quod duo duntaxat latera Gordij, tergum, vnde profectus Alexander, Curtius non respexerit, hoc est Hellepontum. Et si Ponticum mare, alij Hircanum seu Caspium interpretentur. Sed hoc loco nulla ratione Ponticum pro

Calpio

*Caspio accipi potest. Disputat super iisdem angustijs Strabo contra Apollodorum Ephorum. Plinius, à Sinope CXXX. M. eiusdemque nominis sinus tanti recessus, vt Asiam penè insulam faciat C C M. pass. haud amplius per continentem ad Ificum Ciliciæ sinum.*

**PARI INTERVALLO**) In medio spacio terræ quæ inter duo maria sita est, vides Liuianam imitationem: sed nec Liuius, nec Curtius hic καθάρματα λύσει, cum Gordium ad Sangarium ponunt, & tamen pari intervallo à tribus maribus distare affirmant. Io. Georg. Hervvartus vir illustris & maximarum disciplinarum meditatione exercitatus, ex Ptolemei tabulis obseruauit fieri non posse quod hic à Curtio & lib. xxxviii. à Liuiio narratur. Itaque posuit ille Gordium seu Iulio Gordum ad noctem Sipylum haud procul Sardibus & Magnesia. Sed enim rectius arbitror collocabimus Gordium supra Mæandrum seu Marfyan, & intelligemus esse Gordiucomen seu Gordij castrum, quod Liuius Gordiutichos appellat, & à Cleone munitum est, & Iuliopolis appellata in Phrygia minore, & Asia propriè dicta. Nam occupatis Celænis Alexander rectè contendit Gordium, non regressus ad Sipylum vel Sangarium. Porro Γορδίου κάμη iustè medio intervallo abest à tribus maribus, Hellespontico, Euxino & Cilicio.

**IN SVAM DITIONEM**) potestatem, suo imperio subiecit, sibi parere coëgit. obserua hanc vocem à multis barbarè vsurpari, cum pro finibus & agro accipitur, quo modo nunquam Latini sunt locuti, vt si dicas, *Ditionem illius vastauit, Ditionem ipsius inuasit*, hoc est, agros. Scio & à me olim ita peccatum esse.

Ditio, pro iure imperij Latine, pro terra, barbarè vsurpat.

**VEHICVLVM QVO GORDIVM MIDÆ PATREM VECTVM ESSE CONSTABAT, ASPEXIT**) Hanc Alexandri cum Gordio nodo luctam præter omnes ferè scriptores qui de Alexandro tradunt, etiam parcemiographi laudauerunt. Itaque præteritis nominibus de re ipsa agam. Non conuenit Arriano & Iustino in partibus historiæ huius, generatim idem dicunt.

Gordius domo Phryx, fortuna tenuis, iugis bouum duobus tenuem agellum colebat, quorum altero arabat, altero onera vectabat. Iustinus conductis vsu affirmat. Arantisa, quila iugum currus infedit, nec ante quam ad vesperam abiungeret, loco celsit. Gordius spectaculo percussus, adiit Telmissensés augurandi scientia pollentes. inter hæc vicum quendam ingredienti occurrit virgo, & ipsa vates, & ex vatum progenie orta, forma rara, quam percontatus de auguribus intellexit ab ipsa rem totam, sibi portendi regnum, quæ lociam se & regni & tori futuram pollicita ex ea susceptum Gordio Midam, qui secundus à Gordio regnauit. Phryges discordijs intestinis laborantes oraculum consuluerunt, à quo didicere discordijs finiendis rege opus esse; quærentibus quem iuberent regnare quem, inquit oraculum, reuersi primum in templum Iouis plautro euntem cernetis. Gordius cum filio & cõiuge cursu vehens à Telmissensibus ostensus, à Phrygibus rex est acclamatus & salutatus (Arrianus Midam filium dictum ait primitus regem) ita ciuili contentione sedata pax redijt Phrygiæ. Gordius plautrum, quo vehenti regnum erat delatum, in Iouis templo regiæ maiestati cõsecrauit. Erat iugum currus ex libro corni varijs altrigmentis ita innexum temoni, vt nemo facile capita vinculi inter varios nodorum nexus latentia deprehenderet, cum fors esset oraculi, fore vt istotius potiretur Asiæ, qui nodos reperisset & nexus explicasset. Ergo Alexander, qui spe sibi Asiæ iam desponderat, & verò deuorarat, aggressus Labyrinthos vinculi errores, cum aliquandiu nec quicquam explicandis loramentorum initijs iaborasset, veritus, ne, si nodo insoluto recederet, circumstantium Macedonum & Phrygum sententia tacitè Asia sibi adiudicaretur, ferro abruptit, atque ita oraculo satisfactum dixit. Aristobulus, Arriano teste, auctor est Alexandrum exempto paxillo temonis (erat is clauus ligneus per medium temonem traiectus, cui vinculum astrictum erat) iugum temoni detraxisse. Addit Arrianus se nescire quomodo fuerit nexus ille expeditus, ipsum Alexandrum cum suis discessisse perinde ac si oraculi sortem impleisset, idque tonitrua & fulgura ea nocte excitata satis declarasse, eaque de causa postero Dijs factum ab Alexandro, tum ob prodigia edita, tum ob rationem soluendi nodi ostensam. Idem ferè Plutarchus paucis ostendit: *Gordium oppidum (quod veteris Midæ fertur domicilium fuisse) in fidem accipiens nobilitatum illud spectauit vehiculum cortice reuinctum corni: ac pro vero à barbaris accepit credi, in fatis esse, qui vinculum id soluisset, is vt imperio orbis terræ potiretur. Commemorant multi vinculum quod tortuosis orbibus nodi in semetipsis identidem implicati celarent loramentorum capita, Alexandrum soluere desperantem, gladio nexum dissecuisse, atque multa eo resoluta capita inuenisse. Aristobulus verò, sanè quam expedite nodum ait soluisse, cum exenisset ex temone clauum, quem vocant, qui temoni alligat iugum, atque ita inde iugum subtraxisset.* Adagiographus Herculanum vinculum cum Gordio inuoluit, de quo Turnebus ex Macrobio, quem videbis.

Gordius quis, & historia de illo.

Gordius ex aratore Rex. Plautrum Gordij. Plautrum L. Albenij seu Aluanij Celebratur apud Val. Max. lib. i. c. 1. Nodus Gordius. Oraculum. Nodus Gordius an gladio vel ingenio solutus.

Adagiographi error. Li. 13. c. 4. Continens.

**CONTINENTI** audi vocem terræ, continens pro terra, vt saliens pro fonte, frigida, calida pro aqua, oriens pro sole, & hoc genus innumera.

**INSVLAE**) Insula est terra vndique mari cinctæ; quæ vnà ex parte adhæret, peninsula. Insula dicuntur etiam in oppidis ædes liberæ, quibus aliæ non adhærent, vt plerumque sunt hodie templa.

Insula peninsula.

**GORDIVM MIDÆ PATREM**) Patrem in omnibus codicibus editis lego, sed Midæ quibusdã desideratur, malim vel vtrumque tollere, vel patrem retinere, omisso Mida.

**CVLTV HAVD SANÈ A VILIORIBVS VVLGATISQVE VSU ABHORRENS**) Adagiographus rescribit, *vulgarisque visu*. Modius retinet vsu. Glareanus pro vsu reponit v. *hiculiu*. Antiquissimus

Variat libri & auctores.

quissimus codex præfert *vulgatisque vsibus*. Aldus, *vulgatius curribus*, recentiores legunt *vsu*. Glarea-  
ni emendatio à ductu literarum procul abit, & iteratio eiusdem vocis non ex vsu Curtianæ elegantiae  
& breuitatis est. Nec debuit offendi gemino casu auferendi, cum alter siue posterior à voce vulgatis  
regatur, vt sit periphrasis currus quotidiani, agrestis & vsitati, hoc intellectu: Vehiculum Gordij or-  
natu seu forma & cultu non multum abhorrebat à vilioribus & vsu vulgatis seu quotidianis. Itaque  
optima est scriptura hæc *vsu*, non *visu*, nec *curribus*, nec *vehiculis*, nec *vsibus*.

Iugi varia  
notio.

IUGVM) Variam habet notionem hoc verbum, vocamus iugum montis, iugum libræ & mo-  
dum agri. Varro: *Iugum vocant, quod iuncti boves vno die exarare possint*. Aliud est iugerum. Est iu-  
gum genus vinculorum, est sub quo victi transire cogebantur, quod furcæ, seu gabali, seu patibuli  
formam referebat. sunt & iuga vinearum, vnde vineæ iugatæ. Est & iugum boum, & iugum currus,  
quibus hic locus.

Auctoris  
sententia.  
Iugum nō  
est in cur-  
ruvel plau-  
stro, sed in  
iumentorū  
cervicibus.

Sed ambigas, an iugum plaustrum vel boum intelligas. Iustinus iugum plaustrum appellat; Gordius  
autem plaustrum cum iugo boum Ioui consecrauit. Intelligo iugum quod boves iuncti cervicibus  
gestabant, quæ temoni fixum clauo fuit. Loro autem seu libro corni iugum bobus erat astrictum, &  
clauus vinculis libri illigatus. Curtius enim quandocunque de iugo infra propriè loquitur, semper  
iugum intelligit seu equorum seu iumentorum, quod illorum collis indebatur, sed de iugis & cur-  
ribus infra suo loco plenius & planius.

ILLA EXPLICAT. SVSPENSA) Illa Phrygum turba intenta Alexandro in nexu exsoluendo  
occupato; hæc, Macedonum cohors anxia, ne res Regi infeliciter cederet.

GLADIO RVPTIS OMN. LORIS) Ausonius ad Paulinum: *Nō tu Alexandri Macedonis  
peruicaciam supergressus es, qui fatalis iugi lora, cum soluere non posset, abscidit*. Et in carmine:

*Ocyus illa iugi fat alis soluere lora  
Pellaum potuisse ducem reor, abdita opertis  
Principijs, & vtroque caput celantia nodo.*

ELVSIT) si Aristobulo credendum, non elusit, sed soluit & impleuit. Maior auctorum nume-  
rus refectum gladio vinculum & elusum oraculum affirmavit. Arrianus in medio relinquit, satisfac-  
tum tamen oraculo dicit. Zenobius cent. 4. adag. 46. *κάθαμμα λύεις*, nodum dissoluis: *παροιμία*,  
inquit, *ἐπὶ τῷ ὀσπυτόν ἡλύειν ἐπιχειρῆντων λόγον γὰρ τοῖς φρυγῖν ἐπιπληκεῖ περὶ τῆς κομισσῆς τὸν Μιδαῦ  
ἐμάχης, ἧτις ἐπιλύσειε τὸν δεσμὸν, τῆτον τῆς Ἀσίας ἀρξάν Ἀλέξανδρον δὲ ἔλυσε*. Idem Diogenianus: *ὄχ ἄμα  
μα λύεις*, non soluis nodum.

Acidalij  
ἀλεξία.  
Mendosa  
Modij  
mendatio.

QUIPPE SERIES VINCVLORVM) Mutat editorum scriptorum omnium quos vidi fidem  
Modius, & reponit: *Quippe seriem vinculorum ita astrictam, vt vnde nexus inciperet, quo se conderet,  
nec ratione nec visu percipi posse*. Dein subiungit: *sed peream, nisi hac verè esset Glauci & Diomedis per-  
mutatio*. Ego verò omnia alia: Nam si Modij emendationem propugnes, nec Glauci, nec Diomedis  
arma retinebis, sed vtrisque exueris, quod miror ab Acidalio in longa sua breuitate non obserua-  
tum. Quæ enim ista loquendi ratio? *vt percipi posse?* certè vt illa admittam, seriem vinculorum ita  
adstrictam, tamen nisi legas, *vt percipi posset*, non est iusta oratio. alioquin expedita sententia, vt  
totam periodum ita dispungas: *quippe seriem vinculorum ita adstrictam, vt vnde nexus inciperet, quo se  
conderet, nec ratione, nec visu percipi posset, soluere aggressus iniecerat curam, ne, &c.*

### C A P V T I I I .

#### A R G V M E N T V M .

Alexander ducibus Hellepontum committit, Anti-  
patro Græciam, ipse Ancyram petit, copias lu-  
strat, Paphlagoniam occupat, cui Calas præfectus,  
ipse Cappadociam inuadit.

\* Coumqs.



*Vm deinde Darium regem, ubicunq; esset, occupare statuisset, vt à tergo  
tuta relinqueret, Amphoterum classi ad orā Hellepōti, copijs autem præficit  
Egelochem Lesbum, & Chium, \* Coumqs. præsidjs hostium liberaturos. His ta-  
lèra ad belli vsum quingenta attributa. Ad Antipatrum, & eos, qui Gracas  
urbes tuebantur, sexcenta missa. Ex fœdere naues socijs imperat, qua Hel-  
lesponto præsiderent. Nondum enim Memnonem vitā excessisse cognoue-  
rat, in quem omnes intenderat curas, satis gnarus cuncta in expedito fore, si nihil ab eo moue-  
retur. Iamq; ad urbem Ancyram ventur erat, ubi numero copiarum inito Paphlagoniam*

ENYA:

*intrat: huic iuncti erant Eneti, unde quidam Venetos trahere originem credunt: omnisq; hac regio paruit regi: datusq; obsidibus, tributum (quod ne Persis quidem tulissent) pendere ne cogerentur, impetrauerunt. Calas huic regioni praepositus est, ipse assumptis qui ex Macedonia nuper aduenerant, Cappadociam petit.*

**OCCUPARE STATVISSET**) inopinantem opprimere, hoc enim est hoc loco *occupare*. et si variam quoque significandi vim habeat hoc verbi. valet enim quod antecapere, anteuertere seu praecipere. quod non est barbarum, cum *a* Liuius & ipse *b* Cicero vocem vsurparint. Dicuntur & occupare pecunias qui faenori exponunt. praetermitto communem verbi vsu, cum possidere, tenere, vi capere significat.

Occupare quid.

*a* Lib. 12.  
*b* 10. Philip.

**A TERGO TVTA RELINQ.**) A tergo reliquit Hellepontum & Graecum mare cum minori Asia, a fronte habebat Armeniam, & Euphratem, & Darium, a latere sinistro Paphlagoniam & Cappadociam, a dextro Ciliciam & Babylonem. Ne igitur a tergo & fronte ab hostibus circumueneretur, prouidendam erat, vt tergum muniret. Status autem insularum in Graeco mari hic erat.

Alexander post victoriam ad Granicum partem statim omnem oram maritimam occupauit, insulasq; Lesbum, Chium, Coum in potestate habuit. Memnon Rhodius a Dario Imperator declaratus bellum decreuit Macedoniae & Graeciae inferre, adeoque ex Asia in Europam transferre, insulas Lesbon, Chion & Con occupauit, & late per mare Aegeum, terrorem magna classe circumtulit. Sic enim Diodorus: *Insequenti anno, quo Athenis Nicocrates imperauit, Romae, Valerius Casp & L. Papyrius Consules fuerunt, Darius rex ingentem pecuniam Memnoni misit, eumq; totius belli ducem appellauit. Qui conducta magna militum manu trecentisq; nauibus instructis susceptam belli administrationem curabat. Chium in partes suas traxit, in Lesbum cum classe traiecit, primoque impetu Antissam, Methymnam, Pyrrham & Erethum occupauit. Mytilonem, quae magna & omni apparatu belli firmoque praesidio munitissima erat, dies complures, non sine magno suorum militum detrimento cum oppugnasset, tandem per summas difficultates cepit, & quae ibid. sequuntur. In hoc conatu verusata vita deuoluitur, & cum illo Darij regnum cepit ruere, quod illi ducem belli parem non haberet. Hoc ergo erat, quod timebat Alexander, ne Memno, in quem omnis intenderat, aliquid a tergo moueret, ad quem coerendum Amphoterum classi ad oram Helleponti praefecit, & copijs Hegelochum qui tres Insulas Lesbum, Chium & Con in Graeco mari iam ab hostibus occupatas recipere, hostes eijcerent, & Alexandro tutam in Asiam expeditionem praestarent. De Macedonia non erat admodum sollicitus, quod in Antipatro, cui regnum defendendum commiserat, satis praesidij haberet, quem cum XII. millibus peditum, duobus millibus equitum in Europa reliquerat.*

Status insularum in Aegeo Mari quis post Granicanam victoriam.

**AMPHOTERV M**) Hic est in quem dictum Philippi extat apud Plutarchum: E duobus, inquit, fratribus Amphotero & Cratero (Graece melius *ἀμφοτέρου & ἑκατέρου*) cum Craterum seu Hecaterum prudentem & strenuum, Amphoterum autem hebetem & ignarum videret; Craterum quidem Amphoterum, hoc est vtrumque esse dixit, Amphoterum vero neutrum.

*ἑκατέρος ἀμφοτέρος ἀμφοτέρος οὐδέτερος βστ.*

**COPIIS**) terrestribus, vt hoc loco a classarijs distinguantur.

**HEGELOCHVM**) Hic ille est dux & classis primum cum Amphotero praefectus, de quo lib. 4. c. 17. Idem qui cum Parmenione & Philota in Alex. coniurauit, immo auctor alijs coniurationis fuit, vt lib. 6. c. 20. docet Curtius, cecidit in praelio ad Gaugamela.

**LESBVM**) Lesbus, Chios, Cos nobilissimae insularum, Lesbus in Troade nouem oppidis, quinque fluminibus incluta, Chios inter Samum & Lesbum e regione Erytrarum sita, Cos in Caria, sic enim lego, de quibus Geographi veteres & noui, apud quos descriptas & tabulis depictas cognosces & spectabis.

**HIS**) Amphotero & Hegelocho.

**TALENTA QVINGENTA**) Talentum commune accipio, quod sexcentis est Philippaenis. quingenta respondent trecentis millibus Philippaeorum, vti sexcenta, trecentis sexaginta millibus. Philippaenum accipio pro XX. victoriatibus seu quinarijs, seu, vt hodie loquuntur, bazijs, fortasse ab vrso Bernensi, quem *bezen* vocant, & monetæ inscribitur.

**NAVES SOCIIS IMPERATAE**) Ita Cicero in Verrinis locutus. Socij sunt Graeci Athenienses, Argiui, Aetoli, Phocenses, Beotii, Elaei, Thessali, Plateenses, Orchomenij.

**HELLESPONTO**) Pontus Helle. Helle Phryxi germana soror, ex Athamante & Nephelē per angustias ponti naue quae in prora pictum habebat arietem, cum fratre vecta, dum despiceret incautius, excussa, loco nomen, vt Icarus fecit. Ouid. Epist. Leandri.

*Fluctibus immodicis Athamantidos aequora canent*

*Vixque manet portu tuta carina suo.*

*Hoc mare cum primum de virgine nomina mersa*

*Quae tenet, est nactum tale fuisse putato.*

*Est satis amissa locus hic infamis ab Helle*

*Vtq; mihi parcat, nomine crimen habet.*

B

Poeta

Pocæ nauem in arietem suo more transformant. Diuidit Helleſpontus Europam ab Aſia, VII. ſtadia qua anguſtiſſimus eſt, complectitur. Per hunc traiecit Xerxes copias in Græciam, & mare nauilibus ſtrauit. Plinius & Geographi plura cum Petro Gyllio de Boſphoro.

MEMNONEM VITA EXCESSISSE ) Ad Mytilenam morbo extinctum, Valerio & Papyrio Cenſore Coſſ. plura de hoc ſupra.

Modius re-  
cta corrigi  
& curua  
facit.

OMNES INTENDERAT CVRAS ) Modius ſine cura curas in crucem ablegat, corrigitque *Omnes intenderat*, ſed omnes codices veteres & recentes, etiam MS. retinent *omnes intenderat curas*, nec ſcio cur explodatur, cum non minus latinè ac alterum dicatur. Liuius : *Omiſſa in præſentia pacis mentione, totam curam in belli apparatus intendit*. Cura de Memnone liberatus, quem acceperat occupatis in ſulis Chio, Leſbo, Mytilene, cum trecentarum nauium claſſe & ingenti peditum numero in Macedoniam velle tranſire.

A BEO MOVERETVR ) mouere certè decreuerat, & bellum in Græciam & Europam ex Aſia tranſferre.

Lib. 13.  
M. Velle-  
rus rerum  
Bois,

ANCYRAM ) Poſtridie Gordio profectus Alexander Ancyram venit, nobilem vt Liuius ait urbem, in illis locis apud Tectoſages in Galatia, vbi poſtea Manlio Volfone Conſule Chiomana Tolisto-Boia matronarum nobiliſſima & caſtiſſima centurionem impurum interfecit. Ancyram Galaciæ Plinius tribuit Tectoſagis ſeu Tectoſagibus. Ancyram venerunt Paphlagonum proceres & legilli, qui gentem ſuam Alexandro dederunt, quam ille Calæ ſeu Chalæ Phrygum Satrapæ iuſſit parere.

COPIARVM NUMERO INITO ) Calliſthenes apud Polybium recenſet peditum quadraginta duo millia, equitum quatuor millia tantum. nemo aliſtantum ponit numerum peditum. nam pedites mille, equites quingentos ad primum ex Europæ exercitum tranſportatum non amplius acceſſiſſe tradunt. Ita vt detractis quos in præſidijs reliquit, cenſi fuerint triginta ſex millia trecenti octoginta quinque. Panegyriſta ἀδελφ. paneg. 2. in Conſtantinum M. vbi componit Alexandri militem cum copijs Conſtantini, affirmatque Alexandri exercitum nunquam exceſſiſſe quadraginta millium numerum, cum diſertè tradat Curtius lib. 3. c. 11. ducta eſſe CXX. millia in Indiam. Sic enim Curtius: *Centum viginti millia erant armatorum, qua regem ad id bellum ſequebantur*.

PAPHLAGONIAM INTRAT ) Galatiam ſequitur Paphlagonia, ſecundum pontum Euxinū, clauditque à tergo, vt Plinius & alij docent, Galatia Paphlagoniam.

HVICI VNCTI ERANT HENETI ) Qui Venetorum origines tradunt, variant ſententijs, quas ego hic prætereo: Mihi vnus præ cunctis laudandus eſt Liuius, & ſecundum hunc Strabo ac Plinius, qui omnes ſtant à Q. Curtio, Henetorum gentem ex Paphlagonia duce Antenore in Italiam profectam, ibi ſedes poſuiſſe, & mutata prima litera pro Henetis Venetos appellatos. Liuij verba ſunt. *Iam primum, inquit, ſatis conſtat Troia capta in ceteros ſeu itum eſſe Troianos, duobus Aenea Antenoreq; & vetuſti iure hoſpitij, & quia pacis reddendæq; Helena auctores fuerant, omne ius belli Achius abſtinuiſſe, Caſibus deinde varijs Antenorem cum multitudine Henetum qui ſeditione ex Paphlagonia pulſi, & ſedes, & ducem, rege Pylemene ad Troiam amiſſo, quærebant, veniſſe in intimum maris Adriatici ſinum, Euganeuq; qui inter mare alpeſq; incolebant, pulſi, Henetos, Troianosque eas tenuiſſe terras, & in quem primū egreſſi ſunt locum Troia vocatur, pagoq; inde Troia nomen eſt, gens vniuerſa Veneti appellati. Hæc Liuius. Homerus & Mæandrius Henetos à Leucoſyris profectos Troianis ſuppeticatum iuiſſe tradunt, indeque cum Thracibus auctos ſedes poſuiſſe in intimo ſinu Adriæ, reliquos qui cum Pylemene erāt profecti, reſediſſe in Cappadocia.*

Modius &  
Palmerius  
reieci.

Ead. affirmat de Enetis & Venetis cum Liuius Plinius & Solinus, ex Cornelio Nepote. *Quare omnino in eam ſententiam deſcendo, illa verba quæ in Curtio ſequuntur, non eſſe ex gloſſemate adiecta, ſed legitima & genuina Curtij, cui ſubſcribunt omnes quos codices vidi, cum MS. quamuis Modius & Palmerius omnia alia arbitrentur.*

Heneti ergo Alexandro, vt & Paphlagonες ſubiecti, cum antea Dario paruiffent, hos immunes à tributis reliquit. Calæ tantum eos præcepit imperium ſequi.

QVI NVPER EX MACEDONIA ADVENERANT ) ſupplementum exercitus pedites mille, equites ſexcenti quinquaginta, vt Arrianus numerat, vt Calliſthenes, peditum millia V. equites octingenti.

CAPPADOCIAM PETIIT ) Magnam Cappadociæ portionem occupauit Alexander, totam eis Halim: partem etiam trans flumen, quibus præfecit Sabictam Satrapam vt Arrianus narrat.

Regionem Ptolemæus, Strabo, Plinius & alij his recentiores deſcribunt, Strabo duas in Cappadocia à Perſis factas ait Satrapias, poſtea in duo regna verſas.



## CAPVT IV.

## ARGVMENTVM.

Mors Memnonis nunciatur. Darius ipse educit copias, castra ad Babylonem ponit, copiarum numerum init, peditum quadringenta viginti duo millia, equitum vnum supra sexaginta millia. Summa cccicccc. cccicccc. cccicccc. cccicccc. icccc. cciccc. cciccc. cciccc. ccc. ccc. ccc. hoc est, 483000,



**A**T Darius nunciata Memnonis morte, haud secus quam par erat motus, ommissa omni alia spe, statuit ipse decernere, quippe quae per duces suos acta erant, cuncta damnabat, ratus pluribus curam, omnibus absuisse fortunam. Igitur castris ad Babyloniam positis, quo maiore animo capesseret bellum, vniuersas vires in cōspectum dedit, & circumdato vallo, quod aecem\* milliū <sup>\*Mod decies centē nū milliū legit vitiose Modius</sup> armatorum multitudinem caperet, Xerxis exemplo numerum copiarum inijt. Orto sole, ad noctem agmina sicut descripta erant, intrauere vallum, inde occupauerunt emissa Mesopotamiae campos: Equitum peditumq; propemodum innumerabilis turba, maiorem quam pro numero speciem gerens. Persarum erant centum millia, in quibus eques triginta millia implebat. Medi decem equitum, quinquaginta millia peditum habebant. Barcanorum equitum fuere duo millia armati bipennibus, leuibuscque scutis, cetera maxime speciem reddentibus, peditum decem millia pari armatura sequebantur. Armenij quadraginta millia miserant peditum, additis septem millibus equitum. Hyrcani egregij, vt inter illas gentes sex millia expleuerant equis militatura.\* Derbices quadraginta millia peditum armati erant, plurimum habebat ferrum praefixam hastis; quidam igne lignum durauerant. hos quoque duo millia equitum ex eadem gente comitata sunt. A Caspio mari octo millium peditum exercitus venerant: ducenti equites cum his erant. Ignobiles aliae gentes, duo millia peditum, equitum duplicem parauerant numerum. His copijs triginta millia Graecorum mercede conducta, egregia iuuentutis, adiecta sunt. Nam Baetriauos & Sogdianos & Indos, ceterosq; rubri maris accolae, ignota etiam ipsi gentium nomina festinatio prohibebat acciri. <sup>\*Vicies mē dose vulgo rectē Modius Derbices.</sup>

DARIUS NVNCIATA MEMNONIS MORTE) Idem a Siculus narrat. b Arrianus Darij spē <sup>a Lib. 17. b 2.</sup> cum deposito Memnone decollasse, per quem volebat arma Europae inferre.

DECERNERE) certare, bellum gerere, dimicare, vt Cicero, *quam ne seruiam, animis armisque* Decernere, decernere. Virgil.

*Ipsum armis, ipsumq; iubet decernere ferro.*

Et: *Cornibus inter se subigit decernere armatos.*

Idem valet simplex: Accius:

*Primores procerum reuocarent nomina ni esset*

*Quis, qui armis secum vellet cernere.*

Eodem sentu apud Ennium, & Pacuuium, & alios legēs. Aliae notiones verbi decernere & cernere sunt in promptu.

OMISSA SPE) bene habet, nec est reponendum *amissa spe*, sic enim vsurpant hoc verbi principis latini, fori omittere tristitiam, spem, iracundiam, quamuis disertè Iustinus dicat, *tum spe pacis amissa*, sed ibi verè legitur *amissa*, quod spem illi pacis Alexander negarat. <sup>Spem omittere. Lib. 11.</sup>

DUCES SVOS) Quorum princeps erat Memnon, satis ille quidem felix, & cui minime cura defuerat, sed vita priusquam fides extorta fuerat. Ceteri Arsames, Reomitres, Petanes, Niphates, Mithridates Darij gener, Lydiae & Ioniae Satrapa, & Arsites Phrygiae, Spitridates, Mithrobazanes, Cappadocum praetor, Arbupales Darij Artaxerxis filius, Phamaces, Omares, Mithrones, Hegesistratus, Orontobates, Glaucippus, Neoptolimus, Autophradates, Pharnabazus cui Memnon praefecturam suam moriens commendauit. Thymondas, Datames; & horum magna pars ad Granium

Granium cecidit, quos Arrianus singulatim recenset. Pharnabazus Memnonis successor ex omnibus vnus erat Dario fidissimus, vt infra cognoscetur.

CVRAM ) amat enim victoria curas.

FORTVNAM ) quæ nec ipsi Dario adfuit : *ἐχρῆν γὰρ ἡδὴ καὶ Πέρσας πρὸς Μακεδόνων ἀφαιρεθῆναι τῆς Ἀσίας τὴν ἀρχήν, καθάπερ ἔβην μὲν πρὸς Περσῶν ἀφαιρεθῆσαι, πρὸς μὲν δὲ τῆς πρὸς Δουρύσιοι :* Oportebat enim, inquit Arrianus, Asia Imperium Persis à Macedonibus adimi, quemadmodum Persæ Medis, ac prius Mædi Assyrijs ademerant.

Tusc. 5. Lib. 5. DAMNABAT ) Variam vim huius verbi Nonius exprimit. Hic idem quod reprehendere valet, elegantissimo loquendi modo, vti Cicero : *Rerum naturam, quam errorem nostrum damnare maluimus.*

AD BABYLONEM ) infra celebrat Curtius, hic intelligit campos Babylonios.

MAIORE ANIMO ) cum plus decies Alexandri exercitum, numero superiores fore intelligerent, poterant sibi non immerito victoriam polliceri, si viri esse voluissent. Sed Darius papauerum semina collegerat; Alexander piperatum exercitum ducebat.

DECEM MILLIVM ARMATORVM ) Primum de scriptura huius loci constituendum, deinde res explananda. Codices omnes quos equidem ante Modij emendationem vidi, ita vt scripti habent: *decem millium armatorum.* Modius primus corrupt emendatam scripturam, & repoluit *decies centenum millium*, audi ipsam affirmantem.

Fateor, inquit, nullis adiutus codicibus ita scripsi de coniectura evidentissimis rationibus expressa. primum enim Galterus, qui, cum Curtij non solum in historia, verum etiam ipsis verbis summus imitator fuerit, vel hoc ipsum ad nos durare debuit, vt esset, vnde is auctor ( cuius ille exemplaribus ante annos CCC. & vnde viginti, quo tempore floruit, haud dubie minus contaminatis est vsus) aliquam multis locis malè affectis sanari posset : hic, inquam Galterus, copias omnes vallo Darium circumdedit re- tibus locis malè affectis sanari posset : hic, inquam Galterus, copias omnes vallo Darium circumdedit re- fert, indeque emissas occupasse Mesopotamia campos. Deinde mouit me etiam quod addidit ipse Cur- tius, Xerxis exemplo ( cuius exercitum, decies centenum millium multitudinem aut æquasse aut su- perasse, qui ex Græcis minimè mendaces perhibentur, asserunt ) numerum copiarum inisse Darium. facio tamen lector, rem iudicij tui, dum memineris, decem millium, quod libros occupauit, ferri nullo modo posse.

Modij er- ror grauis, grauior au- dacia. Quantum militū ha- buerit Darius in Ipsi- ca pugna. Exemplum Xerxis ex- plicatur cō- era Modiū. Xerxis val- lū ad Doriscū decē mil- lia capiebat

Quid? ferri nullo modo potest? proba, sancta, & vnicè vera lectio? pro qua nobis spuriam ob- trudas, & legitimam cruribus illidis? Poteras ex ipsis Curtij verbis deprehendere errorem tuum, qui meritò Criticorum audaciam reprimere potest. Primum Darius ex Curtij syllabo non numerauit sub signis nisi trecenta vndecim millia ducentos. ex Arriani censu summum sexcenta, ex Iustini quingenta tantum, totidem ex Diodori Siculi calculo cognosces. Nemo vltra sexcenta millia assignauit. Quid est ergo quod Curtius narrat, exemplo Xerxis? Hoc est. Darius exemplo Xerxis recensuit suas copias circumdato vallo, quod decem millia caperet armatorum. Xerxes enim cum vniuersum exercitum per Hellepontum continenti iunctum traiecisset, in Dorisco trans Helle- pontum septum fecit, quod myriadem capiebat, atque ex castris singulas myriadas seorsim in illud septum immisit, ac coram cum scriba spectauit, qui & vnde essent, quæ arma ferrent, relatoque in chartas in campum emisit, ac aliam myriadem ex castris in vallum deduxit, quam, vti priorem lustrauit, ac deinceps hac emissa aliam atque aliam, donec omnes copiarum per vallum transfirent. Hunc modum Xerxes instituerat copiarum recensendarum, quem imitatus est Darius circumdato vallo, quod decem millium (non decies centenum millium) multitudinem caperet. Sed audiamus Herodotum rationem exercitus numerandi à Xerxe initam ad Doriscum : *ὁ δὲ Δορίσκου ἐστὶ τῆς & cæt. Est autem Doriscus Thracia littus pariter & campus ingens, quem grande flumen Hebrus interfluit : vbi extructus est is murus qui Doriscus appellabatur, in quo Persarum erat presidium iam inde à Dario impositum, cum Scythis inferebat bellum. Cum igitur locus digerendis recensendisque copijs idoneus videretur, Xerxes ita sibi faciendum putauit : Eius iussu nauarchi cum eò appulissent, omnes naues ad littus Dorisco contiguum receperunt, vbi Sala vrbs, Samothracia & Zona sitæ sunt: cuius vltima Serrium nominatur, celebre promontorium, qui locus quondam fuerat Ciconum. In hoc littus appulsa classe & subducta, qui in ea subducentia laborauerant respirauere. Xerxes autem per hoc tempus apud Doriscum lustrabat exercitum. Equidem quantum singuli præbuerint copiarum, pro certo affirmare non possum : quoniam à nullis prorsus hominibus id refertur : constat autem terrestrium copiarum numerum fuisse centum septuaginta myriades, id est, decies septies centena millia. Quorum numerum hoc modo inierunt : Contraxerunt vnum in locum myriadem hominum, quæ sunt decem millia, quæ coarctata quàm maximè poterant, circulum extrinsecus descripserunt loco circumscripto : emissæq; illinc myriade septem circumdederunt, eatenus excitantes vt vmbilico tenuis pertingeret. Eam vbi fecere, aliam subinde atque aliam myriadem introduxerunt, donec omnes connumerauerunt: connumeratos autè nationatim digesserunt. An sol clarius meridie lucet atq; hic modò Curtij locus? Hinc & Brissoniū licet caltiget, qui ca- corū more Modiū est secutus; & Philippū Rubenium, qui nuper in Electis, pro decies ponit sexies centenum millium, cum hoc non spectarit ibi Curtius, nec voluerit numerum copiarum Darius expri-*

Herodotus sequetur & interpres Curtij cum Curtio col- latus. Obserua quod sit Xerxis ex- plum. Brissonij error. Philip. Ru- berius re- futatus l. 1. c. 26. Elect.

meret,

mere, sed modum duntaxat explicare, quo ad exemplum Xerxis copias numeravit. Et miror tantum Modij errorem ab Acidalio, homine peracuto, non deprehensum.

Porro quod ad Xerxis copias attinet, variant priscorum numeri, qui paucissimos armorum censent, numerant ut Plinius septingenta octoginta octo millia, ut Ctesias octingenta millia extra currus. Aemilius Probus decies centena millia, totidem Iustinus, contra omnium priscorum censum, qui decies centena millia navium Xerxi tribuit, cum nemo omnium veterum supra mille ducentas triremes seu rastratas illi assignet, quibus addunt exonerarijs & hippagogis ter mille octingentas quinquaginta. Arbitror, inquit Bonarsius, & verè meo animo legendum mille ducentos, literis quibusdam immutatis & vocibus uniuersis conuenit numerus cum Herodoto, Diodoro, Probo, Isocrate, Orofio &c.

Copias Xerxis quantè.

Iustinus mēdosus à Bonarsio curatur.

Sed redeamus ad copias Xerxis : Herodotus primum ponit centum & septuaginta myriades. Myrias continet decem millia, colligit ergo decies septies centena millia, sed cum lixis & calonibus, cum curulibus, nauticisque turbis affirmat Xerxem habuisse πενηκοντριάσπε μυριάδας & ἑκοσι καὶ ὀκτώ. καὶ χιλιάδας τρεῖς, καὶ ἑκατοντάδας δύο, καὶ δεκάδας δύο ἀνδρῶν. quinquagies inquam centena ducenta octoginta tria millia, ducentos viginti. Halicarnasleus trecetas myriadas, hoc est, tricies centena millia scribit. Isocrates & Plutarchus rotundant numerum, & quinquagies centena millia, non amplius collocant. An ergo incredibile perfodisse montes, strauisse maria, exhaustisse flumina tantas copias Xerxis? Xerxis copias vicit Ninus qui ἑπτακοσίας μυριάδας eduxit septagies centena millia, septem millones. De classe AEschylus in Persis:

528320. hic numerus copiarum Xerxis, quinque millones supra decemta octoginta tria millia ducentos viginti. Isocrates & Plutarchus cum Herodoto faciunt Classis Xerxis.

Ξέρξης δὲ (καὶ Ἰσσοῖδα) χιλιάς μὲν ἦσαν  
Νεῶν τὸ πλῆθος· αἱ δὲ ὑπέροικοι τάχιστα  
Ἐκατὸν δὲ ἦσαν, ἑπτά θ'·  
Xerxi (quod haud nescio) fuisse nauium  
Mille, ex quibus ducenta erant celerissima  
Et septem.

AEschylo subscribit Ctesias & Cicero. Addunt ducentas AEmilius Probus, Diodorus Siculus, In hanc classem Manilius:

— nec Persica bella profundo  
Indicta, & magna pontum sub classe latentem  
Immissumq; fretum terris iter aquoris vndis.

Adi Brissonium, vbi multa ex scriptoribus de his Xerxis copijs lectu iucunda adfert. Adde hic, coronidis loco, nihil officii testimonio Galteri, quem pro sua emendatione laudat Modius, nam Galterus numerum nullum exprimit, & nihil distinctè docet, quod ut intelligas, versus tibi illius adnumerabo, ex quibus simul dicces, nec Galterum sciuisse quid esset ad exemplum Xerxis copias recensere.

Conclusus procerum serie peditumque cateruis  
Tendit ad Eufratem, vbi tot radiantibus auro  
Gentibus explicitis, diffusis aquore vasto  
Tot populis, vires dedit in commune videndas  
Elatusq; animo vallum circumdedit, vnde  
Primo sole locum feriente recensuit omnes  
Xerxis ad exemplum, donec nascentibus astris  
Monti uaga Phæbes praecladeret hesperus ortum.  
Egreditur vallo virides effusa per agros  
Infinita phalanx, numerumq; recensit a vincit,  
Spargitur, & speciem maioris copia prabet.

Hæc Galterus, ut legis, confusè, atque omnia ex Curtio, quem ipsum tamen non est assecutus, cui videtur dicere simul omnes copias in vallum fuisse immisissas, quod nec verum, nec ad exemplum Xerxis.

ORTO SOLE) Hoc Persico more. Persæ enim nunquam ante ortum solem exercitum mouere. Curtius infra: Patrio more Persarum traditum est orto sole demum procedere die iam illustri. Idem docuit ante Curtium Herodotus de Xerxe Hellepontum traiecturo locutus: τῆδε ὑστερεῖσα ἀνέμενον τὸν ἥλιον ἐδέλοντες ἰδέσθαι ἀνίσχοντα: & quæ sequuntur. Postero autem die tantisper morati sunt, dum solem ex orientem cernerent, omnifarios odores in pontibus congerentes, ac myrto iter consternerent. Vbi sol exortus est ex aurea phiala Xerxes libans in mare apud solem vota concepit, ne quid sibi aduersi contingeret, & quæ sequuntur.

VALLVM) Castrorum munimenta, vnde rursus emissa agmina totos Mesopotamiæ campos inundauere.

MESOPOTAMIAE CAMPOS) Regio est in Asia duobus intercepta fluminibus Tigri & Eufrate, quæ ex monte Tauro diuersis tamen fontibus orta, in diuersa abeunt, &c. ingentia Mesopotamiâ (quæ inde nomen habet, quod inter duos fluuios sita sit, μέσθ enim Græcis est medius: ποταμὸς fluuius, media ergo inter fluuios) propè Babylonem rursus coeunt, ac in mare Persicum euoluuntur.

MAIOREM QVAM PRO NVMERO) maius spatium terrarum occupans, quam quantum numerusexigebat, vt plures viderentur quam erant. Obserua ( quod miror à Torfelino præteritum) particulam quam cum comparatiuo & præpositione pro. vt si dicas doctior quam pro ætate videri possit.

Copiarum Darij ad Ifsum numerus treceta vndecim millia ducenti. Equites vnum & sexaginta milia duceti. pedites ducenta quinquaginta millia. Copia Curtiana.

PERSARVM ERANT CENTVM MILLIA) sequitur syllabus nationum variarum quæ in exercitu Darij militarunt. Et obseruant hoc historici & poetæ bella descripturi, vt numerum & gentes & populos describant. Herodotus vnus omnium id diligentissimè persequutus est, vt Homærus, Virgilius, Statius, Lucanus, alij. Summam ex partibus collectam accipe; Peditum ducenta quinquaginta millia, equitum mille centum supra sexaginta millia. Arrianus tamen sexcenta millia vniuersè tribuit Dario, Iulianus quadringenta millia peditum & centum millia equitum, Diodorus quingenta millia generatim affirmat. nemo decies centena millia.

MEDI) Non prætereunda obseruatio descriptionis, ordinis ac seriei, quæ difficultatem parat narranti, nisi modum variandæ orationis teneat. Curtius id solenne habet, vt in descriptionibus non in eadem incidat. En hoc loco (quod vbique memineris) Persarum, inquit, erant: Medi habebant. Barcanorum equitum duo millia fuere. peditum decem millia sequebantur. Armenij XL. millia miserant: Hircani sex millia expleuerant. Derbices XL. millia armauerant. Hos duo millia equitum comitata sunt. A Cassio mari pedester exercitus venerat. Ignobiles alia gentes duplicem numerum parauerunt. Vides copiam scriptoribus imitandam, vt in opiam orationis declinent.

MEDI) antea Domini Persarum, à Cyro lubiecti Persis seruiuerunt seruis suis. à Medea dictam Mediam docet Strabo, nomen veltis à Medea excogitata, & regionis. Medus Medæ filius, Iasoni & Medæ successit in Media. Medi notissima gens, sacris & profanis literis celebrati.

Parcemia. Inficitia confidentiam parat.

BARCANORVM) verissimum est vetus verbum & μαθία μὲν δάροσ & λοιπὸν μὲν δὲ δίκον φέρει. Inficitia confidentiam, prudentia cunctationem parit, vel vt D. Hieronymus loquitur, Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat, vel vt Plinius Secundus, Recta ingenia debilitat verecundia, peruersa confirmat audacia. Reapse enim qui minus sapiunt, minus pudoris habent. Criticorum plerumque hoc est ingenium, vt cum lecta non intelligunt, vel ab auctoribus vt spuria proscribant, vel pro tuo cerebro non tam corrigant quam corrumpant. Modius inter hos, quamuis cætera doctus, cum ad hunc locum, & nomen Barcanorum venit, vide quam confidenter, ne dicam impudenter: Non Barcanorum, inquit, qui populi in rerum natura non sunt: aut si sunt, non magis buc faciunt quam Mori Vtropicani. Hic esse legendum, sed Paricanorum, qui sunt Mediæ populus. Itane populus hic Vtropicus & extra solis vias? consuluisse Stephanum περὶ πόλεων. Βαρκανῶν, inquit, ἐστὶ τὸς ἄρκτου ὄμιρον. Barcanij gens est Hircanis vicina. quibus regem dixit apud Ctesiam Cyrus Megabernem. Ex his doceas licet Modium, immò & Glareanum & Aldum, qui Baetrianos pro Barcanis reponunt, & gentes migrant, pro Baetrianis infra Arachosios accerunt. Paricanorum Plinius meminit. Polesis conijcere Baricanos eodem esse Barcanis, nisi ab Hircano mari admodum remoueantur à Plinio, quamquam & Derbices cum his ferè coniungat, certè Herodotus Paricanos in Xerxis exercitu collocat cum gentes enumerat.

Modij audacia.

ARMATI BIPENNIBVS) bipennis Nonius id dici ait quod ex vtraque parte sit acutum. Nam nonnulli gubernaculorum partes tenuiores ad hanc similitudinem pinnas vocant eleganter. Varro Marcipore: \* Delime bipennis, vt leuis passerulus; plura apponit exempla ibid. Est forma eadè cum Romana seu Amazonia securi, nisi quod hodie hastilia imitentur longitudine manubrij, & mucrone ultra securim procurrente. Horatius nostris eam Vindelicis velut ab Amazonibus originem ducentibus assignat.

Glareanus & Aldus correcti aut reiecti.

\*Delimat.

ARMATI BIPENNIBVS) bipennis Nonius id dici ait quod ex vtraque parte sit acutum. Nam nonnulli gubernaculorum partes tenuiores ad hanc similitudinem pinnas vocant eleganter. Varro Marcipore: \* Delime bipennis, vt leuis passerulus; plura apponit exempla ibid. Est forma eadè cum Romana seu Amazonia securi, nisi quod hodie hastilia imitentur longitudine manubrij, & mucrone ultra securim procurrente. Horatius nostris eam Vindelicis velut ab Amazonibus originem ducentibus assignat.

Lib. 4. Carm. od. 4.

Videre Rhati bella sub alpihus  
Drusum gerentem Vindelici: quibus  
Mos vnde deductus per omne  
Tempus Amazonia securi  
Dextras obarmet, querere distuli.

LEVIBVSQVE SCVTIS) Scutum cum cetra componit, sed cetras ait esse breues, vt discrimen à longitudine capiat, alioqui cetra etiam non rotunda, vt aliqui depingunt, etsi Varro, vt mox dicam, aliter sentiat.

Curtius emendatus.

MAXIME) ἐπιρρηματικῶς lege. vt habent codices emendatiore, & res ipsa docet. CETRIS) Cetra cetra, genus scuti rotundi. Varro περὶ φιλονεικίας. Quis rotundam facere cetram nesciat? Seruius ad Virgil. AEn.

AEn. 7. Cetra quid a Dec. 4. l. 1. bello Gal. Lib. 1. Elementorum. Pelta.

Leuis cetra tegit — Cetra, inquit, scutum loreum, quo Africi & Hispani vtuntur. Utuntur & Galli, & Pertæ, & Britanni. vnde cetrati, & cetrata cohortes. \* Liuius, b Cæsar, Virgilius, Silius, alij, cetras βομβοειδῆς putant, qualia fuere gerra, gerrum enim cetram exponunt apud Strabonem, βομβοειδῆς autem est, vt Euclides docet, τετραπλευρον ὃ οὔτε ἰσόπλευρον, οὔτε ὀρθογώνιον, ἔχει δὲ ἑπενωντῆαν πλευρὰς τε καὶ γωνίας ἰσας βομβοειδῆς, est quadrilaterum, quod neque æquilaterum, & nec rectangulum: habet autem opposita latera, & angulos inter se æquales, qualia sunt gerra seu gerræ Periarum, è cratibus contexta. Latini peltas & cetras pro eodè fere genere clypei viurpant. Liuius

Notè

Noſte cetratos, quos peltaſtas vocant, in inſidijs abdiderat. Ita vicifim Plutarchus cetratos latinis dicitur. Lib. 31.  
ctos, vertit Græcè πελταſτας. Pelta rurſum latinis parma. Fuit citra ſeu cetra ἀπὸ πῆλιος λυſτικῆς. ſcutum latronum.

ARMENII) Armenia per orbem nota & magna Aſiæ regio Tauro monte à Meſopotamia diuiſa. Magnum numerum miſerunt Armeni, quòd latè pateat Armenia & populofa ſit.

HIRCANI EGREGII) ad mare Hircanum, quod ab illis nomen habet, & oſtia Oxi fluminis colunt, valent equitatu, & in tigrum catulis rapiendis ſe exercent, proinde equitem miſere tantum. Egregij autem (ſic cum alijs gentibus barbaris illic degentibus componas) quia expediti curſu & plurimum celeritate valent. Non adferam plura quæ apud Geographos reperies. Quis enim antiquorum non laudat & Hircanum mare, & populum Hircanum, & urbem Hircanam.

DERBICES) Hic locus aliter ab alijs atque alijs legitur. Exemplaria pleraque, præter Modianum, omnia habent: *Idem vicies quadraginta millia peditum armauerant.* Modius loco *idem vicies*, collocat *Derbices quadraginta millia armauerant*, & hoc ex MS. aliquibus, cui ſubſcribere ipſa me docet ratio. Nam verba *Idem vicies* habent quandam ſimilitudinem cum voce *Derbices*; & populi ſunt in Aſia ad Oxum flumen, qua in mare Hircanum exoneratur, de quibus Cteſias Cnidius cum qui de Cyro tractat: quem videbis. Derbices

DERBICES QUADRAGINTA MILLIA) vulgo vicies quadraginta millia, ſed quis ita loquitur, niſi Abderita. Si Curtius eſſet narratio, dixiſſet octingenta millia, tot enim conficiunt vicies Curtius correctus.  
quadraginta millia. Vniuerſus Darij exercitus fuiſſet decies centenum ſeptuaginta vnus millium, quod orationi Curtianæ minimè conuenit, cum dicit: copias Darij maiorem quam pro numero ſpeciem præbuiſſe, quaſi numerus non fuerit magnus, & fuit reuera paruus ex cenſu Curtij & aliorum omnium, qui numerum expreſſerunt, vt ſupra docuimus.

Exertè vero oſtendunt quæ ſequentur, locum fuiſſe affectum & Machaone indigere, cum ſubijcit Curtius. Hos quoque duo millia equitum ex eadè gente comitata ſunt, cum ſupra equitum Hircanorum numerat ſex millia. *Derbices* ergo legendum, pro *Idem vicies*, & omnia ſalua ſunt. De Derbicum immaniſſimorum moribus, crudelitate in fontes, Strabo lib. II. Alex. Neapol. lib. 3. c. 5.

A CASPIO MARI) Caſpium mare idem quod & Hircanum, nec idem tamen quod Ponticum, contra tabulam Ortelij, qui idem facit cum Pontico ex Curtio, cum Curtius diſertè Ponticum opponat Cilicio, cum Gordium urbem ait medio interuallo diſtare à Pontico & Cilicio mari. Caſpium ſingulare eſt & remotum à Pontico ſiue Sinopeo. A Caſpio mari incipit ſecunda Aſiæ pars. In medio ſpacio maris Caſpij, & ſinus Perſici, ſitæ ſunt Media, Parthia, Perſis, & ſecundum Mediam & Parthiam propè ipſum mare Caſpium Hircani, Derbices, Medi atque aliæ gentes, quas Strabo, Plinius & alij nominatim deſcribunt. Perſis ad ſinum Perſicum ſpectat. Herodotus mare Caſpium non ex alio natum affirmat, ſed ex ſe exiſtere, & velut inſulam vndique terra ambi, \* alij ex Scythico Oceano erumpere tradunt. Cum Herodoto facit \* Ptolomæus, qui ſeptima Aſiæ tabula oculis Caſpium mare planiſſimè ſpectandum ſubijcit. De hoc nos ſuo loco plura. Ortelij tabula de expeditione Alexandri M. parè iuſta, vt infra etiam diſces. \* Mela, Plinius, Strabo, Dionyſ. Afer Macrobius, Marcius, \* 7. Tabula Aſiæ.

DUCENTI EQVITES) rectè interpungit meo animo hunc locum Modius: A Caſpio mari octo millium pedeſter exercitus venerat: ducenti equites cum his erant. Ignobiles &c.

IGNOBILES ASIAE GENTES) Quamuis pleraque edita volumina hanc ſcripturam præferant, veteres tamen codices (ſi Modio creditur, nam mei omnes *Aſia* legunt, non *alia*) *alia* pro *Aſia* habent, & verè meo iudicio, cum omnes quas hæcenus indigitauit Curtius fuerint Aſiæ gentes, & tacilis eſt vnus in alterum literæ migratio.

XXX. M. MERCEDE CONDVCTA) quos Græci ξένους & μισθοφόρους appellat. Ergo Perſæ & reliquæ Aſiæ gentes regibus Perſarum ſubiectæ nulla mercede aut ſtipendio militabant? Ita ſanè Herodoti æuo. οὐ γὰρ δὴ μισθοφόρους χρῶνται στρατιώταις οἱ βάρβαροι ὡς περ Ῥωμαῖοι εἰσι. Neque enim militæ ſtipendiario ſeu mercede conducto vtuntur barbari, quemadmodum Romani. Ergo primis temporibus carebant omninò peregrino & conducto Perſæ. Vnde ergo viuebant? ex præda: ſic enim apud Herodotum ſequitur. οὐδὲ στρατόπεδα εἰχουσι ἀνεσώτα & μένοντα πολέμου τέχνους ἐγγεγραμμένα, ἀλλὰ πάντα τὸ πλῆθος τὸ ἀνδρῶν ἐὼς ὅπῃ & ἅλις γυναικῶν κελύσῃ ἐπὶ ἀν βασιλευσὶ ἀθροίζετα. Διαλυθέντι δὲ πολέμου ἕκαστος εἰς τὰ ἑαυτοῦ ἐπιανέρεται τοῦτο δὲ ἀποκερδήσας ὅσα ἀν δὲ ἀρπαγῆς αὐτῶ περιγίνετα. Neque caſtrorum Itatua habent & manentia artibus militariſ exercitati, ſed omnes copiarum tum virorum tum foeminarum, etiã ſi quando rex præceperit, coguntur bello poſtò confecto; ſinguli vnde venerant reuertuntur, tantum rei ſecum conferentes, quantum ex ſpolijs hoſtium adipiſci potuerunt.

Marcellinus idem docet, etſi non pari modo. *Pedites*, inquit, *in ſpeciem Mirmillonum conſecti, inſtā faciunt, vt calones. Sequitur q̄, ſemper hæc turba, tanquam perenni addicta ſeruitio, nec ſtipendijs aliquando ſulta, nec donis.* Vnde ergo, inquires, vixerunt? Rex aluit exercitum, ſed abſque ſtipendijs, victum præbuit & amiſtum. Lib. 23.

BACTRIANOS) Bactrianæ regio mille urbibus incluta, de qua infra. Lib. 4. c. 15. l. 3. c. 7.

SOGDIANOS) iam ſupra Bactrios ſitos tabulæ Ptolomæi & aliorum oſtendunt.

INDOS) ad mare rubrum ſeu Indicum colentes, Drangiani, Gadroſij, Arabes & alij, de quibus infra, cum ad eas cum Alexandro penetrabimus. Marcianus Heracleotes geographus, rubri maris incolas

colas numerat Troglodytas, Aulitas, Mossalos, Accolas alij, Elymaos & Arabes qui ad sinam Perficum colunt.

IGNOTA ETIAM IPSI) Dario, tam potens erat, vt regionum & populorum suorum etiam nomina ignoraret, & hinc multo magis, vt Seneca ait, opes suas & censum.

## C A P V T V.

## A R G V M E N T V M.

Charidemus Atheniensis rogatus à Dario, quomodo placeret exercitus Persarum; respondit, compositis vtriusq; regis copijs, plures esse Persarum, firmiores Macedonum: pares paribus opponendas, quam ob dicendi libertatem interficitur, cuius cædis mox pœnitet Darium.



**N**ec quicquam illi minus quam multitudo militum defuit: cuius tum vniuersa aspectu admodum latus, purpuratis solita vanitate spem eius instantibus, conuersus ad Charidemum Atheniensem belliperitum, & ob exilium infestum Alexandro (quippe Athenis iubente eo fuerat expulsus) percontari cepit, satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem. At ille & sua sortis, & regia superbia oblitus, Verum, inquit, & tu forsitan audire nolis, & ego, nisi nunc dixerò, alias nequicquam confitebor. Hic tanti apparatus exercitus, hac tot gentium & totius orientis excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis: nitet purpura auroq; fulget armis & opulentia, quantam qui oculis non subiecere, animis concipere non possunt. Sed Macedonum acies torna sanè & inculta, clypeis, hastisque immobiles cuneos, & conferta robora virorum teget. ipsi phalangem vocant peditum stabile agmen. vir viro, armis arma conferta sunt: ad nutum momentis intenti, sequi signa, ordines seruare didicere: quod imperatur, omnes exaudiunt: obistere, circuire, discurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis quam milites callent. ac ne auri argentiq; studio teneri putes, adhuc illa disciplina paupertate magistra stetit. Fatigatis humus cubile est: cibus, quem occupant, satiat. tempora somni arctiora quam noctis sunt. Iam Thessali equites, & Acarnanes, Aetoliq; inuicta bello manus, fundis, credo, & hastis igne duratis repellentur: pari robore opus est: in illa terra, qua hos genuit, auxilia quaerenda sunt, argentum istud, atque aurum ad conducendum militem mitte. Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi etiam naturam plerumq; fortuna corrumpere. Itaque veritatis impattens, hospitem, ac supplicem, tunc cum maxime utilia suadentem, abstrahi iussit ad capitale supplicium. Ille ne tum quidem libertatis oblitus, Habeo, inquit, paratum mortis meae ultorem. expetet pœnas mei consilij spretis ipse, contra quæ tibi suasi. Tu quidem licentia regni subito mutatus documentum eris posteris, homines cum se permisere fortuna, etiam naturam dediscere. Hac vociferantem quibus imperatum erat, iugulant. Sera deinde pœnitentia subiit regem, ac vera dixisse confessus sepeliri eum iussit.

AEmilius  
Probus.

NEC QUICQVAM ILLI MINVS) acutè: sola multitudine & numero superior, sed defuit tantæ multitudini dux, defuit regi prudentia, defuit fortuna & scientia rei militaris, defuere denique omnia præter inconditas gentes, quibus solis triumphabat, ac sibi Satraparum suffragio inuictus & beatus videbatur.

AD CHARIDEMVM) Idem fecit Xerxes, & Antiochus, vt infra docebo.

CHARIDEMVM) De hoc Charidemo Atheniensium Oratore & præstantissimo duce, quem timuisse videri poterat Alexander, cognosces plura apud Arrianum, qui hunc ipsum iussu Alexandri pulsum ait in exilium, quamuis ordines apud Philippum duxisset, & manu atque consilio linguaque promptissimus esset. Verba Arriani sunt ὁ δὲ (Ἀλέξανδρος) τὰ μὲν ἄλλα &c, quæ sic Vulcanius red-  
dit:

ait: Alexander quoad cetera humaniter ad eorum (Atheniensium) legationem respondens, epistolam ad populum Atheniensem scripsit, qua Demosthenem, Lycurgum, Hyperidem, Polyuctum, Charetem, Charidemum, Epibialtem, Diotimum, & Maroclem sibi dari postulabat. Hos enim auctores cladis Charonenfis esse esse statuebat, omniumque facinorum qua deinceps aduersus se pariter & Philippum tentata fuissent. Addit his Arrianus etiam Thebanos ab Atheniensibus ad defectionem fuisse sollicitatos. Athenienses missa rursus legatione petiuerunt vt ignosceret ijs, quos sibi ad supplicium dedi postularat. Ignouit Alexander, solum Charidemum voluit eximium esse, quem iussit exulare, qui mox ad Darium se contulit.

Oratores Atheniensium praestantissimi,

PRVPVRATIS) Satrapis, sic enim qui Romanis prouinciarum praesides, praetores, proconsules, legati, Sarmatis Palatini, Turcis Bassae, nobis Prouinciales, regni & Imperij proceres, Duces, principes appellantur.

SOLITA VANITATE SPEM INFLANTIBVS) aulico nepe ture litantibus Darío. Hic morbus plerisque regum cum regnis perdidit, cum sibi lethale mulsum ab adulatoribus propinatum auidi hauriunt. Cogitarent potius Euripideum illud — ὀλίγον ἀλκιμον δόρυ

κρείσσον στρατηγῶδ' μύρις στρατεύματ' & telum paruum & firmum sternit ducem innumerabilis exercitus.

CHARIDEMVM BELLI PERITVM) Diodorus Siculus hoc elogio Charidemum nobilitauit, Charidemus Atheniensis, virtute & artibus Imperatorij praestantissimus, qui sub Philippo rege meruerat, & omnibus in rebus obeundis princeps & consilio optimus erat.

SATISNE VIDERETVR EI INSTRUCTVS) Eod. ferè modo Demaratū Lacedaemoniū, imò Demaratus exregem Lacedaemoniorū (de quo Iustinus) Xerxes lustrato ad Doriscū exercitu appellauit. Sic enim Herodotus: Vbi autē & classē lustrauit, egressus nauī accersit Damaratū Aristonē natū comitē huius aduersus Graciā expeditionis, eiq; accersito Demarate, inquit, iuuat nunc me, quā cupio, abs te interrogare, qui & Gracus es, & non ex minima ciuitate, vt audio tā ex te quā ex alijs Gracis, qui me alloquendi gratia aduēnt. Nunc mihi igitur hoc expone. Nunquid Graci sustinebunt manus contra me leuare, nam vt ego opinor, ne omnes quidem Graci ac ceteri mortales, qui ad Hesperum incolunt, si coirent, pares essent nostris armis, nec me inuadentem expectarent.

Audin' vt hic barbarus celum territet armis, & τὸν οὐρανὸν ἐξαρῶσεν ἐπιχειρή, sine incolumis redeat hic Persicus apparatus.

Huic affinis est inanis Antiochi regis Syriae saltus, qui exercitū in Romanos paratū atq; auro argentoque fulgentem Hannibali ostēdit, percontatus an satis instructus videretur, cui Hannibal Punice pro ingenio: Satis, inquit, ὁ Rex, quāuis hostes auarissimi sint.

AT ILLE SORTIS, ET REGVM SVPERBIAE OBLITVS) Oblitus extorrem se exulare & feruum esse eius, cuius gratia viuit, libertate priuatum vt qui ne loqui possit, vel videat quae velit, reges autem omnium reprehensionum insolentes & impatientes sunt, sed audiamus super hac re Tragicum in Phanisfis.

Plutar. in Scip. & Hannib. compositione. Et Agellij l. 5. c. 5. eleganter. vide si placet.

Ioc. Τὶ τὸ σέρεσθαι πατρίδ' ἢ κακὸν μέγας; Quid? proscribi à patrio solo, estne magnum infortunium?

Polyn. Μέγιστον, ἔργω δὲ ἐστὶ μέγρον ἢ λόγῳ. Maximum. & maius quam possit verbis explicarier.

Ioc. Τίς ὁ Σόωσ' αὐτῆ; τί φοβᾶσσι τὸ δυσχερές; Quamobrem? quid est quod exuli sit molestum?

Polyn. Ἐν μὲν μέγιστον, ὅσα ἔχει παρρησία. Vnum Hercle maximum, quod mutire libere non audeat.

Ioc. Δόλω τὸ δὲ εἰπῶς, μὴ λέγειν, ἄλλ' εὖ φρονεῖ. Hoc serui dixi, cui fas non sit dicere quae sentiat.

Polyn. Τὰς τῶν κρατῶντων ἀμαθίας φέρειν χρεῶν Dominorum stultitias ferre cogitur

Ioc. Καὶ τῆτο λυπρὸν, σιωπᾶσθαι τοῖς μὴ σοφοῖς. Et hoc sublestum est, vt insanorum insanias insaniam.

Hæc & his plura Euripides, quibus accinit Sophoclis à Pompeio ad Ptolemæum fugiente

Ὅστις ἢ πρὸς τύραννον ἐμπαροῦσεται  
Κεῖνός ἐστι δὲ ἄλλ' ἢ κἄν ἐλευθερῶ μολᾷ.  
Etenim tyranni quisquis intrat in domum,  
Fit seruus eius etsi liber venerit.

Enimvero Omne solum forti patria est vt piscibus aquor. Charidemus non immemor fortunæ suæ, sed memor se in libera Thesei vrbe natum, maluit vitam quam libertatem perdere.

Quid. Salustij orationes parū oratoriae.

VERVM, INQVIT, ET TV FORSITAN AVDBIRE NOLIS) Hæc prima oratio est Q. Curtij, de qua, vt alijs omnibus, quæ sequuntur, ita sentio, vt existimem nullum esse Curtio parem, aut certè neminem illo superiorem. Salustij orationes leguntur in honorè historię, vt Quintilian. censet, quasi nobiles.

per

Curtiana  
neruosa.

per se indigna sint quæ cognoscantur. Liuius vnus est qui orationis maiestate Curtium post se relinquit; acumine ingenij & sententiarum neruis Curtius illi vel par est, vel etiam superior.

Demarati  
oratio.

VERVM AVDIRE NOLIS ) Cautior fuit Demaratus apud Herodotum, qui iussus dicere sententiam de copijs Xerxis præfari cœpit: *Vtra, inquit, apud rexem vtrar, verane an incunda oratione?* tum rege vera dicere iubente, & nihilominus priore loco apud se futurum affirmante securius dixit quæ sensit, etsi eadem ferè ille de Lacedæmonijs, quæ Charidemus de Macedonibus & Græcis prædicaret. Itaque diuersus vtrumque exitus est secutus, Charidemo veritas odium & mortem attulit, Demarato non obfuit. Vtrumque tamen constantiæ laus & odium adulationis posteritati reddidit immortalem.

Lib. 5.  
Agathonis  
nobilis scē-  
tentia.

VERVM AVDIRE ) Eleganter apud Athenæum Agatho.

Εἰ μὲν φράσω τ' ἀληθῆς, οὐχὶ σεῦ φραυῶ.

Εἰ δ' εὐφραυῶ τις, οὐχὶ τ' ἀληθῆς φράσω.

*Si vera dicam, tibi voluptati haud ero,*

*Si sim voluptati, haud tibi vera dixerō.*

NISI NVNC DIXERO ) sero monebo, *sera enim post bellum auxilia*, tu verò nisi monentem audieris, opes & copias cum Asia & vita amittes.

ALIAS ) postea, alio tempore, rebus perditis, frustra consilium ponam, serò mortuis medebor, premenda est occasio, quæ pone calua est. Alias, *alio tempore* valet Terentio & D. Augustino in psil. barbarè si pro *alioqui* vsurpes, etsi incertum mihi. infra de hoc plura.

HIC TANTI APPARATVS EXERCITVS ) componit phalangem Macedonicam cum Asiaticis copijs, & illam his multis partibus anteponit.

HIC TANTI ) Hæc innumerabilis & incondita barbararum gentium multitudo, ab vltimis Orientis oris euocata & coacta, rudis & indigesta in exercitum; ad bellum turba terrere possit imperitos rei militaris, finitimosque & barbaros Asianos percellere, Græcos & Macedonas nec quicquam mouebit.

NITET PURPURA ) Luxum barbaricum infra Curtius ipse oculis subiiciet. Hic interpungo, *Iam supra vt me docet sanè peruetus codex è cœnobio S. Vdalrici: Nitet purpura auroq; fulget armis & opulentia.* quemadmodum & Modio lectum.

TOTIVS ORIENTIS ) ὑπερβολικῶς, nam supra dixerat Bactrianos, Sogdianos & Indos, rubrique maris accolæ non fuisse ad militiam citatos.

ANIMIS CONCIPERE NON POSSVNT ) Splendorem exercitus Persici tantum, tantumque apparatus fuisse, nemo nisi oculatus testis & qui oculis obierit suis sibi poterit persuadere. Ergo Darij copiarum laudantur, aut vituperantur potius, tantum à numero, qui vilis est esse innumerus; & cultu corporis & equorum. Macedonum verò phalanxà corporum robore & horrido cultu, ab armis, vsu, & scientia rei militaris, cum dicit tot esse duces quot milites, propter rerum bellicarum peritiam. Laudat eandem à contemptu opum, vita dura & aspera, & sigillatim effert Thessalos, Acarnones & Aetolos vt rei equestris experientissimos. Irridet contra fundibularios Darij & iudibus instructos barbaros. Docet ad vltimum quid sentiat agendum, auro nempe & argento in ornamento & equorum & curruum & procerum impenso, conducendum peregrinum militem ex Græcia, qui Macedonum Phalangi obiectus pari robore possit oblitere.

CLYPEIS ) Clypeus, scutum, cetra, parma, peltæ, si propriè & distinctè loquere, diuersa inter se sunt, poetis tamen & scriptoribus nonnunquam confusa. Clypeus rotundus, scuta oblonga. Liuius: *scuta pro clypeis fecere. Virgil. clypeiq; sub orbe teguntur.*

Lib. 8.

*Argolici clypei, aut phæbeæ lampadis instar.*

Lib. 12.

Am. Marcell. *Iugum tereti ambitur Argolici clypei specie.* Homerus *εὐκύκλις ἀσπίδας* vocat rotundos clypeos. Scuta Græci *θυσσοῦς* nominant. Clypei erant magni, vt & scuta, tegebantque ferè totum corpus. Quid. de Vlysse sub Aiacy clypeo latente

Lib. 24.

— — — *adsum videoq; trementem*

13. Metam.

*Pallentemq; metu, & trepidantem morte futura*

*Opposui molem clypei, texiq; iacentem.*

Et mox:

*Post clypeum latè & mecum contende sub illo.*

Cetræ, parmae, peltæ minores, ea gratia Curtius clypeos Macedonicos contendit cum breuibuscetris Perfarum. Cetræ quadrilateres ferè seu *ρομβοειδῆς*, clypei rotundi, vt & parmae & peltæ.

Cap. 12.

Clypeus  
Macedoni-  
cus.

HASTISQVE ) His armis inltuit phalangem Aelianus, ἡδὲ ὀπλισίς ἐστὶ τῆς φάλαγγος ἀσπίτι καὶ δόρασι &c. *Armatura phalangis constat clypeis & hastis. Clypeus optimus censetur Macedonicus ex ære, non admodum cauus, diametrum habens octo palmarum, hasta non breuior octo cubitis &c.* Hic Sarissas pro hastis accipit, quibus phalangitæ vsi; hastis equites Macedonici; sarissis stataria phalanx. hasta contus est cum ferro, contus sine ferro, vnde contati, hastati.

IMMOBILES CVNEOS ET CONFERTA ROBORA VIRORVM TEGIT. IPSI PHALANGEM VOCANT PED. STABILE AGMEN. ) Collige sententiam: Macedonum acies, quam



quam phalangem nominat, torua & formidabilis, teget clypeis & hastis robustissimos viros in phalange confertim firmiterque constantes, quia loco & gradu moueri non possunt. Hæc mens Curtio certissima, quam explano & phalangem explico.

Aelianus, Polybius & Liuius nobis phalangem Macedonicam oculis subiicient, Vegetius attingit, nec metam contingit, dum phalanga octo millibus circumscribit.

Liuius de phalange Macedonica: *Arma clypeus sarissæq; illis. Statarius vterq; miles illa phalanx immobilis & vnius generis. Idem: Decem & sex millia peditum more Macedonum armati fuisse, qui phalange appellabantur. hæc media acies fuit in fronte in decem partes diuisa. partes eas interpositis binis elephantis distinguebat: à fronte introrsus in duos & triginta ordines armorum acies patebat. infra ex Appiano eundem ordinem cognosces. nisi quod Appianus omittat trecentos octoginta, et si locus ibi videatur esse corruptus.*

Polybius l. 17. eandem prolixè per partes explicat, ex quo Aelianus non pauca delibauit, & distinctè enarrauit. Cuius verba trãslata tamen è Græco, ne lector quotidianus horreat peregrinam linguam, principium duntaxat Græcè indigitabo, vt possit locus à studioso Græcarum literarum statim cognosci. *Ὁθεν οἱ πλείους τῶν τακτικῶν συγγραφέων, μωρίων ἐξασιχιλίων, Σιακοσίαν ὀγδοήκοντα τεσσαράων τῶν τῶν ὀπλιτῶν φάλαγγα ἐποίησαν &c. Quare maior pars eorum qui de ratione instituendi aciem scripsere, è numero XVI. M. CCCLXXXIV. grauis armatura militum phalangem composuerunt, quibus accedit dimidia pars velitum, ac dimidia rursum equitum (qui tamen in censum sedecim millium trecentorum octoginta quatuor non veniunt.) Partitur deinde Aelianus phalangem in suos ordines & iuga. Minima phalangis pars est series seu ordo, qui ex XVI. millibus constat, ex Græcis ἀλόχῃ & dicitur. Duos ordines XXVII. aut β διλοχίαν nominant, & prefectum διλοχίτω. Quatuor ordines efficiunt ε τετραρχίαν, quorum dux est τετραρχης, ex geminis tetrarchijs conflatur δ τάξις, cuius ductor est Taxiarchus.*

Dua taxes componunt ε syntagma sine Xenagiam, cuius tribunus appellatur Xenagus & Syntagmarcha. Syntagma efficit aciem quadratam tetragonon perfectum. Duo syntagmata continent milites quingentos duodecim. quorum imperator audit ε Pentacosiarcha. ex quibus prodeunt ordines XXXII. διπλασιαστος horum numerus constituit chiliarchiam, cui præest ε Chiliarcha, & continet mille viginti quatuor, Chiliarchia dua explet vnam η merarchiam, quam regit Merarcha, qui idem est Telarcha, vt & ι Telarchia. Ex duabus Telarchijs existit κ phalangarchia, quæ duplum numerum implet, quæ paret Phalangarchia siue Stratego, vt & ipsa dicitur λ strategia. Ex duabus phalangarchijs nascitur μ diphalangia, quæ rursum tanto amplius continet. horum Princeps dicitur Diphalangarcha. Idem agmen nunc pars, nunc cornu appellatur. Dua Diphalangia tandem complent phalangem Macedonicam, η quæ constat decies sexies millibus trecentis octoginta quatuor. Extra ordinem numerantur signifer, tergiductor, tu bicen, mimster, præco. Ex quibus colligis in iusta phalange Macedonica esse cornua duo, Phalangarchias quatuor, Merarchias octo, Chiliarchias sedecim, Pentecosiarchias XX XII. Xenagias LXIV. Taxiarchias CXXVIII. Tetrarchias ducentas LVI. Dilochias D.XII. Ordines seu series mille viginti quatuor. Cornu dextrum est fortissimum & principem habet honorem, προκίον est sinistrum, deinde media acies tertia & quarta.

ο Viri mita consistunt in acie, vt miles occupet cubitos quatuor, siue sex pedes. densatus cubitos duos, seu tres pedes. hære clypeis militum, vnum, siue sesquipedem. Hæc omnia mirificam Curtio adferunt lucem. Adde ordinum (quos series siue λόχῃς dicunt) ductores in fronte pro more phalangis collocatos, occupare quater mille nonaginta sex cubita. hoc est, stadia decem, & nonaginta sex cubita. quadringenta cubita stadium vnum efficiunt. Octo stadia quartam partem milliari Germanici, nam XXXII. stadia implent nostras milliarium. Si densentur, dimidiam longitudinem explebunt hoc est, quinque stadia, cubita quadraginta octo. Si clypeatim hæreant, sesqui tertium stadium, cubita viginti quatuor.

Hæc ergo est phalanx Macedonica; redeamus nunc ad Curtium, & quæramus cur phalangem appellet immobiles cuneos, vt & Liuius immo bilem phalangem & stabile agmen, cum paulo post subiungat omnes esse ad nutum monentis intentos, & sequi signa, circuire, discurrere in cornu, mutare pugnam: Hic enim pugnare in se videtur Curtius. Immotos ergo Cuneos, siue immobilem phalangem appellat cum densantur, ita vt non possis vir in acie se conuertere, nisi tota acies & phalax simul moueatur, cum singuli non nisi duos aut etiam vnicum cubitum soli, præsertim si clypeis iungantur, occupent, & hos vocat immotos cuneos, seu stabile agmen, densatum nepe, quod ipse mox explicat cum addit: & conferta robora virorum, vir viro, arma armis conferta sunt. Hæc est illa inuicta & torua acies, quam & Polybius, & ante Polybium Homerus omnium primus descripsit.

Ἀσπίς ἀρ' ἀσπίδ' ἔπειθε, κόρυς κόρυϊ, ἀνέρα δ' ἀνῆρ.  
 Ψαῦον δ' ἰππόκομοι κόρυθες λαμπροῖσι φάλοισι  
 Νεούταρ' ὡς πικνοῖ ἐφέτασαν ἀλλήλοισι.  
 Scutum scuto hastis, galea galeis, atque viro vir:  
 Et Cristæ è conis tangebant se inuicem equineæ  
 Nutantum: serie vt densa pressere virum vir.

Vegetiana phalanx dimidia. Lib. 9. Phalangis Macedonicæ numerus & descriptio. Lib. 37. Xiphilinus in Caracolla qui se Augustum Orientalem appellabat, Macedonicam phalangem his armis ornat περιδεδεῖται Ἀλέξανδρου &c. Series ordo. α xvi. λόχῃς β xxxii. διλοχία. ε lxxiv. τετραρχία. δ cxxviii. τάξις. ε cclv. σύνταγμα. ζεναγία. η dxii. Pentacosiarchia. θ mxxxi. chiliarchia. ι mxxliix. Merarchia. κ Phalangarchia. λ strategia. μ diphalangia. viii. m.c. xcii. η cccio. ια. eio. eecclxxxi. Phalanx macedonicæ. ο Quantum singuli in phalange spacij occupent. π Immobiles phalanx cur dicta. Iliad. 14.

Phalāgis in  
uictū roburSarriffa 16-  
ga pedes  
24 reis spies.  
postea. 21.Romani  
quomodo  
vicerint  
phalangem  
Macedoni-  
cam.Lucij con-  
sulis dictū  
de Macedo-  
nica phalā-  
ge.Signa mili-  
taria  
φωνικά ἢ  
δρατά.Præcepta  
ducum  
in acie.

φωνικά.

Ciuis vite,  
peregrinus  
fuisse ma-  
statur.  
Luius 2.  
Diod. 12.  
Epitom.  
Luij c. 8.  
Vegetius  
l. i. c. 26.  
Polyb. &  
Lipsius de  
mil. Rom.

Polybius verò magnificè de ead. phalange conferta ὄρι μὲν ἐχέσσης &c. Enimuerò, inquit, *perspicuum est multis rationibus retinente phalange suam integritatem & vires nihil quicquam posse reperiri, quod à fronte ei possit resistere, aut eius incumbentis impetum sustinere valeat. Quoties densatio fit aciei ad certamen, consistit vir vna cum armis in trium pedum spatio. Sarriffa verò longitudo, vt quidem vetus institutum erat, cubitorum est sedecim (nempe viginti quatuor pedum) sed vt postea ad veram pugnam fuit aptata, quatuordecim. Huius porrò mensuræ quatuor absumit cubitos spacium inter manus ambas, vna cum libramento postica partis, vltra illud quod prædeditur. Quæ cum ita sint, liquet sarriffam cuiusq; armati, quādo ambabus manibus in hostes illam porrigit, cubitos decem vltra eius corpus necessariò protendi. Vnde fit, vt secundi & tertij ac quarti ordinis, siue iugi, sarriffa plures cubitos, quinti verò duas tantum protendantur ante præcedentium ordines, si modò phalanx suo numero & integritate constet, & conuenienter sibi densata sit, ratione cuiusque armati siue pone, siue ad latus stantis. Hæc Polybius; qui deinde ostendit ante singulas quinque sarriffas à fronte fuisse protensas; quod verissimum esse iam ex priore sarriffarum descriptione, & densatione primi iugi atque sequentium constat. Docet præterea quid posteriores*

\*XXVII.

*ordines & versus, seu iuga, præfuerint phalangi, cum hoste non attingerent, quomodo protensione sarriffarum tela ab hostibus immissa defenderint, quomodo connixu corporis aciem iuuerint, & ne primi vlla ratione fugere possent, effecerint. Concludit demum nullam aciem tam firmam esse posse, quæ impressionem phalangis à fronte sustinere queat. Quomodo ergo, inquis, à Romanis victi fuere Macedones, cum regnum Macedonum victo Perseo in prouinciam redegerunt? Quia tempora, & loca belli, & præliorum sunt incerta, phalangis autem ratio, & tēpus, & locus, & modus vnus est, quo suam exercere vim possit. Nam si phalanx, vt de tempore taceam, loco & spacio & campo careat, inutilis est. Romani autem se periculo non committebant, vt cum phalange iustè infructu & opportune collocata manus fererent, sed pro suo, non hostium commodo & loco & tempore decertant. Præterea legiones Romanorum ita erant compositæ, vt quouis loco, tempore, occasione in pugnam possent descendere, hostem circumuenire, viritum pugnare, aliaque commoda sibi plurima parabant, quibus hostem superarent. Disputat & Liuius hac de re copiosè, cum Macedonica arma cum Romanis, & Alexandrum ipsum cum ducibus componit, de quibus alio loco dicemus. Constat ergo phalangem Macedonicam, locum & spacium idoneum nactam, planè formidabilem fuisse, ita vt L. A. Emilius Paulus Consul & victor Persei attonitus primum spectauerit agmen Macedonicum, quemadmodum ex Polybij fragmentis disco, quod huc appono & interpretor. Λεύκιος δὲ ὁ ὑπατὶς οὐχ ἑσρακὴς φάλαγγα τὸ παράπαν, ἀλλὰ τότε πρῶτον ἐπὶ τοῦ Περσέως ἀνθρωπολογεῖτο πρὸς τινὰς τῶν ἐν τῇ Ρώμῃ μὴδὲν ἑσρακέναι φοβερώτερον μακεδόνων, φάλαγγος ἢ τοιγέ πολλοῦς οὐ μόνον τεθεαμένους, ἀλλὰ καὶ χειρισάμενους ἀγῶνας, εἰ καὶ τις ἄλλος: Lucius Consul nunquam ante visa nisi sub Perseo demum, demum Macedonica phalange, sæpenumerò Romæ apud suos fatebatur, nihil se vnquam quicquam formidabilius spectasse Macedonum phalange, quamuis & multas acies viderit, & multis ipse prælijs decertauit. Vtebantur phalange Macedones, Græci, Dardani, Galli, Germani, qui & hodie phalangitas in aciem producunt.*

AD NVTVM MONENTIS INTENTI) signa quibus miles in acie iubetur se mouere, sunt vel φωνικά, vel δρατά, hoc est, sonantia quæ audiri possunt, vel muta quæ possunt videri. Adeo exercitatos fuisse Curtius docet Macedones, vt nutum etiam suorum ducum intelligerent, & ad illum pro vsu rei se conuerterent. Vt autem vocalia præcepta ductorum caperent, indicebant silentium, quod ab Homero quoque expressum est Iliad. 2. 3. 4. quem tute consules. Ηγερμένοι δὲ μάστιγα. Et τῶν δ' ὄψις τ' ὀρνίθων. Et ἀπὸρ ἐπέε, &c.

Præcepta erant breuia, præsertim in conflictu, qualia expressit Aelianus: *Concurre ad arma, Ne deponas arma. Lixa & Calones secedant vnà cum impedimentis. Animum aduertat quisque ad ea, quæ imperantur. Suscipe, Recipe, Recede, Erige sursum hastam, Ordinem serua seriei, In iugo persiste, Respice ducem. suam seriei quisque seriei ductor regat, Interualla omnes seruant, Hastam versus declina, Accede, sic tete habe, In reitum te restitue, In Clypeum declina, Accede, consistite, Hastam versus mutate ipsam. Latitudinem duplica, Restituere, Redi in primum statum, Laconicam euolue, Restituere, Choricam euolue, Restituere. Hastam versus te conuerte, Restituere: Ad hastam reflecte, Restituere.*

Vocalia sunt etiam classica, tubæ, cornua; muta sunt vexilla, alites, vestes à contis suspensæ, ducū nutus, qui manibus fiunt, & hoc genus alia.

ORDINES SERVARE) grauisima enim pœna ordinum desertores manebat, si quis stationem in præsidio, vel locum in acie deseruisset, aut profugisset. Eademque ratio apud Romanos seruabatur & hodie seruatur.

OMNES EXAUDIUNT) adeo taciti expectant Imperatoris sui præcepta. Interim Charidemus vult Darium docere in tanta multitudine id nullo modo fieri posse. Macedones autem statim arripere imperata & exequi, siue iubeat obistere, siue circuire, siue in cornu discurrere, siue pugnam mutare.

OBSISTERE) omni ope obniti, & densata clypeis phalange simul in hostem velut vna mole incumbere.

CIRCUIRE) possis intelligere ἐπιστροφάς apud Græcos triplices, vel potius sexuplas, trigeminas enim cernis apud Aelianum ἐξ ἀρχῆς ἐπ' ἀσπίδα, à primo statu ordinis ad clypeum, hoc est κλίσις, seu declinatio conuersione à primo habitu ad sinistram circuitio, Et totidem circuitio obuertebant se ἐξ ἀρχῆς εἰς δόρυ, hoc est, ad hastam seu dextram partem. Possis tamen illud *circuire* accipere pro circumuenire tota phalange hostem, vt infra à Curtio vsurpatur. Cæterum conuersiones sunt duplices seu ad dextram, seu sinistram, cum vel viritim tantum vertuntur, vel toti simul ordines & agmina.

Conuersiones in acie variæ.  
Circuitio-nes.

DISCURRERE IN CORNUA) Cornua erant duo, dextrum, quod & princeps, sinistrum alterum; constabat vtrumque è lectissimo milite, eratque robur totius phalangis adeoque exercitus vniuersi. Firmabantur autem cornua cum ex subiectis & inferioribus ordinibus series aliquot iuebantur ad cornua transire, vt essent ordines bis mille quadraginta octo, cum primum tantum fuissent mille viginti quatuor, & hoc duplici fiebat nomine, velut hostes circumuenirentur. qua de re copiosè Aelianus, qui & rationem mutandi exercitus eruditè docet.

DISCURRERE) Codices veteres quos vidi, omnes hunc locum ita interpungunt: *Obsistere, circuire, discurrere, in cornu mutare pugnam, non duces, &c.* Vnica Modij editio aliter distinguit, & illud *discurrere* coniungit cum illis *in cornua*, & separat illa *mutare pugnam*, quæ mihi non displicet, si solum auctoritate, quam forte ex codicibus MS. accepit. Quod si illud *discurrere* separet à *cornu*, accipies verbum de conuersionibus duabus in dextrum latus & sinistrum, seriatim non viritim. Ego coniungo & lego *discurrere in cornu*, vt Modius habet.

MUTARE PUGNAM) Mutatio Græcis μεταβολή dicitur, cum vel singuli viritim à tergo in faciem vertuntur, vel tota acies simul vt naus circumagitur, vt primi ad vltimos circumagantur, & vltimi primorum occupent locum. Sed ita vt habitus exercitus sit idem qui ante ordinibus totis circumactis. Omnis μεταβολή duplicem habet conuersionem seu κλίσις, prima est cum series ad latus seu dextrum seu sinistrum vertitur: secunda cum à latere intergum circumagitur. Vtraque rursus duplex vel ab hoste, vel ad hostem. Cum viritim mutantur, appellantur μεταβολή seu mutatio; cum tota acies flectitur, περιπαρμός appellatur. Plura Aelianus c. 25. Mutatur autem necessario pugna cum hostis vel à latere, vel à tergo, vel ex obliquo occurrit, tum enim phalanx vel πλαγία, hoc est transtuerfa, vel ὀρθία recta, vel λοξή obliqua instituitur. Exempla tabulis expressit Robertellus.

Mutatio pugnae.

NON DUCES MAGIS QVAM MILITES CALLENT) Non abit à Curtio Iustinus, qui militi Alexandri hoc elogium condidit. *In exercitu eius (cum traiecit Hellepontum) fuere XXXII. millia, equitum quatuor millia quingenti, naues centum octoginta dua. Hac tam parua manu vniuersum terrarum orbem, vtrum sit admirabilis, vicerit, an aggredi ausus fuerit, incertum est: cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non iuuenes robustos, nec primum florem atatis, sed veteranos plerosq; etiam emerita militis, qui cum patre, patrisque militauerant, elegit: VT NON TAM MILITES quam magistros militis electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit, vt si principia castrorum cerneret, senatum te alicuius prisca Reipub. videre diceret. Itaque nemo in pralio fugam sed victoriam cogitauit, nec in pedibus vnquam spes, sed in lacertis fuit.*

Elogium exercitus Alexandri.

Miles Alexandri senatus Reip. similis.

QVEM OCCVPANT SATIAT) Alij: quem occupati parant, vtraque scriptura iustum habet intellectum, nam occupati vel studijs vel litterarijs, vel militaribus, vel vrgentibus Reipub. negotijs, parum de lautitijs & peregrina dape cogitant. Itaque proximum arripiunt, quod inueniunt opsonium. Nec ipse Alexander tum lautus. Fuit, inquit Plutarchus, gula temperantissimus. quod cum alijs signis ostendit, tum suis ad Adan verbis, quam matrem adoptauerat, & Caria designauerat reginam. Nam cum comiter illa multa, quotidie fercula & bellaria mitteret, coquos deniq; & pistores, quos putabat intelligentissimos, nihil ait his sibi opus esse, meliores se habere coquos à pedagogo donatos Leonida ad prandium iter antelucanum, ad cœnam exiguum prandium.

Alexandri lautitia exercitationes & sobrius prandium.

Itaque si legas quem occupant, explicabis, quem primum inueniunt, in quem incidunt, & Plutarchus de ipso Alexandro quam primum herbam offendit, fame vrgente comedit.

Hæc altera pars est orationis, qua vt dixi domesticam & quotidianam Macedonum viuendi disciplinam celebrat, paupertatem, inquam, auitam, vitæ elegantioris & mollioris neglectum. nempe cibum parabilem obuium & terrestrem, lectum non alium, quàm quem natura humi strauit, somni desiderium ante finitam noctem expletum. Affirmat seueram viuendi Macedonum disciplinam etiam Polyænus l. 4. in stratag. Philippi. Philippus inquit, in exercitu magnæ existimationis quendam Tarentinum quod calidis balneis vsus esset imperatoris munere ac dignitate priuauit, inquit: Nescire mihi videris Macedonum consuetudinem ac mores, apud quos nec mulierem quidem puerperam aqua calida lauari videas. Eadem ratione commendat suos Lacedæmonios exul Demaratus à paupertate: Τῆ ἐλλάδι πενή μὲν ἀέκοτε σὴν τροφός ἐστι. ἀρετὴ δὲ εἰπακτός ἐστι ἀπὸ τε σοφίης κατεργασμένη καὶ νόμου ἰσχυρῆς & quæ ibid. apud Herodotum sequuntur. *Gracia semper, inquit, alumna quidem fuit paupertatis, & hospita virtutis, quam à sapientia acciuit, & à seuera disciplina, quam vsurpans Gracia & paupertatem tueretur & dominatum.* descendit deinde speciatim ad Lacedæmonios. Nihil ita firmat exercitum, ac disciplina sobriæ vitæ, nihil ad eò exhaurit robur militis atque luxus &

Macedonū seuera viuendi disciplina.

Herodotus

S. Decado  
li. 3. siue  
25.

voluptates. Et Hannibalis exercitus ante pugnam Cannensem bonis inexpertus & inuictus, tum demum coepit vinci, cum in Hibernis Capuanis captus delitijs & fractus epulis, somno, scortis à seipso victus exiit in campum: vt Liuius narrat.

IAM THESSALI EQVITES) Sequitur elegans ironia, qua irridet Charidemus funditores & contatos barbarorum, extollitque equitatum Thessalonicum, Acarnanum & Aetolorum, atque illos his, impares esse armis & viribus. Ergo si cogitet Darius vincere, paria arma comparet quae Alexandro opponat. Iam, inquit, Charidemus, tu Dari Thessalorum & Acarnanum & Aetolorum equestrem aciem fundis & contis fundes: nempe cum locusta bouem pariet, nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, nisi paria paribus retundas.

Equitatus  
Thessalorum  
laudatissimi.

Cæterum equitatus Thessalorum omnibus sæculis fuit laudatus. Primum Herodotus Thessaliae equos celebrat, vbi à Xerxe curule certamen institutum tradit, Thessaliam verò ipsam paulo ante totam copiosè descriplerat. Herodoto accinit Statius 6.

*Quin & Thessalicis felix Admetus ab oris  
Vix steriles compefcit equas, centauria dicunt  
Semina (credo) adeo sexum indignantur & omni  
In vires adducta Venus, noctemque diemque  
Assimilant, maculis internigrantibus albis.*

Li. 4 Theb.  
\*Lutatius.

Pausanias verò equestrem Thessalorum martem prædicat in Phocicis: Placidus \*Lactantius ad Statij versum è Theb.

— iam inde iugo lætatur Arion.

Fabula de  
primis e-  
quis.

Hic, inquit, Arion natus est Neptuni munere, & Terra equus nimia velocitatis, quem nunc Adrastus curru iunctum ducebat ad bellum. Alij dicunt filium ipsius Neptuni Pelopi donasse, à Pelope ad Adrastum venisse. Cum igitur adhuc ignotus esset equorum vsus mortalibus, & horum animalium natura egeret terra, Neptunus remediaturus humanos successus, virtutibus ac potentia in Thessalia terram tridentem percussit, subitoque, mirum dictu, solo profulerunt duo equi, scilicet Scyphos, & Arion. Inde optimæ naturæ equi Thessalici per orbem feruntur. Fabula originem inde traxit, quod Neptunus auctor artis equitandi haberetur. Vnde porrò habuerit Alexander Thessalicum equitatu, facile ex Trogo seu Iustino discis, quando pater Alexandri Philippus Thessaliam inuasit, propter equitatum suis copijs coniungendum: Hinc Thessaliam, non præda cupiditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere gestiebat, nihil minus quam bellum metuentem improuisus expugnat: vnumque corpus equitum pedestriumque copiarum inuicti exercitus fecit.

Adagium.

Nata est parœmia. ἐπικρινεῖται ἵππῳ θεοσαλικῇ. Decernetur equa Thessalica. parœmiographos consule.

Curtius noster infra virtutem Thessalorum collaudat, præsertim in prælio ad Issum commisso, vti & Plutarchus: Ingenti præda ibi Thessali equites potiti sunt (hos enim illuc, Gazam, quod eorum opera fortissima vsus in prælio fuisset, ex composito, quo discescerent, misit.)

ACARNANES) Acarnania extra Isthmum Cornithium vicina Aetolis, Epiri regio fortes viros aluit. Actium Colonia Augusta in ipso ore est Acarnaniæ, vbi Antonium vicit Augustus. Quæ porrò fuerint bellicosi Acarnanes, ex vno illorum factò, posterius quidem factò, sed vnde tamen gentis exiguæ ingentes animos, ex Liuiò lib. 26. discas. Auctor est in promptu. Ego initium pro indice ostendam: Scopas vbi profectum &c.

AETOLIQUE INVICTA BELLO MANVS) Aetolia magna gens Græciæ, & potens pollensque armis, aucta cum Romanis etiam bello decernere. quod Liuius, quem leges, copiosè tractat.

Fundarum  
vis.

FUNDIS) Eleuat quidem Curtius funditorum glandes & lapides, sed longè alia alijs mense est & calamus. Sapè enim (inquit Vegetius) aduersum bellatores casidibus, cataphractis, loriciisque munitos, teretes lapides de funda vel sustibalo destinati sagittis sunt omnibus grauiores: cum membris integris lethale tamen vulnus importent, & sine inuidia sanguinis hostis lapidis ictu intereat. Et Virgilius, quem primùm laudatum oportuit:

*Et media aduersi liquefacto tempora plumbo  
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.*

Funditores  
qui.

Habes & in sacris monumentis Goliathi gigantis molem funda à Dauide prostratam. Diodorus Siculus etiam subscribit: τῆς τεθροῦδος καὶ τὰ κράνη καὶ πᾶν σκεπασήριον ὅπλον σὺν τριβύσσι. Et scuta & galeas, & omne armorum tegumentum perfringunt. Celebrantur sacris literis Gabaitæ quod destinatum pilum tetigerint, tanta vis erat volantis per aera plumbi, vt non secus ac Martiobarbuli ignescerent.

Lucretius: — plumbea vero

*Glans etiam longo cursu volitando liquefcit,  
Non secus exarsit, quàm cum Balearica tumbam  
Funda iacit: volat illud, & incandescit eundo.*

Lib. 6.

Lucanus: *Inde faces & saxa volant, spatiosaque soluta  
Aëris, & calido liquefacta pondere glandes.*

Seneca. Aëra motus extenuat, & extenuatio accendit. Sic liquefcit excussa glans funda, & attritu aëris velut igne distillat.

Stri-

— *fridentia fundâ**Saxa pluunt. volucres imitantur fulgura glandes.*

Quin & longissimè telum porrigit, sexcentos pedes fundæ iactum extendit Vegetius, adèd vt Strabone teste funda sagittam superet, quam ait τὴν σφενδόνην μακροβोलωτέραν τῆ τοξῆς, longius iacere fundam quam arcum. Idem Dio, idem Xenophon testatur.

Fiebant ex lino vel fetis (vel aluta etiam) hoc modo: fascia in medio latior paulatim gracilescibat in funiculum ex vtraque parte, cuius extrema capita funditor manu capiebat, & alterum aptatum induebat digitis; alterum liberum, vt mitti posset, saxum aut glandem plumbream in medio fundæ ponebat, dein circumacta semel aut iterum funda vibrabant quo destinarant lapidem. Baleares, vt quibusdam repertores huius teli, ita à puero se exercebant. Sic enim Vegetius: *Fundarum usum primum Balearum insularum habitatores & inuenisse, & ita peritè exercuisse dicuntur, vt matres paruos filios nullum cibum contingere sinerent, nisi quem ex funda destinat o lapide percussissent.* Hæc paulò rufius de funda, quod alioqui infra sæpè funditores recurfuri lectorè imperitum sint tacturi. Habitum & figuram funditoris Balearis cum seruo dabit Lipsius spectandam in Anacletis ad Militiam Rom. & \*Stevvechium ad Vegetium, vbi funditor tres gerit fundas, vnam manu, alteram pro fascia pileari, tertiam ab humeris torquis modo pendentem.

Fundæ descriptio.

pa. 235.

PARI ROBORE) paribus armis, viris, animis, arte militari.

IN ILLA TERRA) In Græcia, Thessalia, Acarnania, Aetolia, Sparta.

ARGENTVM ISTVD) quod in pompam, cultum corporum, armorum splendorem, vestem pretiosam, currus & iuga equorum impendere soles, in mercenarium militem è Græcia euocandum confer. Atque hæc suasit Charidemus apud Curtium, Diodorus Siculus addit sua sum à Charidemo, vt ducem aliquem præstantem eligeret, cui non plus centum millia assignaret, eaque in re suam operam pollicebatur, ac bellum perpetraturum profitebatur. Atque hoc consilium Dario quidem placuisse, sed purpuratiseius omnia alia visa, quod Charidemus administrationem belli eo animo videretur petere, vt exercitum Alexandro proderet; adeoque regem à Satrapis inductum, vt mortì Charidemum obijceret.

ERAT DARIO MITE AC TRACTABILE INGENIUM NISI S. N. P. F. CORRVMPT.) Vero verius est, reges agrè verum audire. Mouerant tamen Darium Charidemi verba, vt Diodorus est auctor, sed ab amicis deterioris cõsiliij auctoribus à sacra linea depulsus se permisit fortunæ, quam in potestate non habuit.

(MITE) Infra l. 5. preces deinde suppliciter admoda (à proditoribus Nabazane & Bessio) *Darium natura simplicem & mitem non credere modo quæ affirmabant, sed etiam flere coegerunt.* Et mitem fuisse cognitum erat, cum Bagoam chiliarcham sibi, venenum parantem eodem poculo necasse, quod sibi propinare sceleratus cogitasset, contentus, nullis cruciatibus corporis alijs parricidam torfit.

NISI SVAM NATVRAM PLERVMQVE FORTVNA CORRVMPERET) Omnia quæ vidi exemplaria hanc scripturam laudant. Modius tamen pro suam emendat etiam, & ineptissimam editorum pronunciat lectiõnem. Acidalius contra, nec ineptam, docet & omninò retinendam propugnat. Pro Modio videtur primum expeditus stare intellectus sententiæ, deinde Curtius ipse, qui mòx infra eandem sententiam reponit paululum immutatam, cum dicit: *documentum eris posteris, homines cum se permisere fortuna, etiam naturam dediscere.* Non damno Acidalius, suam enim interpretatur, quamcunque fortuna nacta sit, nunquam enim fortuna sine sua aliqua natura est, corrumpit ergo suam naturam, in quam incidit. Qualecunque etiam sanum sanctumque ac mite ingenium fortuna deprehenderit, violat ac vitiat, siue secunda siue aduersa, non semper, sed plerumque. Vitam enim regit fortuna, rarò sapientia, vt proinde queratur sapiens poëta

Modij lectio.

Acidalius.

Liuius l. 22  
sua quisq;  
fortuna domi auctore  
expectet. Et  
Curtius, in  
communi  
calamitate  
suâ quisq;  
habet fortunâ,  
ita vterq;  
se tueri potest  
exemplis.

---ὡς ἀδίκον ὄταν μὲν φύσις

Ἀποδοῖ ἡ σεμνὸν, τὲ τοδ' ἢ τύχῃ κακῶν

*Quam indignum est egregia natura munera à fortuna corrumpi**Quem nimium fouet stultum facit. & immoderata est in bono æquè atque in malo.*

Multa sæpè de fortuna infra Curtius.

NISI ETIAM) Curtio hæc virtus est singularis, vt nobiles vibret sententias, & loco; vt natæ non elaboratæ videantur.

FORTVNA CORRVMPERET) Suppetunt multa regum & Imperatorum documenta, qui ex bonis naturæ feminibus in praua declinarunt. Potètia enim impotentiâ gignit. Optimus primis annis fuit Tiberius, deterrimus postremis. Clementissimus initio Nero, dementissimus & immanissimus in progressu & fine. Herodes, Philippus proximus ab vltimo Macedonum, Dionysius Siciliae minor, alijque exordia regnorum mitissimè ingressi, egressi cuncti læui, immites.

VERITATIS IMPATIENS) Planè olim vt Tertullianus docet, olim veritas odio est. Et verum, inquis, amo; verum mihi dicite, de me. Qui pote? vis dicam? Veritatis impatiens es, non feres teneras auriculas mordaci vero radi. Molesta veritas est, siquidem ex ea nascitur odium. sed multo molestius est obsequium, quod peccatis indulgens præcipitem amicis ferri finit. Maxima culpa

in eo est, qui veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio pellitur. Charidemo mens fuit, qualis illi apud Euripidem in Telepho,

--- οὐδ' εἰπέλευεν ἐν χειροῖν ἔχων  
 Μέλλει λῆεις τράχλορον ἐμβαλεῖν ἐμὸν  
 Σιγήσομαι, διχῆσι γ' ἀντιπιπτεῖν ἔχων.  
 --- hand enim securim si manibus tenens  
 Aliquis, cervici esset incussurus mea,  
 Conticerem, iure si contradicere possem.

HOSPITEM AC SUPPLICEM) Sancti enim sunt hospites, & nulla occasione violandi.]

ξένον ἀδικήσης μηδέποτε χειρὸν λαβών  
 ξένοις ἑπαρκῶν, τῶν ἴσων τεύξη ποτέ.  
 Ut hospitem tractaveris, tractabere.

SUPPLICEM) Exulem Atheniensem Alexandri iussu proscriptum, ad Darij fidem confugientem.

TVNC CVM MAXIME VTLIA SVADENTEM.) Editi codices illud cum prætereunt omnes, Modius ex MS. reor apposuit. Valet hic, quam, ac si diceret Curtius, tum quam maximè vtilia suadentem, iugulari iussit. cum maximè ergo, pro nimis valdè. Cic. pro Cluentio; *qua multos annos hunc, nunc cum maximè interfectum cupit.* Sic coniungitur cum, ut, ut cum maximè, de quibus phra-  
 siologi. Ego cum Curtio progredior.

ABSTRAHI IVSSIT AD SUPPLICIVM.) Interfici iussit. Diodorus de nece Charidemi: *Mouerant regem eiusmodi Charidemi verba: sed regis amicis diuersa, qua plus dignitatis habere videbantur, consentibus, atque eam de Charidemo suspicionem Dario injicientibus, quod belli administrationem sibi demandari cupiebat, uti res Persarum Alexandro proderet: concitus ira Charidemus, Persis ignauiam & timiditatem aperitè cepit exprobrare. Per qua factum est, ut rex offensus zona comprehensum, quod est moris Persarum, apparitoribus interficiendum traderet.*

Miror hunc notabilem morem zona prendendi reos præteritum à Brissonio de regio Persarum principatu.

Nec scio quid sit, cum Arrianus accuratissimus scriptor nihil de Charidemi cōsilio, & nece tradiderit. An ut rem minoris momenti neglexit? Atqui Charidemus nec postremus fuit inter Persarū proceres, & primus ferè olim inter Athenienses. Nempe nemo vnus meminit omnia.

ILLE NE TVM QVID. LIB. OBLITVS) quia Atheniensis, quia contemptor mortis, ut ille Demochares inter legatos ad Philippum ab Atheniensibus missus, ut quædam à Philippo impetrarent, & ille postulatis omnibus annuisset, adiecissetque se etiam aliqua in re illis gratificaturum, si quid peterent. Ita verò, inquit Demochares, gratificaberis nobis si te suspenderis. Vides dignum cruce & rogo responsum à libertate Athenientium profecta. Nec tamen Philippus, qua erat modestia, tam atrocem iniuriam vltum iuit.

SVBITO MVTVTVS) ut Dionysius, quem Isocrates vltima epistola conatur reuocare ad modestiam. Iam supra principum certorum mores cum fortuna mutatos docui.

NATVRAM DEDISCERE) illustris gnome, quam supra, ut dixi, alijs verbis expressit. Sed hic locus aliter in alijs codicibus reperitur, qui pro naturam dediscere rescribunt, à natura desciscere. Vtraque lectio commoda & elegans, ut eleganter obseruauit Acidalius, tum enim à se quisque desciscit, cum se totum alteri permittit. Exit è sua, qui transit in alterius potestatem. Naturam suam exiit, cum induit alienam, quæ omnia cadunt etiam in priorem lectionem.

DOCUMENTO ERIS) Exemplo eris. documentum pro præcepto nondum legi, ut si dicas, documenta quædam vtilia, ad vitam cum virtute agendam, non, inquam, latinè hic, etsi olim putauimus & scripsimus. Cæterum quam multos possemus proferre ex memoria antiquitatis & sequētis æui, qui bona ingenia in principatu deprauarunt, & acerbis fatis oppressi posteritatem docuerunt, non correxerunt.

SERA POENITENTIA) quia mortuis mederi serum est, & aquam cineri infundere. *παρὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερον* erat Darius, post factum sapuit. Regibus conscientia tormentum omni supplicio grauius pro pœna est. potes adire Gruteri commentarios prolixiores ad loca Taciti illustria. *Facinorum recollectione nunquam timore vacuus.*

Sed quam obrem Diodorus ait Charidemum propter intempestiuam loquendi audaciam pœnas dedisse, cum hæc audacia vel maximè tempestiua fuerit, mox fera & intempestiua, si tacuisset, futura, ut verè Curtius narrauit, & ipse Darius vera dixisse Charidemum falsus seipsum, positus irarum fluctibus, grauius facinoris impotenter commissi, teste etiam Diodoro, incusari. Intempestiua ergo fuit Diodori reprehensio, non Charidemi

oratio.

CAPVT

## CAPVT VI.

## ARGVMENTVM.

Darius Thymondam conducto Græcorum militi præficit, Pharnabazum Memnoni sufficit. Explicantur somnia & omina Darij.

**N**ymodes erat Mentoris filius, impiger iuuenis, cui præceptum est à Rege, ut omnes peregrinos milites, in quos plurimū habebat spei, à Pharnabazo acciperet, opera eorū vsurus in bello. ipsi Pharnabazo tradit imperiū, quod ante Memnoni dederat. Anxium dein instantibus curis, agitabant etiam per somnum species imminentium rerū, siue illas agritudo, siue diuinitio animi præsentis accersit. Castra Alexandri magno ignis fulgore collucere ei visa sunt: & paulo post Alexander adduci ad ipsum in eo vestis habitu, quo ipse fuisset; equo deinde per Babylonem vectus, subito cum ipso equo oculus esse subductus. Ad hæc vates varia interpretatione curam distrinxerant: alij latum id Regi somnium esse dicebant, quod castra hostium arcessent, quod Alexandrum depolita regia veste in Persico & vulgari habitu perductum esse vidisset. Quidam non ita augurabantur: quippe illustra Macedonum castra visa, fulgorem Alexandro portendere, quem regnum Asia occupaturum esse, haud ambigere: quoniam in eodem habitu Darius fuisset, cum appellatus est rex. Vetera quoque omnia, ut fit, sollicitudo reuocauerat. Darium enim in principio Imperij vaginam acinacis Persicam iussisse mutari in eam formam, qua Græci uterentur: protinusq; Chaldaicis interpretatos, imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus. Ceterum ipse & Vatum responso, quod debeatur in vulgus, & specie qua per somnum oblata erat, admodum lætus, castra ad Euphratem mouere iubet.

THYMODES ) Apud Arrianum & Curtium inconstanter nunc Thymondos, nunc Thymodes appellatur, fuit perfuga. Arrianus Amyntas Antiochi, & Thymodes Mentoris filius & Aristomedes Pheræus, & Bianor Acannan omnes transfuga ἐμπράτες ἀυτόμολοι. De Thymode & Amynta infra copiosè, vbi illorum interitus in Aegypto narratur.

OMNES PEREGRINOS ) Græcos mercede conductos robur exercitus Darij: sic & infra Curtius: Iamq; Græci milites quos Thymodus à Pharnabazo acceperat, præcipua spes & propemodum vnica ad Darium peruenerat.

ANXIVM DEIN INSTANTIBVS CVRIS, AGITABANT ETIAM PER SOMNV M SPECIES IMM. RERV M ) Idem somnium narrat Plutarchus in Alexandro. Locus hic variè scribitur. Anxium de instantibus agebant, seruo Modij lectionem.

SIVE ILLAS AGRIT. SIVE DIVIN. PRAES. ANIMI ACCERSIT ) Omnes passim veteres ac recentes scriptores coniurant somnia alia diuina, alia naturalia esse, quod & vera religio proficetur. Diuina alia vera, alia falsa; vera à Deo vel bonis mentibus suggeruntur; falsa & mala à malis genijs excitantur. possunt & spiritibus impuris subinde vera. multa habemus in sacris literis, quæ & rara sunt, & vera, naturalia quotidiana, & pleraque omnia vana. Curtius eodem modo species in somno obiectas vel ad naturam, vel ad diuinitatem refert, cum dicit siue illas agritudo animi, hoc est, curæ naturales & sollicitudo rerum gerendarum & gestarum, siue diuinitio plangentis animi, hoc est, Deus vel spiritus faciunt & immittunt. Homerus de Diuinis

--- καὶ ὄρα τ' ἄρα πρὸς θεοῦ ἐστίν.

Etenim somnium à Ioue est.

De diuinis etiam Iamblichus, Philostratus, Cicero, Macrobius, Antipho, Chrysippus, Philocius, Artemon, Serapion Afcalamites, alij tractant.

De naturalibus Lucretius, qui illis cum suo Epicuro omnem diuinitatem ademit, omniaque ad causas naturales refert.

Et quos quisque ferè studio deminētus adheret,  
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,  
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,  
In somnis eadem plerumq; videmur obire.

Lib. 14.

*Causidici causas agere & componere leges  
Indu peratores pugnare ac praelia obire.*

Ita Aristoteles somnia ait nasci ex reliquijs earum rerum quas vigilantes sensu percipimus, quod & versibus Lucretius expressit: — *plerumque videmus*

*Quom iam destiterint ea sensibus usurpare,  
Reliquias tamen esse vias in mente patentes  
Qua possint eadem rerum simulacra venire.*

Idem Ennius, Claudianus, alij canunt. Legendus Tertullianus lib. de anima, & diligenter noster Pererius in Daniele disput. de varietate & veritate somniorum quaestionibus septem, ubi omnia quae ad somnia pertinent, accuratè excutiuntur.

Curtius ergo in medio relinquit diuinum, ne naturale somnium fuerit Darij.

CASTRA ALEXANDRI ) Sequitur narratio & varia in vtramque partem interpretatio somnij. Somnium hoc erat. Darius Alexandri phalangem in castris clarissimo fulgore collucere per somnium vidit, ipsumque Alexandrum paulò post in eo cultu corporis, quo ipse Darius erat antequam rex esset appellatus, ad se adduci. Dein equò per Babylonè vectum subito vanuisse. Ita Curtius somnium tradit. Plutarchus non multò aliter quem videbis.

In Alexan-  
dro.

Hic duo statim ex me quaeret lector, primum quis apud Curtium fuerit is vestis habitus, quò Darius erat indutus, priusquam rex salutaretur: Dein quis apud Plutarchum sit Astandes vel Astandes. Vestis fuit non regia, sed serui regij, cursoris nempe publici, seu veredarij, qualis erat Darius Artis & Ochi regum. Is autem veredarius dicebatur Persis Angarus & Astandes. Suidas Ασάνδαι οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι & οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ Ἀγγαροὶ τὰ δὲ ὀνόματα Περσικά Astanda sunt tabellarij sibi iure succedentes, qui & Angari dicuntur. sunt autem nomina Persica. Hefychius: Ασάνδης ἡμερόδρομος. Astandes est cursor diurnus, seruus in pedibus. Iterum Suidas. τοὺς τῶν βασιλέων ἀγγέλους nuncios regios appellat. Eustathius ad Homerum. κυρίως δὲ κατ' ἄλλιον Διονύσιον Ἀγγαροὶ οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι οἱ δὲ αὐτοὶ (φρσι) καὶ Ασάνδαι Περσικῶς. Hefychius: βασιλικούς γραμμαφόρους ἐκ διαδοχῆς nominat. Cursum autem publicum Cyrus instituit vt auctores sunt Herodotus & Xenophon.

Fuerunt ergo serui regij, vt Plutarchus de Alexandri fortuna dicit. Δαρρεῖο ἦν σὸν ἔργον, ὃν ἐκ δόξης καὶ Ασάνδης βασιλέως κύριον Περσῶν ἐκόντας: Darius erat tuum (ò fortuna) opus (seu ludus) quem ex Astanda seruo regio fecisti Dominum Persarum. Et idem καὶ ὁλοκλήρως ἐκδοσάμενοι Ασάνδης περιέβητε τῶν βασιλικῶν. Exuta veste Astanda induit regiam. Addo hic loco admonitus ab Angaris deduci angarias, quae sunt impositae onerum vehendorum necessitates. Suidas appellat ἀγγαρείαν ἀνάγκη ἀκούσιον, καὶ ἐκ βίας γενομένην ὑπηρεσίαν, necessitatem coactam & ministerium vi exortum. Vnde & verbum angariare, vi cogere ad onus subeundum, vt Simon Cyrenaeus fuit angariatus, suscipere in humeros crucem Christi. De angarijs mansionibus multa Stevvechius ad Vegetium, sed ibi negant legendum angarias, sed agrarias, & adhuc sub iudice lis est, mihi Turnebi sententia arridet, qui pro agrarijs propugnat.

QVO IPSE FVISSET ) seruus adhuc & Astandes, proinde Curtius cum Iustino, & Strabone videtur sentire, quando Darium Astandem facit, cum Diodorus Siculus illum ex stirpe regia & Ochi regis fratre natum velit, & ex duello victorem, post Ochum, creatum regem. Dictus est ante Codomannus: Mihi potior Strabo, Iustinus, Curtius, quam Siculus, pro Codomanno alij legant Codnanus. Clemens vocat Ochum, Tertullianus Darium Melam. Fuit ergo seruus regum Artis & Ochi siue astandes, siue Ochi fratris filius, omnes enim etiam propinqui seruibant regi.

EQUO DEINDE PER BABYLONEM VECTVS ) Ira visus est Dario per somnium Alexander equo vehens.

ADHAEC VATES VARIA INTERPRETATIONE CVRAM DISTRINXERANT ) sic lego, non distraherent. Contrarijs & diuersis interpretationibus regis animum in diuersa traxerant, vt ex eo curae Dario auerentur.

ALII LAETVM ID REGI SOMNIVM ESSE DICEBANT ) vel adulatores, vel etiam quibus probabilis ratio occurrebat. Somnia enim quaeque pro ingenio suo explicat. Poterat enim videri felix somnium, quod castra hostium ardere visa, ac proinde hostes perituros, & bello tanquam incendio depastos exhaustum iri. accedebat vestis vulgaris & seruilis ex regio habitu, quod poterat docere Alexandrum victum, & in regis Persarum ditionem reductum iri. Sunt enim oracula & somnia ante euentum obscura & abdita, post rem factam cuius Dauo clara. Homerus verè ἀκριτέμβους vocat ὀνειρές somnia iudicatu & explicatu difficilia.

QVIDAM NON ITA AVGVRBANTVR ) Fortè cum alijs emendatus legas, Quidam contra augurabantur, melius certè ad Curtij mentem, qui vult contraria alios alijs sensisse. fulgorem Alexandro claritudinem portendere, illum potiturum Asiae confirmari rem cultu quo visus fuerit Alexander Dario: nam eodè habitu Darium in regnum Asiae ingressum. Sed mihi ridiculus hoc loco Plutarchus videtur, qui post euentum rei somnium regis de Alexandro, quasi alij malè diuina sentent ante factum enarrat: His, inquit, mea sententia portendit Deus magnificas & claras res Macedo-

num



num gesturos, & positurum Asia Alexandrum, sicut ea potitus erat Darius, ex Astande factus rex: verum breui vitam cum gloria positurum. Nihil est facilius ac post euentum dicere, quid euenturum fuerit, ut ille medicus pronūciauit de ægro post mortem, se sciuisse moriturum fuisse, quis hoc non possit, ut poetæ solent, qui de præteritis vaticinantur.

HAVI AMBIGERE) laudo hanc, præ Acidalij, scriptura: nihil mutandum, vbi non cogit necessitas.

VETERA QVOQVE OMNIA) *Omina*, non *Omnia* lege. Quid fuit omen! mutatam vaginam acinacis Perficam in Græcam iussu Darij.

ACINACIS) Acinaces in recto dicendum: apud Græcos enim est ἀκινάκης, ἀκινάχης, transire tamen apud Latinos ad tertium ordinem acinaces, acinacis, ut Euripides, Aristides, Herodes, Timarchides, & hoc genus plura. Emendatius ergo apud Horatium leges

Vino & lucernis Medus acinaces

Immane quantum discrepat —

Esse porro tertij ordinis docent plures:

Valerius Flaccus: *Insignis manicis, insignis acinace dextra.*

Arnobius: *Ridetur temporibus prisca Persas fluvios coluisse, informem Arabes lapidem, acinacem Scythia nationes.* En, ut hoc leuiter moneam, quāto cultu acinaces Scythis fuerit affectus, ut etiam adoraretur, quod & Lucianus docuit: σκῶθαι μὲν ἀκινάκη θύοντες, & θρᾶκες ζαμόλξιδι: *Scythæ acinaci faciunt, & Thraces Zamolxid.* Clemens Alexandr. Σκῶθων δὲ οἱ Σαυρομάται, ὡς φησὶν Ἰκέσιος ἐν τῷ περὶ μυστηρίων ἀκινάκω σέβασσι. *Sarmatæ apud Scythas auctore Hicestio de mysterijs, adorant acinacem.* Ammianus Marcellinus: *Nec templum apud eos visitur, aut delubrum, nec tugurium quidem culmo rectum cerni vsquam potest: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumq; ut Martem regionum, quas circumueunt, præfulem, verecundius colunt.* Iustinus hastam quoq; adorari solitam à gentibus tradit his verbis. *Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptrâ dixere. Nam & ab origine rerum, pro Dijs immortalibus veteres hastas coluere: ob cuius regionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur.*

Lucian. in Toxari etiā iurare solitos ait per acinacē Scythas. Sed quæras ex me, quæ forma sit acinacis? Acinacem Græci deducūt παρὰ τῷ ἀκιν, quod acutissimā aciē, siue ὀξύγητα habeat, vnde Herodoto dictum putant acinacem ἀκινάκην, quod ὠρεῖται ἐχθρῶ ἀκιν, quod aciem habeat celeriter ferientem & penetrantem. De forma, quamuis conijciam magis quā prononciem, licet existimare acinacē Turcico gladio perfimilem fuisse à fine modicè reflexum, non falcis instar, versus aciem, sed in tergum recuruum, proinde malè quibusdam pro falcato ense accipitur, quem Græcè κοπίδα nominant. Leuclaius interpretatur. Hefychius hastam & gladium interpretatur. Pollux: ἀκινάκης περιχὸν ξιφίδιον ἢ τῷ μικρῷ προσηρημένον: *Acinacis est gladius Persicus femori aptatus.* Herodotus. περιχὸν ξιφίον, τὸ ἀκινάκω καλέεσσι: *Persicum gladium acinacem vocant.* alijs μικρός ἀκινάκης, ut & Horatius. Non longum fuisse ostendit Iosephus, cum latronum sicas cum acinace Persarum componit: χράμενοι, inquit, ξιφιδίοις, παραπλησίαις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν ἀκινάκοις, ἐπιχραπέσι δὲ, & παραπλησίαις τὴν ὑπό Ρωμαίων σίκαις καλεαίμεναις ἀφ' ὧν & τὴν προσηγορίαν οἱ ληστῶνες ἔλαβον πολλοὺς ἀναστῆντες, quales sicas Romani nominant, vnde latronibus ipsis cognomen, multorum eade infamibus gladiolis vtuntur, magnitudine Persicos acinaces referentibus, sed incuruis. Moschopulus: ἀκινάκης τὴν ἀκινάκην ἐστὶ, δὲ ἐγχειρίδιον βαρβαρικὸν ὃ φασὶν οἱ Ἕλληες παραμαχαιρίδιον. *Acinaces apud Græcos in secundo casu ἀκινάχης, est gladius barbaricus, qui ob breuitatem facile manibus tractari potest.* hoc enim est ἐγχειρίδιον. Suidas etiam μικρὸν δορὸν, paruam hastam interpretatur acinacem. Turcæ acinacem sua lingua Kilitich, Arabes Seife vocant, vnde nobis fortassè dictus Sebel. Rursus vrgebis me, quomodo vagina acinacis à Dario fuerit mutata in eam formam, qua græci utebantur, an si vaginam mutauit, & gladium mutatum oportuit? cum sequatur vaginam, sed si gladium mutasset Darius, non dixisset Curtius vaginam, sed gladium mutatum, cum potior sit gladius thecâ & vaginâ. Videtur tamen modum vaginæ cum gladio Perficæ in Græcam mutasse. Nam de gladio poltea sequitur apud Diodorum, mutatum gladium & hastam, quamuis post pugnam ad Issum ad fugam Darij: τὰ ξίφη & τὰ δοράτα πολὺ μείζω τῶν προγεγενημένων ἐποίησε διὰ τὸ δοκεῖν διὰ τῶν πολλῶν τὸν Ἀλέξανδρον ἐν τῇ περὶ Κιλικίαν μάχῃ πεπλευσεκχημένα. *gladios & hastas longe maiora atque fieri antea consueverant fecit, quod Alexander ob eam causam in pugna Isica videretur vicisse.*

CHALDEOS INTERPRETATVS) Chaldæi sunt antiquissimi & sapientissimi Babyloniorum, apud quos & Abrahamum Hebræorum parentem nata sacrarum literarum monumenta tradunt. Erant siderum contemplatores, & Astrologiæ in primis addicti: ut Q. Cicero in diuinatione cum fratre disputat. Diodorus Siculus hoc totum genus Chaldæorum & Astrologorum egregie laudat: & speciatim narrat hos Alexandro in Darium pugnanti victoriam prædixisse.

VATVM RESPONSO) Non Chaldæorum, qui omnia alia senserant & responderant: sed Darius credulus maluit ad eos accedere, qui læta quam tristia narrabant, uti, quæ cupimus, quam quæ fugimus credere amamus. Curtius tamen vatium nomine accipit omnes Sophistas, philosophos, magos, ἐπαοιδούς incantatores, φαρμακούς veneficos, augures & aruspices, qui tamen omnes com-

Acinaces  
Ein Tur-  
kischer  
Sebel.

Antiq. 20.  
c. 7.

muni nomine vates & Chaldæi nominari possunt, quod horum disciplina hæc omnia diuinationū genera complecteretur.

CASTRÀ AD EUPHRATEM MOVERE IVBET ) Euphrates Mesopotamiam & Syriam à Cilicia distinguit, flumen notius quam Delij natatoris indigeat.

## C A P V T V I I .

## A R G V M E N T V M .

Describit ordinem agminis, quo processit Darius ad Euphratem. Confertur acies Macedonum cum acie Persarum, contemnitur hæc, laudatur illa.



**P**atrio more Persarum traditum est, orto sole, demum procedere, die iam illustri, signum è tabernaculo regis buccina dabatur. Super tabernaculum, unde ab omnibus conspici posset, imago Solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis: ignis, quem ipsi sacrum, & aeternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur. magi proximi patrium carmen canebant. Magos trecenti & sexaginta quinque iuvenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. currum deinde Ioui sacratum albentes vehebant equi. hos eximia magnitudinis equus, quem Solis appellabant, sequebatur. aurea virga, & albæ vestes regentes equos adornabant. haud procul erant vehicula decem, multo auro argentiq; calata. Sequebatur hæc equitatus duodecim gentium varijs armis, & moribus. proximi ibant, quos Persæ immortales vocant, ad decem millia: cultus opulentiæ barbaræ, non alios magis honestabat. Illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas. exiguo intervallo, quos cognatos regis appellant, decem & quinque millia hominum. Hæc vero turba muliebriter propemodum culta, luxu magis quam decoris armis perspicua erat: Doryphori vocabantur. Proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem. Hi currum regis anteibant, quo ipse eminens vehebatur. Vtrumq; currus lætus deorum simulacra ex auro argentiq; expressa decorabant: distinguebant intermitentes gemma iugum: ex quo eminebant duo aurea simulachra cubitalia, quorum alterum in alterū belli gerebat effigiem. Inter hæc aquilā aureā, pinnas extendenti similē, sacrauerant. Cultus regis inter omnia luxuria notabatur. Purpureæ tunicæ medium album intextum erat: pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant, & Zona aurea muliebriter cinctus acinacem suspenderat, cui ex gemma erat vagina. Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne: hoc cerulea fascia albo distincta circuibat. Currum decem millia hastatorum sequebantur: hastas argento adornatas, spicula auro præfixa gestabant. dextra laeuq; regem, ducenti fermè nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. Intervallo deinde vnius stadij matrem Darij Sisygambim currus vehebat, & in alio erat coniunx. Turba sæminarum reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim dein, quas Armamaxas appellabant, sequebantur, in his erant liberi regis, & quæ educabant eos, spadonumq; grex, haud sanè illis gentibus valis. tum pellices regii trecenta & sexaginta vehebantur, & ipsæ regali cultu ornatuque, post quas pecuniam regis sexcenti muli, & trecenti cameli vehebant, præsidio sagittariorum prosequente. Propinquorum, amicorumque coniuges, huic agmini proxima, luxurumq; & calonum greges vehebantur. Vltimi erant cum suis quisque ancibus, qui cogerent agmen, leuiter armati. Contra, si quis aciem Macedonum intueretur, dispar acies erat, equis virisque, non auro, non discolori veste, sed ferro: atque are fulgentibus. agmen & stare paratum & sequi: nec turba, nec sarcinis prægrauè: intentum ad ducis non signum modo, sed etiam nutum. & castris locus, & exercitui comæatus suppetebant. Ergo Alexandro in acie miles non defuit. Darius tantæ multitudinis

*dimis rex, loci, in quo pugnavit angustijs, redactus est ad paucitatem, quam in hoste contempserat.*

PATRIO MORE ORTO IAM SOLE) Hunc morem supra offendimus, & infra de cultu Solis à Persis adhibita multa narrabuntur.

SIGNUM ET TABERNACULO REGIS BUCCINA DATUM) signum profectionis. De signis militaribus dictum supra, buccina non eadem tubæ, etsi nonnunquam permisceantur. Vegetius lib. 3. c. 5. his verbis describit: *Tuba qua directa est appellatur* (catachrelis ergo apud Lucanum cum specie pro specie posuit

----- *Batavique truces, quos are recurvo*

*Stridentes acuere tubæ* -----)

*buccina qua in semet areo circulo flectitur*. Germani quoque diuersis exprimunt verbis, & tubam trummet / buccinam bosant vocitant. Græcistuba σάλπιγξ, buccina βυκάλιν. De tubis, buccinis, cornibus plura Stevvechius ad Vegetium, buccina etiam pro classico ponitur. Vegetius: *Classicum appellatur quod buccinatores per cornu dicunt*. Est & lituus genus buccinæ: Festus: *Lituus quod litis sit testis*. est enim genus buccinæ incurvæ. Et litui apud Ammianum *itinerarium* sonant. Inter cornu & buccinam olim nullum discrimen, fuit enim bubulum cornu, vnde & nomen accepit, est instrumentum, vt Lipsius describit, quod bubus canit, aut quod boues canit & vocat. Varro tamen buccinatorem à vocis similitudine & cantu dictum maualt bou, bou canit: aliorum originationes seu diuinationes potius originationum nihil attinet adferre.

E TABERNACULO REGIS) E prætorio, vt Romani.

IMAGO SOLIS CRYSTALLO INCLUS. F.) Solem à Persis pro Solis auctore & numine cultum testantur veterum scriptorum tot monumenta, vt copia nominandi possit lectorem fatigare. Antiquissimi sunt Herodotus, Strabo, & ante Strabonem Xenophon; Iustinus postea. Athenæus, Macrobius, Philostratus, Himerius Rhetor, Ouidius in Fastis, Plutarchus in Parallelis, Tertullianus in Apol. vt præteream reliquos propè innumeros Christianos, quos etiam Solem adorare recusantes vltimis supplicij interficiebant. Addunt hostiam Solis equum propter celeritatem.

*Placat equo Persis radijs Hiperiona cinctum,*

*Ne detur celeri victima tarda Deo.*

Quæras fortasse quo metallo fuerit imago Solis expressa, aut qua gemmâ lapideue pretioso. Tertullianus in Apolog. suis temporibus in linteo depictum & adoratum ait à Persis. Crediderim ab regibus in crystallo circumlatum, ex puro auro fuisse expressum, celatum, elaboratum & expolitum, crystalloque veluti sacello clausum, vt oriente vero Sole, & in crystallo aurumque incidente accenderetur, & ex repercussu Solis per anaclatim incensus, alter Sol videretur, oculolque intuentium perfringeret. Aurû enim maximè Solem æmulatur & ignem, vt Pindarus *αἰθόμενον πῶς* vocaret. Salutarunt primo mane Solem, vt Procopius docet de Perosa Persarum rege.

Solem autem Mithram seu Mithren appellauere, per quem iusurandum concipiebant, & sacramento contendebant. In specu colebatur: Iulius Firmicus: *Persæ & magi omnes qui Persicæ religionis incolunt fines, ignes præferunt omnibus elementis, & putant debere præponi: Hunc Mithram dicunt, sacræ verdè eius in speluncis abditi tradunt, vt semper obscuro tenebrarum squalore demersi, gratiam splendidi ac sereni luminis non videant*. Qui autem Mithræ tanquam sacerdotes & magi primitus initiabantur, LXXX. suppliciorum genera sustinere cogebantur, antequam sacris Mithræ imbuerentur, quæ copiosissimè tractat Brissonius de regno Persarum.

ORDO AVTEM AGMINIS ERAT TALIS) mihi ordo hic ad theatrum & spectaculum videtur procedere, non in campum & arenam aduersus Martem.

IGNIS QVEM IPSI SACRVM ET AETERNVM VOCABANT) Et originem ignis colendi, apud Persas, & Pyræa, siue templa igni initiata, & foculos, ignemque æternum, ex optimis scriptoribus docuit vbertim Brissonius de regno Persarum, vt operam lusurus sim, si plura velim congerere.

ARGENTEIS ALTARIBVS) foculis. Xenophô de Cyro procedente: *ὁ πῦρ ἐπιόδεν αὐτῷ ἐπ' ἐσχάταις μεγάλης ἀνδρες εἰποντο φέροντες*. Et ignem pone illum in foco maiore, qui sequebantur viri gestabant. Qui plura de cultu ignis eiusque origine querit, luculentos Brissonij focos excutiat. De altaribus tamen dubites quæ forma fuerit illorum? Keor altaribus bases planastuisse, in medio tamen fortasse cauas, vbi ignis alebatur. è lateribus tribus tabulas argenteas creuisse, supernè velut in tholum rituædiculæ coeuntes, sed ab vna parte apertas.

MAGI PROXIMI) Magi vox à barbaris profecta, Græciæ & Latio primum à Chaldæis & Persis in honore cum re fuit. Erant enim magi sacrorum antistites, regum moderatores, & sapientiæ diuinæ & humanæ periti habebantur. Inde sensim cœpit, vt vox tyranni, & hostis in infamiam vergere, pessimisque artibus assignari, ita cuncti venefici, venenarij, incantatores,

Thessali,

Scriptit  
Theodorus  
Mophu-  
stia de Per-  
sarum ma-  
gia libros  
3. apud  
Photium  
p. 75.

Theſſali, Arioli, Augures, aruſpices, Chaldæi, Genethliaci, necromantici, epacetici, præſtigiatores, Aegyptij, lamiæ, ſtriges, ſagæ, veratrices, Sortiarij, Maſcæ, & hoc genus alij aliæque peſtes generis humani magis accenti & execrati.

Magorum triplex genus erat. primi fuere ſapientiæ magiſtri, doctiſſimi iuxta ac planè ſobrij ſic- cique, vt qui præter farinam & olera nihil ad menſam adhiberent: Alij Antiltites & ſacerdotes, qui in Perſide ſuam ſectam perfeuerarunt, quos Perſæ magos appellauerunt. Extremi qui malorum ge- niorum ope & opera varijs præſtigijs animos mortalium ſuſpenderunt, luſerunt, ſæpius etiam e- uerterunt, quorum magia malas artes continet.

De inuentoribus magiæ prolixè Pererius, Briſlonius, Delrius, & quos hic de magia ſcriptores fe- re ſexcentos numerat. Auctorem ego Magiæ & omnium præſtigiæ architectum, proſcriptum cælo dæmonem credo & mecum Pererius. Mihi teſtis rediturus olim in orbem Enochus, cuius o- racula S. Iacobus Apoſtulus in literis ſuis laudauit. Sed nos ad Perſas quibus Zoroaſter doctor magiæ fuiſſe certatim ſcribitur. In Perſicorum magorum diſciplina deſcribenda multus eſt Marcellinus, & Plinius, Clemens & alij non pauci, quos indigitaliſſe fatiſ eſto.

TRECENTI SEXAGINTA QVINQVE.) ad numerum dierum per annum recurrentium. Nec mi- rum id eos potuiſſe, cum eſſent in ſiderum diſciplina accuratiſſimè verſati. Hodie annus deſcribitur in dies 365. horas ſex, quæ quarto quoque anno diem integrant, qui intercalariſ eſt, momenta verò quæ ſuperſunt, certis annorum ſæculis etiam horas & dies conſciunt. Vnde tot faſtorum & tempo- rum emendationes natæ, naſcunturque hodie.

PVNICEIS AMICVLIS) ſupra Charidemus de exercitu Darij: *nit et purpura auroque, puniceus, phœniceus, purpureus, ſpadix.*

TRECENTI ET SEXAGINTA QVINQVE IUVENES) Chaldæi, Perſæ, Armenij, Syri, He- bræi, Aegyptij annum trecentis ſexaginta quinque diebus circumſcriptum habebant, niſi quod in illis quinque extremis variarent, quos alij alijs temporibus addebant. Perſæ veteres hodieque annum NEVRVZ nuncupant, quod ſolenne verni tempus ſignificat.

Romani ſerò admodum ad Perſarum & reliquorum in oriente populorum rationem tempo- rum acceſſerunt, cum ab vſque Romuli & Numæ æuo perturbata annorum, menſium, dierumque via progredereſſent. Licinius Macer, & Feſtella ſtatim ab initio duodecim menſium fuiſſe ſcribunt annum verentem Romanum. ſed Iunius Gracchanus, Fuluius, Varro, Suetonius, Cenforinus, & alij tradunt magis credendum, annum ab initio decem menſium fuiſſe, ab ipſo Romulo Inſtitutum, nec plures quam trecentos & quatuor dies complexum eſſe. Numa Pompilius adiecit vnum & quin- quaginta dies, & ita continebat annus Pompilianus dies CCCLV. vnum amplius quam lunaris; vt autem reſponderet annus lunaris exactè anno ſolari, Numa Mercedonium voluit intercalari menſe Februario. Ex vno autem & quinquaginta diebus conſecit duos menſes, Ianuarium & Febrarium, quos menſibus Romuli præfixit, vt Ianuarius eſſet primus, Febrarius ſecundus, Martius (qui antea fuerat primus) tertius, & ita deinceps. Hæc copioſè ex multis ſcriptoribus contra alios auctores o- ſtendit, confirmatq; Iacobus Chriſtmannus ad Altraganum.

Iulius Cæſar in emendatis falſis aſſignauit anno dies 365. cum quadrante ſiue horis ſex, quem Ec- cleſia ſecuta eſt. Sed quia tropicus annus qui certiſſimus eſt, ex mathematicorum eſſatis non continet integrum quadrantem vltra 365. dies, ſed horas dumtaxat, 5. ſcrupula ſeu minuta 49. ſecundas 16. (quæ magnitudo anni media eſt inter maximam & minimam) factum eſt, vt tot ſæculis à Iuliano anno æ- quinoctium ſedem ſuam priſtinam, quæ erat dies 21. Martij deſereret, & ad diem vndecimum per- ueniret. Sed has minutias latis erit attigiſſe quam explicari. Qui plura deſiderat, Chronographos, quorum magna eſt copia, poterit adire. Iam, vt ad Curtium redeamus, cum ſubiicit Curtius *Quipe Perſis quoque in totidem dies deſcriptus eſt annus*) videtur docere, Perſis perinde ac Romanis annum definitum 365. diebus. Sed eſt quod animaduertas Romanis ab Aegyptijs & Perſis potius ſuos annos emendatos, quam Perſis ab Romanis.

CVRRVM DEINDE IOVIS) Perſarum Imperatores nunquam progrediebantur in publicum, ſiue ad bellum proficiſcerentur, ſiue ad ſacrificium irent. quin currus Iouis & Sôlis præmitterent, & hoc ex Cyri inſtitutione, vt Xenophon narrat. cuius locum, ſi vacat, ipſe cognoſcas, ego ad Curtium redeo.

CVRRVM DEINDE ALBENTES VEHEBANT EQVI) currum album fuiſſe Iouis & Solis, etiã Xenophon docuit. albos equos hic Curtius teſtatur, & cum Curtio Seneca. *Ibi vnus, inquit, ex his e- quis, qui trahere regium currum albi ſolebant, abreptus vehementer commouit regem.* Herodotus ſupra Niſæos equos appellauit, à Media ductos. Lucianus λευκὸν ζεῦγος dixit. Eorum autem equorum no- bilita ingenia celebrat Dio Chryſoſtomus & Maximus, Tyrius, Themiftius, Philoſtratus λευκὸν δὲ ἄρα ἵππον τῶν σφόδρα Νιſαίων κατὰ βίαν ἐμαλλε. Album ſanè ex Niſeis ſacrificaturus erat. Erant albi equi in delitijs antiquitati, quem ſingulari honore maſtare volebant, albis quadrigis excipiebant, reges maximè hac ambitione capti, Amphiarus antiquiſſimis ſæculis apud Statium albis veni- tur.

Oebalios sublimis agit spes maxima palma  
 Amphiar aus equos, tua furto capta propago  
 Cyllare, dum Scythici diuersus ad ostia ponti  
 Castor Amyclæas remo permutat habenas,  
 Ipse habitu niueus, niuei dant colla iugales  
 Concolor est albis, & casus, & infula, cristis.

Platoni sapientiæ antistiti, inquit Plinius, Dionysius tyrannus, aliâs superbia sauitiaque natus, vittâ  
 tam nauem misit obuiam: ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit: Addunt alij ipsum Dio-  
 nysium aurigam Platonis egisse. Apud prisicos Romanos non nisi Deorum cultui niuei equi tran-  
 scripti, quæ causa fuit vt Camilli albis equis triumphantis gloria clarior quam gratior P. Rom.  
 fuerit. Liuius lib. 5. Aduentus quoque dictatoris omnibus ordinibus obuiam effulsit, celebratiôr quam vllius  
 vnquam antea fuit: triumphusque omnem consuetum honorandi illius diei modum aliquantum excessit.  
 maximè conspectus ipse est curru equis albis iuncto urbem inuectus: parumque id civile modo, sed humanum  
 etiam visum. Iouis Solisque equis equiparatum dictatorem in religionem etiam trahebant, triumphusque  
 ob eam vnam maximè rem clarior quam gratior fuit. Ergo non apud Persas tantum, sed Romanos  
 etiam albi equi Ioui & Soli dedicati. Plutarchus de eodè Τέθριππον ὑποζευξάμενος λευκόπῳλον ἐπέβη,  
 καὶ διεξήλασε τῆς Πρώμης, οὐδενὸς τῶτο ποιήσαντος ἡγεμόνος πρότερον οὐδ' ἕτερου. ἱερὸν γὰρ ἡγῆνται τὸ τοιοῦτον  
 ἔχημα βασιλεῖ καὶ πατρὶ τῶν θεῶν ἐπιπεφημισμένον. *Quadrîngas albas conscendit, & Roman ingressus est, quod  
 nemo dux nec ante nec postea fecit, quod huiusmodi currum regi & patri Diuûm consecratum crederent. Er-  
 rat tamen Plutarchus cum dicit, neminem aut postea albis equis triumphasse, cum Ouidius canat:*

*Quatuor in niueis aureus ibis equis.*

Vbi immeritò notat Plutarchum Bulengerus ex Claudiano, cum Plutarchus tribus propè sæcu-  
 lis ante Honorium vixerit. Ouidij auctoritas valet. Parcemiam latinam albis equis aliquem præcur-  
 rere, & citis quadrigis leges apud Horatij interpretes ad uelut:

*Durus homo atque odio qui posset vincere reges,  
 Confidens tumidusque, adeo sermonis amari  
 Sisennas, Barros vt equis præcurreret albis.*

Accipiuntur pro celeritate. Plautus:

*Nam si huic occasione tempus sese subduxerit,  
 Nunquam ad epol albis quadrigis indispicet postea:*

Vetus interpres.

*Qui candore niues anteierit, ausibus annos.*

DUODECIM GENTIVM) supra hos censuit cum armis, sed tantum septem exercitè posuit, reli-  
 quos in turbâ ignobilium gentium coniecit. Persas, Medos, Barcanos, Armenios, Hyrcanos, Derbi-  
 ces, Caspios, Græcos expressit. Bactrianos verò & Sogdianos, Indos, aliosque præterijt. Herodotus in  
 Xerxis copijs gentes cum armis numerat quinquaginta nouem, quas nominatim exprimit apud e-  
 undem cognoscendas, quas plerosque in exercitu Darij fuisse credas, nec enim Curtius indigitauit.  
 Plinius tamen duodecim gentes numerat, quas Alexandro deuictas scribit, Asiâ, Armeniam, Iberi-  
 am, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucasum, Bactrianos, Medos, Persas. li. 4. c. 12.

PERSAE IMMORTALES AD X. MILLIA) Hos immortales per duces suos mori docuit The-  
 odosius, Theodosij magni nepos, de quibus in *Aula sancta* copiosè tractauimus. Hic verbo rem ac-  
 cipe ex Herodoto: *Hi erant Imperatores omnium pedestrium copiarum, præter illa delecta Persarum de-  
 cem millia, quibus præerat Hydarnes Hydarnis filius, qui vocabantur immortales ob hoc, quod si quis eorum  
 aut nece, aut morbo numerum imminueret, alius sufficiebatur: nec vnquam plures erant pauciores sue decem  
 millibus.* Auctor horum videtur fuisse Cyrus, de que Xenophon:

Erant hi immortales robur exercitus Persici, selecti ex nobilissimis & fortissimis Persarum. Sui-  
 das: *Ἀθάνατοι μύριοι Περσῶν ἐπιλεκτοὶ δὲς Ἀρδαβέριος ἐπι θεοδοσίῳ βασιλέως διέφθειρεν καὶ ἠφάνισεν. Immortales  
 decem millia Persarum lectissimi quos Ardaburius Theodosio (iuniore) imperante concidit & delenit. Quod  
 si Suidas hoc ita scripsit, vt putaret ab Ardaburio deletos esse immortales, & nunquam restitutos, er-  
 rone duci videtur, cum Procopius Belisarij comes in expeditione contra Persas auspicijs Iustini  
 imperatoris facta, immortalium Persarum in acie stantium meminerit. Iustinianus porro haud pau-  
 cis annis post Theodosium imperauit, vt norunt qui vel à limine Augustæam historiam inspexe-  
 runt. Procopij verba sunt ex translatione. *Persæ igitur qui cornu sinistrum tenebant, Baresmana duce cum  
 immortalibus in Romanos ex aduerso consistentes cursu contendunt. Illi vero (Immortales) impetum mini-  
 mè sustinentes in fugam vertuntur.* Et infra: *Alij igitur Persæ ac turma immortalium inclinatum videntes  
 vexillum, & in terra procumbens, in Romanos qui ibi aderant cum Baresmana impetum faciunt. Plura de  
 Immortalibus Diodorus Siculus & Hesyodus:**

CULTVS OPULENTIÆ BARBARÆ) Idem Herodotus affirmat. De his potissimum illa Cur-  
 tij accipienda sunt supra, nitet purpura auroque, fulget armis & opulentia, quantam qui oculis non subij-  
 cere, animis concipere non possunt.

MANE-

MANICATASQUE TUNICAS) Signatè dixit manicatas, vt mollitiem & delicias luxumque Perfarum notaret, militaribus enim viris parum conueniebant manuleatæ tunicæ. quapropter apud Virgilium Numanus Remulus Turni affinis, Ascanio, ( Non Ascanius suis, vt perperam cætera doctus & modestus Meursius ad Cassandram Lycophronis scripsit) & Phrygibus probri ergo, obiecit cultum & manicatas tunicas, id quod Macedones poterant Persis dicere.

*Vobis picta croco, & fulgent murice vestes*

*Desidia cordi: iuuat indulgere choreis*

*Et tunica manicas, & habent redimicula mitra*

*O verè Phrygia (nec enim Phryges) ite per alta*

*Dyndima.*

Cæterum Romanis quoque vitio datum, si manuleatas tunicas gestarent: Cicero: *quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis & talariibus tunicis, velis amictos non togis.* &c. Seneca de Epicuro: *Apud me verò Epicurus fortis est, licet manuleatus sit.* D. Augustinus. *Talares ac manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cum tunicati sunt, non eas habere flagitium est.* Agellius eleganter de manicatis & chirodotis tunicis tradit: Est & apud Ennium & Plautum mentio manicatarum seu manuleatarum tunicarum. Apud Plautum contendunt multi scribendum *maniclatam tunicam*, vti & apud Senecam.

Agellium  
multa ele-  
ganter de  
manicatis  
& chirodo-  
tis tunicis  
tradentem  
confule.

Nonius Marcellus eandem describit. Tunica est vestimentum sine manicis. Plautus idcirco manuleatam addidit, ne impropiè vteretur. Ennius probro Carthaginensium tunicatam iuuentutem voluit dicere. Græcis *ἐξομῆς*, eaque duplex sine manicis altera, & altera cum manicis, vel vna vel duabus, quas *μασχάλῃς* & *ἀμφιμασχάλῃς* & *ἑτερομασχάλῃς* dicebāt, de quibus videbis Menesium ad Cassandram Lycosthenis. Hesychus exerte describit *ἀμφιμασχάλος* χιτῶν χειρῶν ἀτὸς ἐλευθέρων ὡς πλάτων δύο χειρῶν ἔχων, ἃς *μασχάλας* ἐτι & νῶν λέγει. *Amphimashalus* est tunica manicata ingeniorum (vt Plato docet) duas manicas habens, quas hodie *μασχάλας* vocant. De his est ille locus Xenophontis Cyrip. *ὅτι ἰππεῖς δὲ πάντες παρήσαν καταβηκότες ἀπὸ τῶν ἵππων & διεκρότες τὰς χεῖρας διὰ τῶν κανδύων ὡς περὶ & νῦν ἐτι διεκροῖσι ὅταν ὄρῃ βασιλεύς.* Aderantque omnes equites, qui ex equis descenderant insertis manibus per ipsos Candyas, vti & nunc quoque (manicis) inserunt, quando à rege videntur. Hic obserua lector perperam hæcenus ab interpretibus Xenophontis translata esse vocem *διεκρότες* sublatis manibus, vel exertis, cum planè ritus & mos Perfarum complurium sensum desideret. Xenophon scripserat *διεκρότες* à *διεκρω* infero, trajicio, insubulo, non *διεκρότες* vel *διεκρότες* tollentes manus, vel sublatis manibus. Lege enim & more Perfarum quicumque in oculos regum incurrebant manicis manus inseruisse, vt rex opinor tutus illos transiret, aut in conspectum illorum prodiret. Quod vsque adeo seuerè custodiebatur vt qui id non fecissent, morte punirentur, cuius rei testis est Xenophon qui narrat à Cyro minore regnum affectante non aliam ob causam Autobæfacem & Mitraem interfectos fuisse, quam quod ei occurrentes manus intra manicas non contraxissent, quæ reuerentia solis regibus debebatur, vt in hæc verba docet Xenophon: *Τὸ τῶν δὲ τῶν ἐναντιῶν & Κύρῳ ἀπέκτεινεν ἡεῖς ὄντας τῆς Δαρείου ἀδελφῆς τῆς τῆς Ἑρέξου, τῆς Δαρείου τῆς πατρὸς ὅτι αὐτῶν ἀπαντῶντες οὐ διεκροῖσαν διὰ τῆς κόρης τὰς χεῖρας, ὅ ποιεῖσι, βαλεῖ μόνῳ ἢ δὲ κόρη ἐπὶ μακρότερον ἢ χειρὸς ἐν ἡ τὴν χεῖρα ἔχων οὐδὲν ἀνδρῶν ποιεῖσαι.* Hoc quoque anno Cyrus Autobæfacem interfecit & Mitraem filios Dariæ sororis Xerxis patris Darij, quod sibi occurrentes manus intra (κόρη) manicam non contraxissent seu continuissent; Est autem κόρη seu manica longior quam manus, adeo vt cum quis manum intra illam continet facere omnino nihil possit. securitatis ergo causa fiebat. Eodem igitur modo debebant & equites manus intra candyas & vestes continere, quod verbum *διεκρω* ostendit; Traiectas puto fuisse intra manicam manus, vt hodie apud nos fit, quam vocamus *manicam* & *Schleifflein*.

COGNATOS REGIS DECEM ET QVINQUE MILLIA HOMINVM) Multos inquit habuit Darius cognatos. totne à regia stirpe cognati fuere Darij? potuerunt fuisse, non fuerunt tamen. potuisse docet nos numerus concubinarum & pellicum, quarum vnus aliquis multas sæpè centurias habuit, ex quibus copiosa spuriorum soboles profilit, qui per nuptias contraxere affinitatem & propinquitatem. certè Darij 360. secum etiam in exercitu habuit. Non fuerunt tamen consanguinei Darij nisi fortè aliqui, nec vllò sanguinis iure vel naturali vinculo cognationis regi coniuncti: honoris erant & dignitatis gratiæque nomina & tituli vt *συγγενεῖς* τῆ βασιλείας diceretur. Vt perinde Arriani & Diodori Siculi interpretes & veteres & noui à vero aberrarint, cum *συγγενεῖς* consanguineos regis vertere. Brissonium hoc & instituto docentem, & multis tabulis auctorum sententiam confirmantem, poteris adire.

Quod ergo Brissonius tradit dictos *συγγενεῖς*, nullo iure sanguinis aut vinculo cognationis cum rege fuisse coniunctos, hoc vniuerse verum est, etsi fieri potuit fuisse aliquos etiam cognatos re ipsa, sed ob hoc officium *δορυφορίας* & satellitij dicti cognati, potuerunt etiam nulli fuisse sanguine propinqui. Et hos cognatos regis non fuisse ostendunt quæ sequuntur, vbi singillatim de ducentis propinquis Curtius regium currum, dextra læuaque stipantibus narrat.

PROXIMUM HIS AGMEN SOLITI VESTEM REGIAM EXCIPERE) totūne agmen aliquod in regia veste portanda occupatum? certe enim, cum rex ornatus cultus fuerit, qui duodecim millibus

bus talentorum Plutarchi in Artaxerxe assueveratione, æstimaretur, quæ summam implēt septingentibus bis centenum millium philippicorum, vel vt oculis tangere possis, nostratis pecuniæ nouē milliones supra sexcenta millia florenorum. Florenum 60. staurophoris seu cruciferis nostro more æstimo. Sed de cultu luxuque vestium regio mox infra speciatim tractabitur.

HI CVRRVM REGIS ANTEIBANT QVO IPSE EMINENS VEHEBATVR. ) triumphantis ritu magis quam belligerantis, sic enim lib. 4. Curtius ait, Darium triumphantis magis quam dimicantis more curru sublimem in prælium iuisse. Et hoc veteri more Persarum, sic Xerxes pugnavit vt Xenophon, Herodotus, Siculus, alij testantur, & sæpè infra de Dario Curtius, semper curru vehente.

VTRVMQVE CVRRVS LATVS ) Iulius in descriptione currus militaris, partes facit tres currus, sellam, tabulatum, exteriorem & interiorem rotarum circumferentiam, & plures singulorum partes. Sella *ἰσση* Græcis habet tria latera, vnum à tergo, alterum à dextra, tertium à sinistra, tabulatum quod infernitur axi. Rotæ complectuntur axes, & quæ ad axes pertinent. Curtius, vtrumque latus dextrum & sinistrum intelligit.

AVRO ARGENTOQVE DECORABANT ) Idem Curtius: *Orsinis munus currus laudat, Equorum domiti greges sequebantur, curruq; argento & auro adornati.* Ita Ouidius ornat currum Solis.

*Aureus axis erat, temo aureus, aurea summa*

*Curuatur a rotæ, radiorum argenteus ordo.*

Ita triumphantium currus erant argento gemmisque picti, de quibus plura qui de triumphis scripsere.

DISTINGVEBANT INTERNITENTES GEMMAE IVGVVM ) Ouidius.

*Per iuga Chrysolithi, positaq; ex ordine gemma*

*Clara repercussoredebant lumina Phæbo.*

Sidon. *Cui dederant crystalla iugum quam frigore primo*

*Strinxit hyperboreis Tanalica crusta pruinis.*

Sed hic dubitari video, quod iugum Curtius describat, currus, an equorum quadriugorum? plurima sanè de iugis ex Polluce, Homero, Virgilio, Ouidio, Eustathio, Martiale, Hesychio, Cæsare Stevvechio, Liphio conscripseram, sed ex plurimis hæc paucissima accipe. In curru iugum nullum agnosco, aioque iuga tantum equorum & iumentorum collis imponi, quæ iuxta extremum temonem iumentis imposta alligantur. Eustathius ad XIII. Iliados octo ferè genera iugorum recenset, ex quibus nullum est in curru. Est enim iugum equorum, vnde equus iugalis; est iugum boum, & huiusmodi aliorum, à quibus translata significatione coniuges dicuntur, & diuortium, & iurgari sine contendere. Est & iugum libræ, quomodo dicuntur nonnulli libripendes iniuriam facere, seu falsa libra vti. Est & in naui iugum, vnde Zygij remiges dicuntur, quasi iugales. Est & in sandalio, seu calceamento, Pausania teste, iugum *ζυγεςον* seu corrigia & vinculum. Est & in arca. Est & ianua & cytharæ iugum, quæ copiosius apud Eustathium leges. Nos hic iugum equorum intelligimus.

DVO SIMVLACHRA ) Persicorum nempe, Iouis inquam & Solis, seu Mithræ, Orimazi, Arimani, seu Plutonis, hi enim erant Dij Patrij Persarum, vt ex Xenophonte, Plutarcho, Curtio, & sexcentis alijs discimus. Dij persarū

Ex QVO. ) Iugo equorum.

CVBITALIA. ) Cubitus, seu Cubitum sesquipedem explet, non solida fuisse putem, propter onus.

ALTERVM IN ALTERVM. ) Sequor hic Modij & MS. fidem, Aldina editio. *Quorum alterum pacis, alterum belli gerebat.* Augustana, *gerebant*, cætera vt sunt Modiana. Basl. Modium sequitur, vel præcedit potius.

BELLI GEREBAT EFFIGIEM. ) duellatores duo, seu equites cataphracti concurrentes, seu pedites Monomachi. *zwen Ritter gegen einander*, quales multæ apud nos hodie in chartis picturæ.

INTER HAEC AQVILAM AVREAM. ) Signorum militarium, & insignium regibus primum, & antiquissimum reor aquilam auium reginam fuisse, Iouem imaginis auctorem ferunt, cum illam adhibuit in bello contra Titanas, inde ad Getes, ab his ad Traianos, à Troianis in Latium demum ab Aenea deportatam. Vlysses Aldrouandus Lipsium sequutus, ipsos Romanos inuentores huius imaginis, & vsus constituit. Noster Delrius Romanos à Persis aquilarum vsus sumpsisse cæset, quod nec Lipsius inficiatur. Quod mihi vero non procul videtur, cum Persæ multis ante Romanos annis aquila sint vsi, vt Xenophon de vtroque Cyro scribit: *ἦν δὲ αὐτῶ τὸ σημεῖον αἰετὸς χρυσοῦς, ἐπὶ δόρατι & μακρῷ, ἀνατεταμένον, καὶ νῦν δὲ ἐστὶ τὸ τὸ σημεῖον τῶν Περσῶν βασιλεῖ διαμένει*: *Erat ei signum aquila aurea, in hasta longa extensa, at nunc quoque ipsum hoc insigne Persarum regi manet.* Idem in Cyro Minor: *καὶ τὸ βασιλεῖον σημεῖον ὄρεον ἔρασαν αἰετὸν τινα χρυσοῦν ἐπὶ πέλιτις, ἐπὶ ἔυλον ἀνατεταμένον.* Regiū insigne se videre dicebant, aquilam auream in Pelta super hastam extensam. Si Senecæ credendum, tuit aquila iam in caltris antè bellum Troianum, Sic enim ille—

— tota nudatis stetit

Aquila tegiū insigne & imago. Origo.

Acies

*Acies in armis. Area, iam bellum cient,  
Aquilaq; pugnam signifer mota vocat.*

Seneca ex-  
plicatus.

Sed cum Statius nullius Aquilæ meminerit in tota sua Thebaide, Seneca hoc non ex Græcorum vsu, sed Romanorum more loquutus videri potest. Magna mihi copia esset narrandi, de his aquilæ insignibus, & religione, altaribusq; de quibus & Cicero aduersus Catilinam scripsit, & innumeri alij, ego actum non agam, præsertim cum & Gesnerum in promptu habeas, & post Gesnerum diligentissimum Orinthographum Vlystem Aldrouandum.

Artaxerxis  
vestis septē  
millionib.  
æstimata &  
ducentis  
millibus  
Philippicis.

CULTVS REGIS INTER OMNIA LVXVRIA NOTABANTVR ) Iam supra monui ex Plutarcho cultum Artaxerxis fuisse τῶν μυρίων ἑξήσχιλιόν ταλάντων, hoc est duodecim millium talentorum; & credibile est, non fuisse minorem Darij luxum, & fortè an etiam maiorem, cum sequens plerumque sæculum priora tempora vitij & diuitijs superaret. Præsertim cum Curtius exertè Darij regiã vestem admirabilitatis causã describat, & velut luxuriæ exemplum proponat. Porro in descriptione primū genus ponit, mox ad partes descendit, postquã generatim dixit cultū regis luxuria fuisse notabile. Nihil est ergo, quod in stuporẽ datur, qui scripserūt de luxu Romanorū, siue antiqui, siue nostri A Euiã autores. Quid enim est quadringēties HS. ad ducēties, octagies, octies millies cētena millia HS. quæ nõ vnū, sed ducenta millia Philippæorū supra septē millies cētena millia colligunt, quadringēties aut vnum tantū efficiunt nostra æstimatione. Meursius pro floreno ponit, quadraginta staurophoros, nos octoginta pro Philippæo. Quid ergo Plinius Lollia Paulina margaritas vexat cū scribit: *Ne serio quidẽ ac solẽm carimoniarū aliquo apparatu, sed mediocriū etiã spōsaliū crena, smaragdīs, margaritūq; opertã, alterno textu fulgentibus toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisq; quod summã quadringēties HS. colligebãt, ipsa confestim parata nūcupationū tabulis comprobare. Altius Romanarū feminarū luxus (nã virorū moderatior fuit) nunquã ascendit. At si cū Reginis Persarum componas, paupertas fuit, & sobrietas Romanorū luxuria. Integræ ciuitates, prouinciæ, regiones, vectigales erant mūdo muliebri reginarū, supra modū enim, & δεινῶ φιλόκομος, vt Aelianus loquitur, erãt Regina, & Cicero affirmat. Solere, aiūt, barbaros reges Persarū, ac Syrorum plures vxores habere: his aut vxoribus ciuitates attribueri hoc modo: Hęc ciuitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collū, hæc in crines. Ita populos habent vniuersos nõ solū conscios libidinis, verū etiã administratos. Ita de regionibus testatur Socrates apud Platonem, regionem quandam zonam, & aliam calyptram reginã dictam. Et Athenęus de Atyllante Aegypti, quam zonam reginã vocabat. Sed ad regis cultū redeamus. Obserua luxuriam non de Venere, sed veste etiam dici.*

Romanarū  
feminarū  
luxus.

Mūdo muliebri  
Persidū reginarū  
totæ regionis  
vectigales.

PURPUREAE TVNICAË MEDIVM ALBVM INTEXTVM ERAT ) tunicã, pallã seu trabeam, zonam, diadema, acinacem Regis, calami viuis coloribus depingit Curtius, atque totum vestit Regem. Auctor totius ornatus traditur ab Historicis Cyrus, qui conditor imperij Persici princeps induit χιτῶνα πορφυρῆν, tunicã, in quã purpureã, quem ubiq; deinceps reges sequuti, & ipse quoq; Alexander, Plutarcho teste, victor in victorum mores abiit. Ehippus apud Athenæum de eod. Alex. Καθ' ἑκάστην ἡμέραν χλαμύδα τε πορφυρῆν καὶ χιτῶνα μεσόλευκον καὶ χροσίαν ἔχοντα τὸ διάδημα τὸ βασιλικόν. *Quotidie (induit) clamydē purpureã & tunicã albo intertextam, & causiam cū diademate regio. Fuit hæc tunica nõ Persis tantū, sed passim regibus in Oriente vsitata, vt ex Athenæo, & Diodoro, alijsq; disci potest. Hęc tunicam candyn vocabant, etsi certo discrimine Regis & Procerū fuerit distinctus Cãdys, vt dictū. Quod verò Alexander tunicã induerit Persicã, & tamen Candyn respuerit, ostendit diuersum fuisse Candyn & tunicã. Plutarch. enim & Dio: Siculus disertè affirmant tunicã μεσόλευκον Alexandro sumptã, Candyn reiectū. Rursū pro eodē sumptã tunicam & Candyn videtur Lucianus docere, apud quē Philippus pater filio obijcit, quod Cãdys Persicū, οὗ ὃ καὶ τὴν μακεδονικὴν χλαμύδα induerit. Vt Suidas docet; κἀνδύς χιτῶν περσικός, Candys Persicum amiculum est. Plenius super his amiculis Brissonius, nos ad Curtium redeamus.*

PALLAM AVRO DISTINCTAM) hac extima veste totum voluit regem, imò etiã proceres, tegi Cyrus: hoc Xenophon in Cyripædia narrat, quem adibis. Causã idẽ addit, vt vitia corporis, si quæ essent, tegerentur.

Stolã accipe pro trabea, seu Palla ad talos vsq; promissa, sic enim de ea Iustinus scribit, cū de Alexandro in Persas degeneratẽ narrat. *Amicos quoq; suos longã vestē aureã, purpureãmq; sumere iubet, vt luxum quoq; sicut cultū imitaretur Persarū.* Huius primã repertricẽ Diodorus Siculus, & Iustinus Semiramidẽ faciūt. Quamquam Strabo Medæ hanc laudem trãscribat. Hic ille tanti precij cultus fuit. Multa & magnifica super hac palla Brissonius de regno Persarū, quã aureã, & gemmatã & belluatã fuisse multorū tabulis ostendit, vt nihil ambitiosius, & augustius videri potuerit. Quadratã format Halicarnassens, vbi de dono legatorū Hetruscorū, ad Tarquiniū missorum memorat. *Cum hoc resposo dimisi legati, post paucos dies redeūt, non nuda verba tantū adferentes, sed & principatus insignia, quibus suos reges ornare cõsueuerant, coronã aureã, & sellã eburneã, sceptrumq; in summitate habens aquilã, & purpureã tunicã, purpureumq; amiculum variū, qualia Lydorū, atq; Persarum reges gestarunt, nisi quod nõ quadratã, vt illa, sed sigma erat semicirculi.* Palla ergo, vt vides, Persarū quadratã erat, vt pallium Græcorū, de quo Tertullian. Pallij extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab vtroq; laterum regeffus, & ceruicibus circumstructus, in fibulæ morfu humeris ac quiescebat. Hanc passim scriptores appellat:



σολὴν περσικὴν βαρβαρικὴν, μηδὲ κεν σολὴν. *Vestem Persicā, Barbaricam, Medicam.* Noster Curtius pallam.

PALLAM AVRO DISTINCTAM AVREI ACCIPITRES VELVT ROSTRIS INTER SE CORRVERENT EXORNABANT) Pallam Latini muliebrem stolam potius quàm virilem affirmat. Nonius: *Palla*, inquit, est honesta mulieris vestimentum, hoc est tunica pallium. Plautus: *Pallam ad Phrygionem fert confecto prandio.* Lucilius. *Cum tecum est quidvis? satis est: visar alieni.*

*Sint homines, spiram, pallas redimicula promit.*

Virgil. *Ferre iubet pallam signis auroq; rigentem.*

Aurei accipitres belluatam fuisse docent vestem, Virgilius dixit: *Signis auroq; rigentem.* Philostratus. *ἔδοριῶν τερατώδεις μαρῆας, ὅσα ποικίλλουσι ἐσθῆραροι.* Et ferarum horribiles formas, quales barbari variè effingunt. Voluit autè Darius pallam accipitribus ornari, quod Darius prior omen imperij ex accipitribus, vt Herodotus est auctor, accepisset.

VELVT ROSTRIS INTER SE CORRVERENT) laudo cū Modio, & vulgatis etià quibusdam editionibus, CORRVERENT, vehementius est, & acerrimorū alitum imperū exprimit, lāgudius est CORRVERENT, *rostris coruscarent.* Corruere autem est ex aere simul in terram ruerere, sicut turres, & moenia, & tecta corruunt, nisi quod huc casuaves quasi consilio pugnandi gratia rostris corruant, vel simpliciter est huius verbi vis cadere: vt, risu corruui, victima caesa corruit.

ADORNABANT) adde auro, & signis, etiam gemmas, & nobilissimos lapides, vt ex profanis & sacris historijs constat. Ingressa igitur (Esther) cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regijs, auroq; fulgens, & preciosis lapidibus.

ZONA AVREA) vti palla muliebri magis, quàm virile palliū est, ita zona, vt non gratis adiecerit Curtius, muliebriter cinctus. Induit zonam etià Alexander victi Darij, vt Diodor. Siculus est auctor. Plutarchus Persas zonæ adoratores appellat in Alexandro. Herodianus *χρῶνας ἀναζωσμένους.*

ACINACEM SVSPENDERAT) zona gladium suspenderat, pendeat è zona aurea acinaces. De Acinaci suprà copiosè dictum.

VAGINA EX GEMMA) non gemmis ornata, sed tota gemmea, & vna gemma, nisi Curtius *τροπικῶς* partem pro toto accepit.

CIDARIM PERSAE REGIVM CAPITIS VOCABANT IN SIGNE) Cydaris, diadema, tiarā, Cyrbasia, ἀπιξ, πῆλος, σπονιμῶες appellantur. Gestabant tamen non reges tantum Cidarim, siue tiaras, sed etiam proceres, & milites Persarū hoc discrimine, vt regis apex esset acutus instar metæ, aut inuerti turbini, reliquorum in frontem flexus curuabatur. Quales hic in vestuarijs illustriū Fuggerorū aspexi, quos lingua nostra Zudenhiit (quam verè nescio) appellamus, supremus enim apex velut indici Galli rostrum frontem versus pendet. Rectam autem tiarā seu Cidarim soli imperatori Persarū licebat gestare. Quod Xenophon amplissimus testis asseuerat: *τὴν μὲν γὰρ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ Ἰάραρον βασιλεὺς μόνον ἔξῃσιν ὄρθην ἔχειν.* *Tiarā in capite soli regi fas est rectam gestare.* Aristophanes in Auibus.

*Διὰ ταύτ' ἄρ' ἔχων, ἔξ νῦν ὡσπερ βασιλεὺς ὁ μέγας*

*Ἐπὶ γῆς κεφαλῆς τὴν κυρβάσιαν τῶν διεσῆσκει ὄρθων μόνον ὄρθην.*

*Quapropter & tunc incidit gestans in capite solus*

*Velut magnus rex, Cyrbasiam rectam.*

Ad quem locum interpretes. *πᾶσι γὰρ πέρσους δὲν τὴν τιάρην φορεῖν, ἀλλ' ὁδὲ ὄρθην, ἕως κλείταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ, μόνος ὃ οἱ τῶν περσῶν βασιλεὺς ὄρθης ἔχωντο.* Omnibus enim Persis licet tiarā ferre, sed non rectā: (vt Clitarchus in decimo tradit) soli autè Persarū reges viebantur rectis. Qui plures desiderat testes, apud Brissonium reperiet tā multos, quam multos nemo negotiosus volet cognoscere. Mihi omnis cura est formæ Tiaræ exprimentæ. Tiarā seu Cidarim, vt Brissonius ex Thucydidis Scholiasta, Dionysio Halicarnaseo & alijs docet, figuram habet crinium in acutum desinentium. Halicarnasei locus est insignis: Salij apices quos vocant, capitibus ferunt, pileos altos ad formam coni factos, quos Græci Cyrbasias nominant. Tiarā Strabo *πλήμα πάργωτον* turritum pileum appellat. Aristophanis interpretes, tiaras affirmat habuisse pauonum alas & oculos. Forma, vt cūq; reor, descripta est Persicæ tiaræ, quæ ritu metæ seu coni surgebat, & in apicem desinebat, vt hodie turcarum pilei, nobis *turbant*, vel *Turfschehiit* dicti. Sed addendum quoque tiarā probè munitum fuisse caput Persarū, temporaq; cincta. Erant confectæ ex pannis, non lanis & villis coactæ, proinde illas Herodotus *ἀπαγέας* vocat, vt Romanos pileos Martialis describit.

*Tritis pilea fura de lacernis.*

Erant Persis debilia capita, eoq; benè munita, & quia benè semper tecta, fortassè debilia. Non dum hoc decus regium cidaris seu Tiaræ perfectum est, addit enim Curtius diadema.

HOC CAERVLEA FASCIA ALBO DISTINCTA CIRCVIBAT) antequam dere & diademate agamus, scriptura Curtiana emendanda est.

Omnia quæ vidi exëplaria, & quæ nō vidi, sed ex fide aliorum visa, etià MSS. habet *hoc cerulea fascia albo distincta circuibat.* Modius vel imprudens errorem silentio transmisit vel dissimulavit. Acidalius ex Lipsio animaduertit, & conatur felix esse præ Lipsio Sulla, atque ex cerulea facit erubea & *mibi*, inquit, quod posui valdè blanditur, addit idem modestè, *nondum tamen etiam satis se probavit.* Nempetuum cuique pulchrum, alij conijciunt legendum *hocce rubea*, nam quid est erubea, an

Lib. 6. c. 11.

vox in Latio cognita? Cum nec rubeum latina ciuitate sit donatum: acutissimus Lipsius vel *coccinea* pro ceruleo, vel *ceruleum* vt referatur ad cydæris insigne, scribi posse existimat. Sed & ipse damnat ferè suam coniecturam, nec Sullæ cognomen hic sibi ominatur, quod illi omninò Acidalius abiudicat, & sibi transcriptum (quamuis timidè, quasi diuinaret infœlicem coniecturam) vitiosè colligit particulam, e, sic intendere, cum semel apud Virgilium, simplici quoque vice apud Ouidium, & Aufonium augeat simplex verbum, vt gelido sit frigidior, egelidus Boreas, & egelidum flumen, & edurus pro valdè durus. Faceret probabilem scripturam, si ostenderet vsum nominis *erubeus*. Quid ergo, inquis, tu censēs? Sphingem mihi optem. Curtius album & atrum narrat, cum hic ceruleum, mox purpureum ponit. Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit. Sed omnia exemplaria ita conspirant, vt propemodum *σφάλμα ἀμνήμων* Curtiumque ἀμνήσια, seu memoria lapsum putem, quemadmodum & infra peccauit in Lyrnesso Ciliciæ vrbe, vti suo loco admonebo. Sed Curtium, vt benignius interpretemur, scripsisse reor: *hoc ceruleum fascia purpurea albo distincta circuibat*, vt etiam tiaræ colorem exprimeret, librarij vitio vocem purpuream præteritam. Ita insigne regum tribus coloribus illustre magis eminebat, albo inquam, rubro & ceruleo; sed mittamus incerta, & ad diadematis descriptionem veniamus. Diadema si notationem verbi & originationem spectro, à Græco est διάδημα, redimiculum seu fascia, à διαδέω reuincio, cingo, redimio. διάδημα tandem ad regum tantum transijt insignia. Forma diadematis non fuit nisi fascia candida & tenuis, qua regum frontes cingebantur, qualis in priscorum regum iconibus visitur. Lucianus ταινίαν λευκὴν, candidam tainiam seu fasciam dicit. Suetonius, candidam fasciam. Silius, vittam albam. Ammianus, fasciolam candidam. Valerius, pannum. Stobæus, βία.

REGIVM CAPITIS INSIGNE) alibi regni insigne, decus capitis sui, vt & Seneca appellauit, Lilius, regium insigne Tacitus, regium decus Salustius, regiæ frontis notam Seneca, frontem regium in morem redimitam Florus, albatum diadema Egisippus; de fascijs dixi suprâ.

DECIM MILLIA HASTATORVM) ἀχιμοφόρους appellat Herodotus, quales & Xerxes habuit, quos equites fuisse non decerno, cum de peditatu speciatim subiungat Curtius. Sed Herodotus videtur pedites fecisse ἀχιμοφόρους.

HASTAS ARGENTO ADORNATAS) Monuerat olim Philippum Apollo

ἀργυρέαις λόγχαισι μάχῃ καὶ πάντα κρατήσεις  
Hastis argento munitis omnia vinces.

Sed alioiortum dixit hoc oraculum, vt argento corrumpere hostium ministros, & futurum vt vinceret. Charidemus suprâ, quamuis capitis iactura, monuerat Darium, vt argentum hoc & aurum ad conducendum militem peregrinum & Græcum mitteretur.

PROPINQVORVM) distinxit Curtius à cognatis propinquos, vt suprâ monui.

TRIGINTA MILLIBVS PEDITVM) fuere ergo priores equites, turba inquam circum regem occupatam antegressa & secuta, quam custodiæ causa sequebatur peditatus, vti Rex in medio armorum tutissimus incederet & ipse velut anima exercitus.

EQVI REGII QVADRINGENTI) ad omnem vsum regis parati in prælio & fuga, quæ spes est vltima victi, & sanè fuerunt necessarj Dario fugituro.

INTERVALLO DEINDE VNIVS STADII) ne Veneris turba cum horrido Martis satellite misceretur: sic apud Herodotum præmissis exercitu post duorum stadiorum intercapedinem turba promiscua sequebatur. Μετὰ δὲ τῶν ἵππων διέλειπε καὶ δύο σταδίας, καὶ ἔπειτα ὁ λοιπὸς ὄμιλος ἦν ἀναμίξ. Post equitatum relicto duorum stadiorum spatio reliqua turba permixtè ibat.

SISYGAMBIM) Sequitur totum Darij Gynæceum Mater regis, & vxor cum aulico famulatu, & nec pellices quidem CCCLX. defunt genus ad colum natum, cui possis cum Ioue apud Homerum dicere

---οὔτοι - δέδοται πολεμῆα ἔργα  
Αλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο  
Ταῦτα δ' Ἀρχιβαῶ καὶ Ἀθηνῆ πάντα μέλησσι.  
Non tibi datum bellica sequi studia  
Tu dulces cura thalamos, hæc celeri Marti & Minerva relinque.

Cætera Sisygambis fœminarum præstantissima, vtramque fortunam virili animo tulit, nec aduersis rebus fracta, nec secundis repente elata aut mutata, quod infrâ victo Dario captiua te docebit.

CONIVNX) Eademque soror, quæ vterum ferebat ex Dario, non Atossa, quæ superioris Darij vxor fuit, causa Dario belli Græcis inferendi, Herod. 7. AEl. hist. Anim. 11. c. 27.

REGINAS) Matrem & vxorem opinor tantum reginas appellat. Quamuis enim legibus Persarum Regi, Proceribus etiam fas fuerit, non solum quot vellent pellices legere, sed legitimas vxores ducere (vti Cicero confirmat, & Herodotus Dario quatuor vxores fuisse narrat) Dario tamen huic vltimo, non nisi vnicam fuisse intelligo.

TVREA

**TVRBA FOEMINARVM**) aulicum gynæcum, nec est quod mireris equis vestas esse foeminas Persarum, regem enim etiam venaturum sequebantur. Liuius: *Darium Alexander mulierum se spadonum agmen trahentē, inter purpuram atq; aurū eueruatū, fortuna sua apparatus prædam verius quam hostem, nihil aliud quam bene ausus vana contemere, incruentus deuicit.* Darius ipse de hoc agmine muliebri infra: *Vlu se didicisse preciosam suppellectilem, pellicetque & spadonum agmina nihil aliud fuisse, quam onera & impedimenta.*

**ARMAMAXAS**) vox Persica **HARMAMAXA** vel **armamaxa**, genus vehiculi quo foeminae vectabantur. Arriani interprese sedum vertit. Ego lecticam potius curulem fuisse conijcio, cum foeminarum vsibus seruiret. Brissonius plura de his curribus & lecticis.

**LIBERI**) Duæ filiae quarum alteram Statiram, vt Plutarchus de Fort. Alex. li. 2. appellat, Barfinē vt Arrianus l. 7. Plutarcho Artabazi filiam, Curtius infra lib. 4. Saptinam vocat, à Dario oblatam Alexandro, quam postea duxit Alexander, alteram Drypetim minorem natu, quā Alexander Hephæstioni despondit, Arrianus lib. 7. & Ochus puer.

**ET QUI EDUCEBANT EOS**) Modius ineptè legi contendit: qui & rescribit *qua*, refertque vt reor, ad nutrices. Sed Aldi scripturam laudo, seruoq; cum antiquis exemplaribus omnibus, *qui educabant*, vel *educabant*. Sed Modius nobis recta corrigit, immemorque quod in Alcibiade Plato docuit, liberos regios, præsertim hæredem & maiore natu, non obscuris mulierculis, sed præstantissimis Eunuchis & optimis viris in disciplinam traditos, qui eos ad omnes regias virtutes educerent informarentq; & hoc in ipsa infantia simul ac lucem primam hausit. Seruanda ergo prima scriptura *qui educabant eos*, non *qua educabant*. Quamquam haud nescius sum subinde liberos regios etiam nutricibus commissos, sed magnum fuit discrimen inter liberos regios reginarū & concubinarū.

**EDUCEBANT**) Ita præfert Aldi codex, nec malè, sic Terentius, Tacitus, Claudianus, alij loqui soluere. Ita educata, vti &c. In contubernio eductus, disciplinis eductus, nec tamen altera & vulgaris scriptura improba, *educabant*.

**SPADONVMQVE GREX HAUDSANE ILLIS GENTIBVS VILIS**) Spadones (vt originem verbi aperiamus) à Spadis castello seu vico Persico dicti, vbi primum mares exfecti & spadones facti. Steph. *Σπάδα οὐδετέρως κἀμὴ Περσικὴ ἐν ἡ πρώτῃ εὐνυχισμὸς γέγονει, ὅθεν σπάδοι λέγονται.* *Spada neutro genere vicus est Persicus, in quo primum Eunuchi facti, vnde & spadi seu spadones appellati.* Plura de Spadonibus Brissonius, vbi & de causis & origine eorundem, & apud quas gentes in precio.

Committebatur his custodia gynæcæi & reginarum, pellicumq; regiarum, & puerorum, vt ex Eftere & Platone dici potest. Philostratus narrat spadones sine omni suspitione in Græconitide diu noctuq; versatos. Idem Heliodorus, Lucianus, Dio Chrysoftomus, alij affirmāt. Alij regibus & principibus Cæsaribusque à cubiculis erant, alij à thesauris, alij à custodia corporis, vt apud Xenophontē Cyro, alij à mensæ ministerio. Alij etiam exercitus duxere. Iure ergo Curtius docet non vilem fuisse Perlis Eunuchum, quod confirmat Herodotus: *ἡμῶν τεροὶ εἰσοὶ εὐνυχοὶ πῖσιθ' εἶνεκα τῆς πάσης τῶν ἑνοραίων.* *In maiori pretio quam integri sunt Eunuchi propter fidem.* Copiarum ductores fuere alij, alij consules, patriarchæ, alij alijs honoribus primis apud Cæsares, reges & principes perfuncti.

**PELLICES REGIAE CCC. LX.**) More hoc regio non Persarum tantum, sed plurimarum gentium factum sacræ & profanæ literæ narrant. Multa super his Brissonius. Athenæus ex Dione & Heraclide Cumano docet Regem Persarum à CCC. mulieribus custoditum, quæ interdū somnū capiebant, totā noctem infonnem accensis lucernis canendo psallendoq; traduxisse. Dario Alexander in circūducendis nil concessit, immò plures adiecit, vt Curtius infra refert. Recogrosce principum Christianiorum castimonia, cum paganorū aut Iudaeorum etiam licentia comparatam. Singula separatim iustino teste recludebantur. Liceat nobis alia ignorare.

**ET IPSAE REGALI CVLTV**) Nec honoris fuere expertes, quin antequam ex Ionia, aut aliūde apportarentur, XII. prius mensibus clam in gynæcæo poliebantur, vnebantur, ornabantur, Regibus etiam adsedis produnt literæ, nullum igitur ferè discrimen erat inter reginas vxores, & hæc *παμακίδας* regias, nisi quod diademate carerēt. Nā de vxoribus & legitimis reginis diademate cultis præter sacra literarū testimonia Iosephus, Plutarchus, Heliodor. Sulpitius Seuerus tabulis cōfirmant.

**SEXCENTI MVLI**) nongenta iumenta portarunt gazam Darij, triginta millia Alexātri magni pecuniam. Pecunia, vti & omnia impedimenta, nunquam siue in via, siue in castris sine præsidio militari relinquebantur. Sagittarij dicuntur, qui sagittas ex arcu mittunt, quarum auctorem ferunt seu Scythem Ioue natum, seu Perfen Persei filium. Præsidium addebatur non contra hostes tantum, sed etiam feras, quæ camelos, aut equos, aut mulos quandoque inuadebant.

**PROPINQVORVM AMICORVMQVE CONIVGES**) Vti supra docuimus, reginas & pellices regem in castra & venationes secutas, ita procerum quoque coniuges suos sequebantur maritos, imò & pellices, quorum singulis plures habere licebat. Surena prorex Parthorum ducenta vehicula pellicibus ad bellum profecturus onerabat.

**LIXARVMQVE ET CALONVM**) Lix cinis est, vel humor cineri mixtus, vnde lixiuū. Elix om quicquid aqua coctū est. Lixa veteribus aqua dicebatur, Lix militum serui, qui aquam militibus vehunt ad castra, vel ad tentoria. Lixas Festus aliunde deducit. Lixas, inquit, qui exercitum sequuntur

quæstus gratia, dicti quod extra ordinem sint militum, eisque liceat quod libuerit. Alij eos à Licha appellatos dicunt, quod & ille Herculem sit secutus; quidam à liguriendo quæstum. Eidem Festo a libi metelli nuncupati, alijs mercenarij.

*Calones* δῆλοι δημόσιοι publici serui. κάλα Græcis ligna, calones serui qui militibus ligna subministrant, vel vti Festus originatur, quia ligneas clauas gerebant, quæ Græci κάλα vocant. Plauto caulæ.

VLTIMI LEVITER ARMATI) Φιλοτότων exercitum claudebant leuiter armati, quia remotissimi ab hoste leuiter armatorum nomine funditores, sagittarios & iaculatores intellige, & omnes qui telis hostem eminus petunt. quorum loco Romanis erant Velites leuis armaturæ, hastis, gladijs & parmis instructi.

CONTRA SI QVIS ACIEM MACEDONVM INTVERETVR) Eodem modo supra contendit copias Darij cum phalange Alexandri Charidemus, & illas contempfit, hanc prædicauit.

EQVIS VIRISQVE) loricatis, probeque armatis, eoque ferro & ære fulgentibus, non purpura, gemmis, auro & argento.

NEC TURBA) Lixarum, calonum, fceminarum, spadonum.

SARCINIS) quas etiam diripi passus est in secundo conflictu, easdem mox cum vniuerso regno Asiæ recuperaturus.

INTENTVM AD DVCIS SIGNVM) supra: ad nutum monentis intenti, sequi signa, seruare ordines didicere.

CASTRIS LOCVS) vbique fuit locus, cum esset iusto non maior exercitus, quem quiuis locus non angustissimus caperet.

ERGO ALEXANDRO IN ACIE MILES NON DEPVIT) Sequitur Epiphonema capitis huius & vtriusque exercitus comparationis.

NON DEPVIT) pro loci natura habuit Alexander satis magnum exercitum, Darius nimis magnum, quo propter faucium angustias vti non potuit, eoque ad paucos redactus. Quod primum Darij fuit peccatum, quando etiam ea de re monitus non didicit parere, cum prima sapientia sit, vt Hesiodus & Liuius docent, posse quemque per se quod optimum sit factu perspicere, proxima bene consulentibus obsequi; postrema & deterrima nec per se sapere, nec sapienter suadentibus obsecundare velle aut didicisse. Pauper ergo & sine exercitu ferè fuit Darius, cum copijs maximè abundaret. Dux ergo multitudini, & pauci ab Alexandri parte, propter ducis prudentiam pares, imò superiores pluribus fuere.

## C A P V T V I I I .

### A R G V M E N T V M .

Alexander ad castra Cyri venit, Arsames stulto consilio Ciliciam, cui præerat, vastat, portas inde Cilicias per Taurum adeundas describit Curtius, & miratur angustias aditus à Persis desertas. Tum ipsam Ciliciam calamo adumbrat, & antiqua monumenta eruit, Cydnum amnem laudat.



INTEREA Alexander Abistamene Cappadocia præposito, Ciliciam petens cum omnibus copijs, in regionem qua Castra Cyri appellatur, peruenit. Statina illic habuerat Cyrus, cum aduersus Crasum in Lydiam exercitum duceret. Aberat ea regio quinquaginta stadia ab aditu, quo Ciliciam intramus: Pylas incolæ dicunt, artissimas fauces, munimenta, qua manu ponimus, naturali situ imitante. Igitur Arsames, qui Ciliciæ præerat, reputans quid in initio belli Memnon suassisset, quondam salubre consilium serò exequi statuit. Igni ferroq; Ciliciam vastat, vt hosti solitudinem faciat: quidquid vsui esse potest corrumpit, sterile ac nudum solum, quod tueri nequibat, relieturus. Sed longè utilius fuit, angustias aditus, qui Ciliciam aperit, valido occupare presidio, iugumq; opportune itineri imminens

*imminens obtinere; unde inultus subeuntem hostem aut prohibere aut opprimere potuisset. Nunc paucis, qui callibus praesiderent relictis, retrò ipse concessit populator terra quam a populationibus vindicare debebat. Ergo qui relictis erant, proditos se rati, ne conspectum quidem hostis sustinere valuerunt, cum vel pauciores locum obtinere potuissent. Namque perpetuo iugo montis asperi ac praerupti Cilicia includitur: quod cum à mari adsurgat, velut sinu quodam flexuque curuatum, rursus altero cornu in diuersum litus excurrit. Per hoc dorsum, quod maximè introrsus mari cedit, asperi tres aditus, & perangusti sunt, quorum vno Cilicia intranda est, campestris eadem, qua vergit ad mare, planitiem eius crebris distinguentibus riuus. Pyramus & Cydnus inclyti amnes fluunt, Cydnus non spacio aquarum, sed liquore memorabilis: quippe leni tractu è fontibus labens, puro solo excipitur. nec torrentes incurrun, qui placide manantis alueum turbent. itaque incorruptus idemque frigidissimus, quippe multa riparum amœnitate inumbratus, ubique fontibus suis similis in mare euadit. Multa in ea regione monumenta vulgata carminibus vetustas exederat. Monstrabantur urbium sedes Lyrnessi, & Thebes: Typhonis quoque specus & Corycium nemus, ubi crocum gignitur, ceteraque in quibus nihil propter famam durauerat.*

ABISTAMENE CAPPADOCIAE PRAEPOSITO) Non exponit Curtius, quid in Cappadocia fecerit Alexander, sed cum Abistamenem praefecerit regioni, nullo negotio lector colligit occupatam ab Alexandro prouinciam, quod exerte Arrianus, paucis tamen verbis narrat. *αὐτὸς δὲ ἐπὶ τῆς Καππαδοκίας ἐλάσας, ζύμπασαν τὴν ἐντὸς ἄλλου ποταμοῦ προσηγάγετο, καὶ ἐπὶ ὑπὲρ τὸν ἄλλον πολλῶν.* Ipse in Cappadociam mouens, omnem qua cis Halym fluiuium est regionem, & partem aliquam eius qua trans Halym est, subegit. Cappadociam apud Ptolemæum, Strabonem, Plinium, Solinum descriptam leges. Ab occasu minorem Armeniam claudit; à Septentrione longo littore in Euxinum expanditur. Et hoc est quod Plinius ait, illam omnium Ponticarum longissimè introrsus recedere. A meridie angusto excursu Ciliciam attingit, vti ab occasu rursus Galatiam & reliquam Paphlagoniam finit; ab oriente magnam habet Armeniam, iuxta Euphratem, dicta Leucosyris Eustathio, Plinio Cappadocia à Cappadoce amne. Plura suggerent Geographi. Inspice primam Asiae tabulam apud Ptolemæum & Strabonem.

CASTRÀ CYRI) Noster Curtius hic abit à mente Arriani, qui castra Cyri à Cyro minore dicta ait, Curtius à maiore, qui Crœsum cepit. Modius negat sibi liquere vter rectè sentiat. Ego haud dubius pro Arriano steterim, cui Xenophon fauet. Nam de Cyri maioris contra Crœsum euntis castris hisce, vix vlla mentio, nisi cum in Pteriàm venit regionem Cappadociae, non procul Synope ad pontum Euxinum sita, qui locus erat munitissimus. Eodemque loco sua Cyrus maior castra metatus est. Sed enim cum Pteria recedat ad Pontum Euxinum, & iuxta Sinopen, quæ procul abest ab aditu Ciliciae, sita sit, hæc Cyri maioris castra huc non pertinebunt, cum hæc à Pylis Ciliciae non amplius quinquaginta stadiis absint, quæ paulò amplius sesquimilliare efficiunt. Nec lego vsquam hic habuisse Cyrum maiorem statiuam. Sed de Cyro minore ex Xenophonte res certa est, vt omninò concedam in Arriani partes. Nam Xenophon easdem fauces & simul Cyri minoris ad eandem aduentum castraque hisce verbis exponit: *Εὐρεῖθεν ἐπεισῶντο εἰς βάλανον εἰς τὴν Καλικίαν.* & c. Hinc in Ciliciam traiectionem molitur. Additus erat via *\* curulis admodum ardua, & copijs militaribus, si sit qui arceat, inaccessibleis atque inexpugnabilis. Dicebatur huic imminenti iuga Syenneses (Cilicia rex) obsidere, aditumque custodire. Quapropter (Cyrus) vnum diem in campis subsedit. Ad hunc planè locum & castra Cyri minoris venit, vt Arrianus docet, Alexander, antequam Pylas seu angustias exploraret & ingrederetur. Aberant castra Cyri à portis Ciliciae quinquaginta stadia in campo sita, vt inonui. Strabo emendandus videtur ab operarum macula, cum ita scribitur: καὶ Κυρίων στρατόπεδον διὰ Τυάων. Et Cyrini (Cyrilegendum) castra per Tyana.*

\*plaustris inuia si legas ἀναμάζετο. Curtius tamen quaternos armatos ait cepisse.

ADVERSUS CROESVM IN LYDIAM DV. EXERCITVM) De Crœso Lydorum rege opulentissimo à Cyro maiore capto, copiosè Herodotus, Xenophon, Ctesias, Iustinus, & multi passim alij tradidere. Sed Herodotus, Xenophon & Ctesias planè diuersa narrant, quos videbis, neque enim hic opus pluribus.

PYLAS INCOLAE DICVNT) Πύλαι Græca vox, portas valet Latinis: Cilicia à Cilice Phoenice Agenoris filio nuncupata. Ab occasu habet Pamphyliam, ab ortu Syriam, à meridie Issicum sinum, à Septentrione Cappadociam, qua venit Alexander. Tres habet aditus perangustos, primus qua ex Cappadocia Tarsum versus tenditur, qui tam arctus est, vt similitudinem portarum referat. Et de his faucibus & ingressu in Ciliciam hic sermo est. Alter est quo ex Cilicia per portas Amani montis in Syriam exitur, haud procul Isso: tertius ad portas Syriæ est. Media, post aditum, est campestris, per quam Pyramus & Cydnus fluit. Ternæ pylæ sunt auctoribus nominatæ, pylæ seu portæ Ciliciae à Septentrione, quibus per angustias venit in campestem Ciliciam, alteræ ad Amani montis radices, quibus in Syriam aditur & Cilicia finitur. Tertiarum portarum Syriæ seu Cilicæ sunt extremæ ad si-

num Illicum, quem attingunt iuxta mare. Hic Camertis, qui Solinum Commentarijs illustravit, errorem emenda, portas Cilicias cum Amanicis confundentem, cum & Curtius, & Xenophon, Strabo, Solinus, & alij auctores diuersas affirmant. Nam Ciliciæ portæ, quas Alexander ingressus suam felicitatem & hostium stultitiam admiratus est, sunt quibus ex Cappadocia, vt dixi, aditur campestris Cilicia. Amanicæ, quibus exitur in Syriam, Syriæ seu Ciliciæ sunt tertiæ, quibus finitur Cilicia versus orientem diuersæ ab Amanicis. Sed de his infra copiosè. Obserua à Strabone & Solino veterem Ciliciam aliam dici extra montem Taurum versus sinum Illicum (quæ postteris sola Cilicia) aliam intra Taurum, quæ ad Cappadociam, Pamphyliam & Lycaoniam pertinet.

**MVNIMENTA**) Propugnacula, claustra viarum; alioqui sunt etiam arma quibus corpus tegimus. Extremæ pylæ quibus Syria petitur & Amonicæ dicuntur, sunt arte factæ, murisque geminis clauduntur, vt infra cognosces.

**IGITUR ARSAMES**) Satrapa Ciliciæ in bello ad Granicum inter Satrapas primo loco ponitur ab Arriano, pro Dario propugnans vel potius fugiens, de quo mox ex Arriano plura.

**MEMNON**) supra cap. 3, de hoc, eiusque molitionibus & morte prolixè narratum. Consilium porrò illius maturum ex reliquis ducibus maximè oppugnauit Arsites, Phrygiæ, quam ad Hellepontum est, satrapa, vt Arrianus copiosè describit.

**SERO EXEQUI**) ---sero Phryges, hostium partes cœpit agere Arsames, quod Curtius acerbo dicto carpit: *Populator, inquit, terra, quam à populationibus vindicare debebat.*

**QVONDAM SALVRE**) Occasio præterita frustra reuocatur. Consilium erat vt hosti solitudo fieret, & lignatione, frumentatione, pabulationeque prohiberetur, sine quibus nec eques, nec pedes progredi potest. *Sæpius enim panuria quam pugna consumit exercitum, & ferro sauior fames est.* Reliquis casibus potest in tempore subueniri: pabulatio & annonæ in necessitate remedium non habet. Hoc ergo à principio Memnonis erat consilium, vt Arsames corrumpere frumentum & pabulum, & hostis inopia frangeretur. Sed Arsames serò executus est consilium, hoste super caput illorum imminente, vt Arrianus testatur.

**LONGE UTILIUS FUIT**) Euentum magistrum esse stultorum Arsames sensit, qui sibi plus quàm hosti nocuit.

**ANGUSTIAS ADITVS**) quas si custodisset Arsames, saxis obruere subeuntè Alexandri militè ipso Alexandro teste poterat. Has Ciliciæ portas, non Amanicas supra ex Xenophonte descripsimus.

**IVGVMQVE**) montis Tauri. Tauro à Septentrione, & Cilicio mari à Meridie tota Cilicia claudatur. è Tauri dorso in prætereuntes poterant saxa deuolui, ipsæ angustia & pylæ milite valido claudi, vt ne singuli quidem possent penetrare. Sed has occasiones omnes stolidus hostis neglexit, & viam Alexandro præbuit in Ciliciam. Carolus Magnus ex Hispanijs reuersus in Pyrenæis saltibus cum milite vltimum discrimen subiit, clarissimis suorum amissis, incolis ex alto & tuto in subiectos pugnantibus.

**INVLTVS**) Nempe à loco superiore, & montis iugo pugnantes.

**NVNC PAVCIS**) Arrianus valido præsidio infellas affirmat. *Cum ad Cyri castra venisset, qui cum Xenophonte erat, vt pylarum angustias valido præsidio teneri vidit: & quæ sequuntur.*

**CALLIBVS**) viarum angustijs: Callis Seruio est lemita tenuior, pecorum pedibus prædurata.

**RETRO**) ad interiorem Ciliciam, Tarsum versus.

**POPVLATOR TERRÆ**) præclara laus præsidis prouinciæ, quid hostis potuit in hostico amplius facere? omniaque tanquam externa aut vrbes hostium vrere, vastare, rapere, vt a finali Tacitus testatur, quod peregrinus & conductus mercede miles solet.

**PRODITOS ERATI**) Cum omnia retro fumo incendioque misceri cernerent, prædæ se relictos & cædi existimarunt.

**PAVCIORIS**) sed viri, non fugitiui, quibus omnibus in pedibus salus.

**NAMQVE PERPETVO IUGO**) Descriptio Ciliciæ, quam ait Tauro à Septentrione, & mari à meridie totam includi, montem asperum appellat, à quo aspera Cilicia à primo Pamphyliæ ingressu, & extremo ad Amani portas, egressu, & à Pylis etiam Ciliciæ, qua à Septentrione per Cappadociam aditur, per quam Alexander venit. Tabulæ Geographicae inspiciendæ.

**QVOD CVM A MARI ADSURGIT**) Xenophon i. An. *ὅρι δὲ αὐτὸ περιέχει ὄχρον καὶ ὑψηλὸν πᾶν καὶ ἐκ βαλάντης εἰς βάλατον.* Mons autem campum cingit arduus & altus omnino, à mari ad mare.

**DORSVM**) iugum, tergum, verticem Tauri, introrsus continentem versus recedens à mari.

**TRES ADITVS**) per Ciliciæ portas, qua castra Cyri fuere à Septentrione, vt dixi, & Amani pylas, quibus exitur in Armeniam, Tertium ad Syriæ portas. Solinus de Tauro: *Vbi debiscit hiulcis iugis facit portas, quarum prima sunt Armenia (ab Oriente nempe & Syria) tum Cassia, post Cilicia.* Plinius de Tauro: *Portarum nomine sibi vnitatem vendicans, qua alibi Armenia, alibi Cassia, alibi Cilicia vocatur.* De Syriæ portis infra ex Xenophonte plura.

**QVORVM VNO CIL. INTRANDA EST**) Ex Cappadocia à Septentrione, nam à Syria & ortu per pylas Amanicas aditur, qua nempe venit Darius.

**CAMPESTRIS EADEM**) Ex monte Tauro post pylas descenditur in pulcherrimam planitiem Pyra-

Pyramo, Saro & Cydno irriguam, quæ usque ad Tarsum excurrit. Xenophon: *Hinc descendit in campum ingentem, amenum & irriguum, omnique genere arborum & vitium plenum.*

PYRAMVS) Xenophon: *Inde primis castris M. pass. XX. ad Pyramum progressus. huius nihilo minor stadio latitudo est.* Strabo: *Διὰ δὲ τῆς Καταονίας ὁ Πύραμος πλωτὸς ἐκ μέσης τῆς πεδῆς τὰς πηγὰς ἔχων. &c. Per Cataoniam Pyramus navigabile flumen decurrit, medijs in campis scaturiens. Et subiicit Strabo: *Est autem fossa memorabilis, per quam aqua pura longo spatio infra terram fertur, ac deinde in superficiem erumpit. si quis iaculum in fossam contorqueat, adeo resistit vis aquæ, ut agrè mergatur.* Multa dein Strabo memoranda refert & concludit: *Per montes elapsus Pyramus tantum secum arena effert è Cataonia partim, partim è Cilicum campis, ut oraculum quoque feratur:**

Εοσεται εὐσομένοις ὅτε Πύραμος εὐρυοδίνης  
 Ηίονα προχέωρ ἱερὴν ἐς Κύπρο ἰκίται.  
 Isthac euenient, vastis quo Pyramus vndis  
 Tempore profuso continget littora Cypri.

Apud Polybium pro παρά τὸν Πύρον, scribendum Πύραμον, quem alii Pinarum vocant.

CYDNVS) Descriptio & encomium Cydni fluminis, quem ait non longis terrarum ferri spacijs, nec misceri alienis vel torrentibus, vel vndis, vel fluminibus, sed purum vehi à fontibus usque ad Cilicium mare. Xenophon: *Διὰ μέσης δὲ τῆς πόλεως ῥεῖ ποταμὸς Κόδνος ὄνομα ἔσθ' ὄνομα ἔσθ' ὄνομα δύο πλέθρων.* Per mediam urbem fluit Cydnus, cuius latitudo est duorum iugerum. hoc est, ducentorum & quinquaginta pedū. Strabo, *Tarson*, inquit, *Cydnus mediam perfluit iuxta Gymnasium Iuniorum. Eius ortus non procul est, alueus verò per profundam vallem illatus rectà in urbem ingreditur. Aqua est rapidissima, & frigida, quapropter hominibus ac bestijs auxiliatur, quæ neruos crassiores habent.* Arrianus: *Ὁ δὲ Κόδνος ῥεῖ διὰ μέσης τῆς πόλεως, οἷα δὲ ἐκ τῆς Γαύρης ὄρης τῶν πηγῶν οἱ ἀνισχυσῶν, & διὰ χάρβη καθαρῶν βέων, ψυχρόστέ ἐστι & τὸ ὕδωρ καθαρὸς.* Cydnus autem cum ex Tauro monte oriatur, & puro solo excipitur, fit ut vnda eius incorruptissima, simulque frigidissima sit. Tibullus hunc laudat:

At te Cydne canam tacitis qui leuiter vndis  
 Ceruleus placidis per vada serpis aquis.

Dio Chrysostomus in Tarsica prima. *Καὶ τῶδε τῆς Κόδνης δὲ δεξιῶτατ' ἀπάντων ποταμῶν & κάλλιπτος, ὅπε ἀπαυτῶ πίνοντες ἀφνειοὶ & μακάριοι καθ' Ὀμηρον.* Et hoc Cydno qui omnium fluuiorum commodissimus & pulcherrimus est, & qui ex eo bibunt, diuites & beati sunt Homero.

Vitruuius Cydnus podagra mederi docet, curibus eo merlis, expertus est hoc Cassius Parmensis. Apollonius Tyaneus, Tarsenses risit, velut aues ad Cydnum otiosos sedere solitos, eius amantitate & pulchritudine ebrias. Solinus: *Hunc Cydnum, inquit, alij precipitari Tauro, alij deriuari ex alueo Choespis tradiderunt. Qui Choespes ita dulcis est, ut Persici reges quamdiu intra ripas Persidis fluit, soli sibi ex eo pocula vendicarint, & cum eundem foret peregrè, aquas eius secum velet itent. Ex illo igitur parente Cydnus miram trahit suauitatem. Quicquid candidum est, Cydnum gentili lingua Syri dicunt, vnde annu huic nomen datum Tumet vere (sic lege, non Tum & vere) cum niues soluuntur, reliqua parte anni tenuis est & quietus.* Dionysius Alexandrinus de situ orbis:

Καὶ τῶ μὲν πλεόνων ποταμῶν ἐπιμίσηται ὕδωρ  
 Τήλοθεν \* ἀρχομένων πύραμοιότε & πινάροιο  
 Κόδνης δὲ σχολιοῖο μέσην διὰ Τάρσον ἰόντας.  
 Atque huic (mari Iffico) multorum fluminum miscetur vnda  
 E longinquo orientium Pyramique & Pinari  
 Cydnicque flexuosi mediam per Tarsum euntis.

Ex his emendes licet, qui duorum fluminum nomina per ignorantiam miscent, Pyramum & Pinarum cum diuersa fuerint, ut hic dist. is. De Cydno Eustathius ad hunc Dionysij locum: *Frigida verò est Cydni aqua, confertque obstructione laborantibus, immò & podagra sectis, ut Vitruuius docet, & Bapuita Mantuanus:*

Tu quoque tardigradam tactu sanare podagram  
 Cydne potens, gaude tanto latatus alumno (S. Paulo)  
 Curre alacris, Taurique fluens de fontibus aquor,  
 Caruleum niueis, saliendo allabere lymphis.

Stephanus Cydnon Bithyniæ, flumen facit. De hoc Cydno Ciliciæ, non Bithyniæ, toto capite XIX. disputauit Biscola l. 14.

TORRENTES) χειμάρρος χαράδρας, amnis ex aqua, vel pluuia, vel niue collectus ex montibus decurrès. FRIGIDISSIMVS) causà adiungit, quod vmbris riparum arbore frequentè conuestitarum defendatur à solis æstu.

MVLTA IN EA REGIONE MONVMENTA) Quæ sint illa monumenta ipse subiicit, cum vrbes & fyluas, & specus indigat.

LYRNESSI ET THEBES) Iapridè deletarū vrbiū nuda loca, neq; vestigia vlla præter nomina extantia. Est qui hoc loco Curtiū erroris grauiissimi reū postulet, eūq; nominis cōmunicatione & locietate deceptū affirmet. Atq; fortasse deceptus est qui deceptū putat. Nā Curtius secutus est Dionysium Periegetè, qui in Cilicia quoq; Lyrnessū ponit, vti Strabo Lyrnessū & Thebè in Paphylia extra Iaurum iuxta Ciliciam. Dionysij verus sunt:

Eustathius  
 Cydnium  
 filium ait  
 fuisse, in-  
 deque no-  
 men flumi-  
 ni venisse.  
 Solinus  
 correctus.  
 \* ἐρχομέ-  
 των.  
 \* venicia-  
 tium.

Πολλὰ δ' ἐξείης κιλίκων γεγάσι πόλεις  
 Λυρνησὸς Μαλλόστε, καὶ Ἀρχιάλεια, Σόλοιτε.  
 Multa item deinceps Cilicum sunt vrbes  
 Lyrnessus, Mallusque, atque Anchialia Solique.

Ad quem locum Euthatius. Cilicum porro Ciuitas est Lyrnessus alia quam Troica: alio nomine Homala, in alto quidem sita, eo autem nomine à Mallo quodam dicta, qui illam cōdidit, vel ἀπὸ μαλλῶν, hoc est, coronis, quas coruus olim rapuerat, ibique deposuerat, dicta est. Itaque duplices Lyrnessum & Theben condimus, Homerianas & Dionysianas, quas Dionysij posuit hic Curtius, etsi illis Homericis multò ignobiliores & obscuriores.

TYPHONIS QYQVE SPECVS) Typho Græcis est procella turbinis, Plinium lege. De hoc Aristoteles disputat in Meteoris, & Agellius. Iam ex hoc poetæ gigantem ædificarunt, quem aiunt è terra natum, ἑκατοντάχαρανον centieipitem ab Apolline interfectum, Aetnæ à Ioue subiectum expirare ignes. Alij Typhonem aiunt Aegyptum Osiridis, Ithidis, Apollinis & Veneris fratrem, à quo Osiridem tradunt interemptum, de quo Berofus, Diod. Siculus & alij. Alij fabulas rursus ad naturam referunt, & fabularum ænigmata exponunt, quod in plerisque locis ex terræ spiritibus terræ motus gignantur, ignesque erumpunt, quibus montes franguntur, & hos esse Encelados Aetneos, hos Bryaceos, hos Typhæos, hos Typhonas, quæ ego omnia poetis & Mythologis relinquo. Pindarum, Homerum, Melam etiam, Gyraldum & Natal. comitem inspice.

CORYCIUM NEMVS) Ipecum Corycium duo præcæteris ex veteribus accuratè suis calamis expressum depinxerunt, Mela & Solinus. Illius hæc sunt: Non longè hinc Coricos oppidum portu saloque incingitur, angusto tergoze continenti adnexum. supra specus est, nomine Corycius. singulari ingenio, ac supra quam, vt describi facile possit eximius. Grandi namque hiatus patens, montem littori appositum, & decem stadiorum clino satis arduum, ex summo statim vertice aperit. Tunc altè demissus, & quantum demittitur amplior, viret lucis pubentibus vndique, & totum se nemorosolaterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, vt mentes accedentium primo aspectu consternat: vbi contemplati durare, non satiet. Vnus in eum descensus est, angustus, asper, quingentorum & mille passuum, per amenas umbras, & opaca syluæ quiddam agreste resonantibus, riuus hinc atque illinc fluctuantibus. Vbi ad ima peruentum est, rursus specus alter reperitur ob alia dicendus. Terret ingredienti sonitu cymbalorum, diuinitus & magno fragore crepantium. Deinde aliquandiu perspicuus, mox & quo magis subitur obscurior, ducit ausos penitus, alteque quasi cuniculo admittit. Ibi ingens annis ingenti fronte se extollens, tantummodo se ostendit: & vbi magnum impetum beui alueo traxit, iterum demersus absconditur. Intra spaciū est, magis quam vt progredi quisquam ausit horribile, & ideo incognitum. Totus autem angustus, & verè sacer, habitarique à dijs & dignus & creditus. Nihil non venerabile, & quasi cum aliquo numine se ostentat. Solinum tute contule cum Strabone, Plinio, & Martiale.

CAETERAQUE) Arati nempe Poetæ monumentum ideo referendum inquit Mela, quia ignotum, quam ob causam iacta in id laxa dililiant, atque alia seu Chryssippi Stoici seu Philemonis Comici Solisnatorum.

## CAPVT IX.

## ARGVMENTVM.

Alexander ingressus fauces Ciliciæ miratur stultitiam hostis locum relinquentis. Exploratores armatos præmittit, Tarsum incensum ab hoste seruat, & ingreditur.

**A**lexander fauces iugis, quæ Pyla appellantur, intrauit. Contemplatus locorum situm, non alijs magis dicitur admiratus esse felicitatem suam: obrui potuisse vel saxis confitebatur, si fuissent, qui in subeuntes propellerent. Iter vix quaternos capiebat armatos. dorsū montis imminebat via, nō angusta modo, sed plerumque prærupta; crebris oberrantibus riuus, qui ex radicibus montium manant. Thracas tamen leuiter armatos præcedere iusserat, scrutarique calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet. Sagittariorum quoque manus occupauerat iugum: intentos arcus habebant, moniti non iter ipsos intrare, sed præliū. Hoc modo agmen peruenit ad urbem Tarsum, cui tum cum maximè Persæ subiecebant ignē, ne opulentum oppidum hostis inuaderet. At ille, Parmenione ad inhibendum incendium cum expedita manu præmisso, postquam Barbaros aduentu suorum fugatos esse cognouit, urbem à se conseruatam intrat.



**LOCORVM SITVM**) Iam proximo capite sitū hunc locorū ex Xenophonte, & alijs descripsimus. **QUATERNOS**) *ἑμὰς τέρους* ergo erat via, & plaustra saltē singula capiebat, cum simul quaterni vnā incedere vno in membro possent. Obserua vocem *quaternos*, & hoc genus alias, quas Grammatici inter numeralia distributiua collocant, non valere idem quod quatuor, sed minimum octo, vel duodecim, vel sedecim, vel deinceps mille, vel decem vel cētum millia semper in quatuor distributos & vna collocatos, exempli gratia sint quatuor millia hominum, si quaterni incedant, erunt mille ordines, seu membra, seu versus. Et hic est germanus huius numeralis vsus. Moneant tamen Grammatici, Oratores pro Cardinalibus distributiua subinde adhibere, & hoc ex his Ciceronis locis euincere conantur: de Orat. *Itaque veteres illis terna aut bina aut singula etiam verba dicebant.* & in Verrem: *Docetas oportet aliquo in loco Siciliae, pratore Verre, ternis denarijs tritici modium fuisse.* Sed bona pace Grammaticorum, Cicero nihil ad eorum confirmandum facit, qui in his & similibus locis semper de pluribus loquitur, vt sit etiam periodorum inter se plurium contentio. Veteres, inquit, Oratores qui nondum periodorum circuitus certo verborum numero clauderent, in periodis aliquando bina, aliquando terna, aliquando singula verba dicebant, vt illa, bina, terna, singula ad omnes oratores veteres referantur, non ad vnum simplicem hominem, cuiusmodi plerumque sunt Grammatici. Valla cautior est, quem videbis lib. 3. Elog. c. 5. toto. Poetae hanc legem oratoriam, vt nec alias, curant: Virgil. *Gurgite septeno rapidus mare submouet annis*: Quod ad testimonia Plinij attinet, etiam inter plures est comparatio, vt ibid. etiam Valla plurimum fallatur. Sic de modijs, si de vno modio sermo esset tantum, efficerent hoc quod conantur, sed cum de toto frumento agatur per modios tributo & vendito, locus non videtur ad docendum quod volunt, opportunus. In illo Cæsaris loco è \* primo de bello ciuili: *Sed primam aciem quaternae cohortes ex quinta legione tenebant*: possit esse dubium, nisi corruptus esset codex. scribendum enim, *ex quinque legionibus*, non *ex quinta legione*, vt infra ex ipso Cæsare doceri potest: cum subiicit, *sua cuiusque legionis*. Itaque Cæsar hoc dicit: prima acies gestabat quaternis cohortibus ex quinque legionibus collectis, ita vt essent in prima acie 20. cohortes, siue duæ legiones. secunda seu media acies continebat sagittarios & funditores, non legionarios. tertia subsidiaria acies constabat triginta cohortibus in subsidijs positis, triginta autem & 20. efficiunt 50. cohortes, id est, quinque legiones. Sed quia Sagittarij & Funditores non collocantur pro acie, sed ipsi inferuntur, dicemus rectius secundam aciem habuisse quindecim cohortes, nam ter quinque quindecim efficiunt; Eademque ratione tertiam totidem cohortibus instructam fuisse, sagittarios autem mixtos secundæ aciei. Lipsius ita intellexit, vbi scripsit de re militari, formamque exercitus in tres acies descripsit.

l. 3. circa finem.

Cic. explicatus.

Plinius illustratus;

Cæsar explanatus. \* circa finem

**IMMINEBAT VIAE**) supra: *iugumque opportunè itineri imminens*, &c. **PRAERVPTAE**) præcipientes, arduæ, & sæpè interlabentibus riuis abrasæ; de riuis etiam supra: *planitiem eius crebris distinguentibus riuis*.

Modij viti. oia scriptura.

**LEVITER ARMATI**) qui essent, & quibus armis teçti supra c. 7. explicauimus, & infra coniungit funditores, sagittarios & Thraces leuiter armatos. Illyrij enim & Thraces raptò viuere aduerti ad fugam & cursum debebant esse expediti, ad quæ vsus grauis armatura seu panoplia non feruiebat.

**INTENTOS ARCVS**) quasi mox prælium initari.

**MONITI NON ITER IPSOS INIRE SED PRÆLIVM**) Vbi hic Modij & Acidaliij cum suis MSS. Modius in sua editione scripsit *moniti non inter ipsos inire, sed prælium*: quæ verba cum expendere, occurrit mentem esse historici, fuisse ab Alexandro monitos, ne sagittarij & Thraces inter se dissidentes in mutua conuertent viscera ferrum: sed cum insolens hoc & anceps, tortūque videretur, cogitauj scripturam esse mendosam, quam vna extrita litera ex Aldino & Argentino typographo emendauj, vt esset *iter*, non *inter*. Rem factam illico habebam. Ad hoc enim arcus intentos habebant, quasi rectè in hostem ad pugnam tenderent. *moniti ergo non iter ipsos, sed prælium inire*, essentque ad pugnam parati.

**HOC MODO AGMEN PERVENIT AD VRBEM TARSON**) Hoc ordine, exploratò & cautè, ne subito ab infessoribus collum occultorum inuaderetur & opprimeretur, quod factum ab hoste oportuit, qui tum maximè fugitabat.

**TARSON**) Tarus caput Ciliciæ, omnium ferè literis monumentisque celebrata, sed hoc vno felicissima, quod orbis doctorem nobis S. Paulum in lucem protulerit, vel potius educarit, facta parens tanti alumni, de qua Solinus: *Matrem urbium habet Tarson, quam Danae proles nobilissima Persens locauit*. Idem: *Sed alij Sardanapalum conditorem laudant*. legendi Stephanus de urbibus, Dionysius Alexandrinus cum Eustathio, Alexander Polyhistor, præsertim Strabo, qui multa & præclara de Tarso, & inde natis claris viris. Duæ præterea orationes Dionis Chryostomi, dignæ viri eruditi lectione.

**PERSAE SVBIICIEBANT IGNEM**) Iterum Arsames hostem Darij potius quam propugnatorum agit, quamuis non hostili consilio, quod erat, ne Alexander opibus Tarfensium augetur. Itaque maluit omnes suos fieri inopes, quam diuitem Alexandrum. Sed Arrianus negat fuisse incensam; Arsames enim accepto de aduentu Alexandri nuntio, fugisse Tarso, nullo vrbis damno illato.

**PARMENIONE**) Hic prima est mentio Parmenionis, primis tamen libris celebratum fuisse non sinunt dubitare bella Alexandri cum Græcis, Thracibus, Illyrijs, Tribellis & alijs getta, vt sit ab a-

lijs

lijs historicis, laudabitur frequenter infra, fuit proximus à rege dux, & maior ipso rege, nam hoc e-  
logium est de illo infra: *Multa sine rege prosperè, rex sine illo nihil magna rei gesserat.* Sed de Parmenio-  
nis cæde, laudibus, eiusque filio Philota suo loco dicemus.

A SE CONSERVATAM) vtique iam tum suam, cum hostes illam destituisent.

## C A P V T X.

## A R G V M E N T V M.

Alexander dum sudore perfusum corpus Cydno  
tingit, vltimum vitæ discrimen adit, luget exerci-  
tus, queritur de iniqua fortuna, Philippus Acar-  
nan medicus regem saluari potione quamuis sus-  
pectus à Parmenione factus, curat.



Ediam Cydnus amnis, de quo paullo antè dictum est, interfluit: & tunc a-  
stas erat, cuius calor non aliam magis, quàm Cilicia oram vapore Solis ac-  
cendit, & diei feruidissimum tempus exceperat. Pulvere simul ac sudore  
perfusum regem inuitavit liquor fluminis, vt calidum adhuc corpus ablu-  
eret. Itaque veste deposita, in conspectu agminis (decorum quoque futurum  
ratus, si ostendisset suis leui & parabili cultu corporis se esse contentum)  
descendit in flumen, vixque ingressi subito horrore artus rigere cæperunt: pallor deinde suf-  
fus est, & totum propemodum corpus vitalis calor liquit. expiranti similem ministri ma-  
nu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo, &  
pænè iam luctus in castris erat. flentes querebantur, in tanto impetu cursuque rerum, omnis  
atatis ac memoria clarissimum regem, non in acie saltem, non ab hoste deiectum, sed abluen-  
tem aqua corpus ereptum esse, & extinctum: instare Darium, victorem antè, quam vidis-  
set hostem, sibi easdem terras, quas victoriâ peragrassent, repetendas: Omnia aut ipsos, aut  
hostes populatos per vastas solitudines, etiam si nemo insequi velit, euntes fame atque inopia  
debellari posse. quem signum daturum fugientibus? quem ausurum Alexandro succedere? Iã,  
vt ad Hellepontû fuga penetrarent: classem, qua transeant, quem preparaturum? Rursus in  
ipsum regem misericordia versa. illum florem iuuentæ, illam vim animi: eundem regem &  
commillitonem diuelli à se, & abrumpi, immemores sui querebantur. Inter hæc liberius me-  
are spiritus cæperat, attenuabatq; rex oculos, & paulatim redeunte animo circumstantes ami-  
cos agnouerat: laxataque vis morbi hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat.  
Animi autem agritudo corpus urgebat, quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nun-  
tiabatur. Vincitum ergo se tradi, & tantam victoriâ eripi sibi è manibus, obscuraque & ig-  
nobili morte in tabernaculo extinguere se querebatur. admittique amicis pariter ac medicis, In  
quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis strepitum hostilium  
armorum exaudire mihi videor: & qui vltro intuli bellum, iam prouocor. Darius ergò cum  
tam superbas litteras scriberet, fortunam meam in consilio habuit. sed ne quicquam si mihi  
arbitrio meo curari licet, lenta remedia, & segnes medicos non expectant tempora mea. vel  
mori strenuè, quàm tardè conualescere mihi melius est. Proinde si quid opis, si quid artis in  
medicis est, sciant, me non tam mortis, quàm belli remedium querere. Ingentem omnibus in-  
cufferat curam tam præceps temeritas. Ergo pro se quisque precari cæpere, ne festinatione  
periculum aueret: sed esset in potestate medentium. inexperta remedia haud iniuria ipsis  
esse suspecta, cum ad perniciem eius etiam à latere ipsius pecunia sollicitaret hostis: quippe  
Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronuntiare iusserat. Itaque ne au-  
surum quidem quemquam arbitrabantur experiri remedium, quod propter nouitatem pos-  
set esse suspectum. Erat inter nobiles medicos ex Macedonia regem sequutus Philippus, na-  
tione Acarnan, fidus admodum regi puero comes, & custos salutis datus: non vt regem modo,  
sed

sed

sed etiam ut alumnus eximia caritate diligebat. Is non princeps se, sed strenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potione medicata leuaturum esse promisit. Nulli promissum eius placebat, præter ipsum, cuius periculo pollicebatur, omnia quippe facilius quam moram, perpeti poterat, arma, & acies in oculis erant, & victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset: id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset (ita enim medicus prædixerat), egre ferēs. Inter hæc à Parmenone fidiſſimo purpuratorū literas accipit: quibus ei denuntiabat, ne salutē suam Philippo cōmitteret: mille talentis à Dario, & spe nuptiarum sororis eius esse corruptum. Ingentem animo sollicitudinē littera incusserat, & quidquid in utramque partem aut metus, aut spes subiecerat, secreta æstimatione pensabat. Bibere perseverem: ut si venenū datū fuerit, ne immeritō quidē quicquid acciderit, euenisse videatur? dānem medici fidem: in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est, alieno me mori scelere, quā metu nostro. Diu animo in diuersa versato, nulli quid scriptū esset enuntiat, epistolamque sigillo annuli sui impresso, puluino, cui incubabat, subiecit. Inter hæc cogitationes biduo absumpto, illuxit à medico Æstinas dies. Et ille cū poculo in quo medicamentum diluerat, intrauit. Quo viso, Alexander, leuato corpore in cubitum, epistolam à Parmenone missam sinistra manu tenens, accipit poculum, & haurit interritus: tū epistolā legere Philippum iubet, nec à vultu legentis mouit oculos, ratus aliquas conscientie notas in ipso ore posse deprehendere. Ille, epistola perlecta, plus indignationis, quā pauoris ostendit: proiectusque amiculo & literis ante lectum: Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc verē arbitror, sacro & venerabili ore trahitur. Crimen parricidij, quod mihi obiectū est, tua salus diluet, seruat usque à me, vitā mihi dederis. oro, quæ solemus, omisso metu patere medicamentum cōcipi venis. laxa paulisper animū, quem intēpestiua sollicitudine amici sanē fideles, sed moleste, seduli turbant. Non securum modò hæc vox, sed etiam latū regem ac plenum bona spei fecit. Itaque si Dū, inquit, Philippe, tibi permisissent, quo maxime modo velles animum experiri meum, alio profectō voluisses, sed certiore, quā expertus es, ne optasses quidem. Hæc epistola accepta, tamen, quod dilueras, bibi: & nunc crede me non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse sollicitum. Hæc elocutus, dextram Philippo offert. Ceterum tanta vis medicamenti fuit, ut quæ sequuta sunt, criminationem Parmenonis adiuuerint. interclusus spiritus ante me abbat, nec Philippus quicquam in expertum omisit. Ille fomenta corpori admouit: ille torpentem nunc cibi, nunc vini odore excitauit, atque ut primum mentis cōpotem esse sensit, modò matris sororumque, modò appropinquantis tantæ victoriæ admonere nō destitit. Ut verò medicamentum se diffudit in venas, & sensim toto corpore salubritas percipi potuit: primum animus vigorem suum, deinde corpus quoque expectatione maturius recuperauit: quippe post tertium diem quam in hoc statu fuerat, in cōspectum militum venit, nec auidius ipsum regem, quam Philippum intuebatur exercitus. pro se quisque dextram eius amplexi, grates habebant velut præsentī deo. namque haud facile dictū est, præter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum huius utique regis vel admiratione dediti ei fuerint, vel caritate flagrauerint. Iam primum nihil sine diuina ope aggredi videbatur. nā cum præsto esset ubique, fortuna, temeritas in gloriam cesserat, et as quoque vix tantis maturis rebus, sed abunde sufficiens, omnia eius opera honestabat: & quæ leniora haberi solent plerūque militari gratiora vulgo sunt. Exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque paulum à priuato abhorrens, militaris vigor, quis ille vel ingenij dotibus, vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus esset, effecerat.

MEDIAM CYDNVS) Omnes scriptores & geographi testantur Cydno mediam diuidi Tarſon. Rhemnius Palæmon,

Flexilis & Cydnu dirimit qui flamine Tarſon.

Et Dionysius interprete Auieno.

Cydnu item media discernit mœnia Tarſi,  
Pegasus hoc olim suspendit cespite sese,  
Impressaque solo liquit vestigia calcis,  
Effet ut insigni reuoluta in sacula semper,  
Nomen humo clari post vltima Bellerophontis.

Cydnum supra descripsimus, eiusque egelidos liquores, hoc est frigidissimos esse monuimus. vnam tamen affectis & podagricis salutarem, infestam Alexandro ἄρτα συμπερικτός, ut philosophi loquuntur, quod sudore madens & toto corpore incensus in gelidissimum amnem infiliret, quæ cui-

iuis exitiosa est, quando frigus & calor summis inter se viribus decernunt, & corpus veluti in medio positum ad exitium virgent. Spasmus enim & neruorum rigor stuporque inde existit, id quod Galenus ex ea causa euenisse tradit.

An Cydnus regibus fatalis est? Nam & Fridericus Ahenobarbus maximus imperator, eodemmersus, perisse fertur: quamquam alij in Armenia haultum Serra flumine, alij Salepho, alij Fararo, alij Ferro. alij Cydnum eundem fluuium esse in Cilicia putant, sed alijs atque alijs nominibus affectum. Exstat nobile Bidermanni nostri epigramma de Friderici Aenobarbi imperatoris interitu, etiam Cydno hausti.

Lib. 3. epi-  
gra. 91.

*Cum Sueuas traheret Fridericus ad aquora turmas  
Cui rubra cognomen nobile barba dabat,  
Territa tota sibi diffidere caperat Eos,  
Inq̄, suis nunquam credere asyla iugis.  
In veterem Pharos & Babylonia mema fastum  
Ponere & imbelles tendere Bactra manus.  
Christiadum contra sibi visa resurgere plebes  
Certa salutiferam vi reparare crucem.  
Nec decepta foret, nisi abenam barbara barbam  
Vidisset propera Turba perire nece.  
Vnda fuit gelido qua Cydni fluxerat alueb  
Iam dudum in magnos vnda maligna daces.  
Obsuit illa olim Pelleo, (vt fertur) alumno,  
Membra ibi cui subito diriguere gelu.  
Nunc idem peperit Friderico funera Cydnus,  
Obruit incautis quem violentus aquis.  
Parcere debuerat Friderico Cydnus eunti,  
Sat citò merisset, cum rediturus erat.*

62500. pas-  
suum. sta-  
dia quin-  
genta.  
Tempus nō  
placet Mo-  
dio. Aldus  
scripsit fer-  
uidissimum  
tempus, vti  
& Florētī-  
nus, & reli-  
qui etiam  
vetustissi-  
mi codices  
omnes.

TVNC AESTAS ERAT) Aperiuntur causæ ob quas inæstuarit Alexander, regionis ingeni-um, tempus anni, & itineris labor, amplius enim quindecim milliaria nostratia nunquam inter-  
misso cursu confecit, vt Tarsum incensam occuparet & seruaret. De æstu Ciliciæ Solinus. *A Ci-  
licia sinibus Asiaticum limitem despicit, quantus meridiem videt sole inæstuat.* Properabat Alexander à  
septentrione versus meridiem. Alit ergò immanes etiam feras & leones. Iam si toto anno illa  
pars Meridiana calet, quis æstus erit æstate? & quis ipso meridie diei, quæ omnia coniungit Cur-  
tius cum scribit: *tunc astas erat, cuius calor non aliam magis quam Cilicia oram vapore solis accendit, &  
diei feruidissimum\* tempus exceperat.*

EXCEPERAT) Ita Modianus liber, reliqui omnes tempus caperat. ex ingenio Curtij est ferui-  
dissimum exceperat.

PVLVERE SIMVL ET SVDORE PERVSVM REGEM INVITAVIT LIQVOR FLV-  
MINIS) Eleganter Iustinus: *Itaque timens angustias, magna celeritate Taurum ascendit, in qua fe-  
stinatione, quingenta stadia cursu fecit: cum Tarsum venisset, captus Cydni fluminis amœnitate per mediam  
urbem influentis, proiectis armis, plenus pulueris & sudoris in prærigidam vndam se proiecit.*

LEVI ET PARABILI CVLTV CORPORIS) non vt Darius gemmis & auro onustus ince-  
debat. Laudantur Hierones, Antigoni, Vespasiani, Seueri, Taciti, Alphonsi, alijque cōplures partim  
reges, partim imperatores à cultus modestia & frugalitate. Et olim barbarum credebatur gemmis  
& auro pictum incedere, opelque & splendor huiusmodi barbarus dicebatur: Virgilius

*Barbarico postes auro, spolijsque superbi  
Procubuerat ---*

regiam Priami ex spolijs hostium barbarorum partis fuisse ornátam, apud Ciceronem vetus poëta  
*Assante ope barbarica.* & apud eundem --- quibus

*Magis palestra, Eurotas, sol, puluis, labos*

*Militia in studio est quam fertilitas barbara.*

Cessit tamen epitheton hoc postea in laudem.

VESTE DEPOSITA) Causa Alexandrum excusat ab inuerecundia, quod nec ob lasciuam,  
nec aliam immemorabilem rationem corpus coram exercitu suo nudarit, quod in M. Antonio a-  
cerrimè reprehendit Cicero. Alexander calens flumen velut balneum ingressus erat, vt puluerem  
ablueret. Et studium natandi veteribus vsitatum & laudabile, & sæpè necessarium, vt docent qui A-  
gonistica scripserunt. Alioqui primum flagitium est inter ciues nudare corpora, quod Curtius infra  
in Babyloniorum conuiuiorum luxu notauit.

HORRORE ARTVS RIGERE) Hunc locum quodammodo interpretatus est alijs verbis  
Iustinus, cum scribit: *Tum repente tantus neruos eius occupat rigor, vt interclusa voce non spes modo re-  
medij, sed nec dilatio inueniretur.* Et Val. Maximus: *Alexander Macedonũ Rex incluta iam pugna excellen-  
tissimis*

visum opibus Darij confusus est & itineris feruore in Cilicia percalefactus, Cydno qui aqua liquore conspicius Tarsum interfuit, corpus suum immerfit: Subitò deinde ex nimio haustu rigoris obstupescit nervis, & torpore hebetatis artubus maxima cum exanimatione totius exercitus in oppidum castris propinquum defertur. Ex hoc loco intelligas castra ad Tarsum propter Cydnum fuisse posita. Alexandrum non Tarsum, sed in castris corpus Cydno tinxisse. Aristobolus apud Arrianum memorat Alexandrum ex ingenti labore in morbum incidisse. Diodorus nullam morbi causam assignat, μετ' ἄλγυν ἢ ἐν ἀβ-  
 ῥοσίαν βαρύτεραν ἐμπεσῶν, καὶ χαλεπῶ πάθει συνεχόμενον & συνεχάλαστο ἕως ἰατρῆς. Paulo post cum in grauem morbum incidisset, vocauit medicos. Plutarchus idem quod Arrianus docet diuersa de causa morbi tradi: laborem nempè, vel flumen. Vtrumque autem accidisse facillè ex pluribus conijci-  
 tur.

PALLOR SVFFVSVS) quod etiam exanimatis metu vel terrore horroreue subitò perfusus & rigentibus vsu venit cum sanguis gelat, aut extimos corporis artus destituit, vt cordi vitæ sedi succurrat. Virgilius:

*Diffugimus visu exangues---*

Et vetus poëta: *timidus refugit sanguen.*

&: *gelidusq; coit formidine sanguis.*

IN TABERNACVLVM) In castra, non in urbem, sed postea eo relatum ait Valerius Max. *1a* sebat ager Tarfi.

INGENS SOLIGITVDO) hæc ingentem erga principem fuisse exercitus & Macedonum amorem docet. Coluerunt suos maximè reges Aegyptij, Lydi, Parthi, Medi, Macedones, & in primis Persæ. Virgilius de apum imperio & cultu erga suum regem:

*Præterea non sic Aegyptus, & ingens*

*Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes*

*Observant: rege incolam mens omnibus vna est,*

*Amisso rupere fidem---*

De Macedonibus suprâ Curtius: Namque haud facillè dictu est, præter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum huius utique regis vel admiratione dediti ei fuerint, vel caritate flagrauerint. Sed omnes ferè gentes superabant Persæ, quibus nomen regis pro numine est: argumentum obseruantiae & amoris erga regem apud Herodotum est de Xerxe, qui cum Phœnicia naue vectus in Asiam se reciperet, exortaque ingenti tempestate, & naue supra modum onusta vectoribus, in summum discrimen adduceretur, metu percussus gubernatorem interrogauit, an omnis præcisa salutis spes esset: Ille vnicam superesse respondit, si multi ex vectoribus sese in mare conijcerent. Quibus auditis Xerxes ita loquutus fertur: Cum in vobis Persæ, vt videre est, regis vestri sita salus, quanta vobis ea cura sit, demonstrandi tempus datur. Quæ cum is dixisset, protinus illi eum venerati, in mare desiliisse feruntur. Atque eo iactu leuata naue Xerxes impendente periculo liberatus in Asiam sospes incolumisque peruenit.

IN TANTO IMPETV CVRSVQVE RERVVM) Verè M. Tullius: *O fallacem hominum spem fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio sæpè spacio franguntur & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspiciere potuerunt.*

OMNIS AETATIS ET MEMORIAE CLARISSIMVM REGEM) verissimè hoc: Omnium enim literis monumentisque celebratus est, neque seculis antegressis, neque subsecutis, non dico superiorem se, sed nec parem habuit: testantur hoc Dictatoris lacrymæ, quibus se longè inferiorem Alexandro fassus deplorauit Cæsar. Affirmat Liuius qui maximum Alexandri fatetur in orbe fuisse imperium. Quid tamen Seneca de illo solatio, si pulchram petiisset per vulnera mortem.

NON IN ACIE) quod poterat esse solatio, si pulchram petiisset per vulnera mortem.

ABLVENTEM AQUA) ignaui & infelici morte quasi iam defunctum per aquas perire veteribus miserrimum visum, vt suo loco monebo. Sed Alexander aquis non periit, nec si periisset suffocatus interisset, spasmo correptus.

INSTARE DARIVM) quem fama iam attulerat infrâ quintum diem in Ciliciam fore, vt mox ipse Curtius narrabit.

VICTOREM ANTE) futurum ægro vel morituro Alexandro.

EASDEM TERRAS) Ciliciam, Cappadociam, Paphlagoniam, Lyciam, Pamphyliam, Lydiam, Phrygiam, totam denique Asiam minorem cum Helleponto. Simul enim Darius accepit nuntium de Alexandri inualitudine, equis viris properauit in Ciliciam.

FAME ET INOPIA) quam suprâ ex Vegetio monui, omni ferro esse sæuiorem.

FUGIENTIBVS) Ad eò omnium salus ab vno Alexandri spiritu pendebat, vt illo ægro se omnes victos putarent, vt nihil aliud spectare quam fugam viderentur.

SIGNVM) Quod Imperatoris est munus proponere signum siue manendi, siue proficiendi, siue decernendi. hoc enim ipse exponit esse Alexandro succedere, ipsius loco signum dare.

CLASSEM) Quam victis ad Granicum Persis remisit in Græciam, ficta causa quod res magnorum esset sumptuum, reuera vt suis omnem ex acie & prælio fugiendi spem adimeret, quod alij tradunt scriptores.

*Addit Diodorus hoc Alexandri consilium etiam posteros esse secutos, & singillatim Agathoclem Syracusarum regem, magnam & insperatam victoriam esse consecutum.*

IN IPSVM REGEM MISERICORDIA VERSA ) Obliti suæ infelicitatis, & futurarum quæ morituro Alexandro augurabantur, ærumnarum, ipsius dolebant & deplorabant vicem regis, & primum ardens florentissimæ ætatis æuum, tertium enim & vicesimum erat ingressus, mox eundem suum regem, quo gens illa nihil sanctius colebat, præterea pectus generoso coctum honesto, animumque homine maiorem, & diuinam inuictamque indolem, ac fortissimum bellatorem, ut qui in acie tam militis quam Imperatoris munus fungeretur, cum interim neque cultu corporis multum à vulgari abhorrente vteretur.

COMMILITONEM ) Sic Cæsar suos appellabat legionarios. Tranquillus: *Nec milites eos pro concione, sed blandiori verbo commilitones appellabat. In seditione vnico verbo eosdem tranquillauit, cum Quirites vocaret.* Tacitus: *Diuisi Iulius seditionem exercitus verbo vno compefcuit, Quirites vocando.*

AB SE ABRVMPI ) Hæc Scriptura præ cæteris placet: *Abrumpi*, inquam; non *arripi*, vel *abripi*.

INTER HAEC LIBERIVS MEARE SPIRITVS ) intercepta anima sensim eluctari, & ægro redire mens & sensus cœpit.

HOC SOLVM ) Mei codices: *Ad hoc solum.* Alij: *Ob hoc solum.* Vtroque modo loquuntur scriptores. Omittunt scæpè Plautus, Propertius, Terentius, alij, quod Acidalius exemplis confirmat. intellectus videtur hic esse: Alexander paullum ad se rediisse, non reualuisse videbatur, eò solum, ob hoc solum, & hanc causam, ut sentiret & videret, in quanto discrimine verfaretur. Acute ut solet Curtius. Sed Priscianus reclamabit. quia in vsum coniunctionis, ut, non venit. Atqui coget mens auctoris, si, *hoc solum*, exponas ob hoc solum, vel propter hoc solum, ut Acidalius, propter hoc laxata illi mens ut sentiret; neque enim potest exponi, quia sentiebat magnitudinem mali, idè laxata est vis morbi, alioqui sensisset adhuc ex morbo insensus. Errat ergo Acidalius cum *hoc solum* interpretatur propter, ob, ad hoc solum. Ego sic locum intelligo. Hoc solum vis morbi laxata videbatur. Ex hoc solum (velut signo, non causa, *hoc*, enim est vltimus hic casus, non quartus, *solum* aduerbium) notabatur vis morbi remissa, quod morbum sentiret, & se pessimè habere, & à morte proximè abesse intelligeret.

ANIMI AVTEM AEGRITVDO CORPVS VRGEBAT ) Alia omnia quæ vidi exemplaria vetera, inuertunt verba & sententiam hoc modo: *Animum autem ægritudo corporis vrgebat.* quam scripturam rejicit Modius ex membranæ, perinde quasi membranæ ex cortina Delphica prodijissent. Non damno quidem Modij codices, sed videndum an rectius forte vulgaris scriptura *animum ægritudo corporis vrgebat.* Nam hætenus tantum de corpore malè affecto ex Cydno docuit: iam transit ad curas animi, atque morbum corporis redundasse ad animum, & ex corporis habitu animum quoque afflictum, quod immineret Darius, quod ipse morbo deprehensus, & quasi vinculis constrictus non possit se ad prælium accingere, adeoque videri de victoria & vita actum, quodque magis doleat, degenerare fato lectoque affixo simili pereundum. Ita ergo animum vrgebat corporis ægritudo, sed vicissim curæ interiores mentis premebant corpus, morbumque augebant, nec sinebant vires ad illud suas adspirare ingenti sollicitudine repressas. Siue ergo legas, *animum ægritudo corporis vrgebat*, siue *animi ægritudo corpus vrgebat*, rectè intelligi locus potest. Magis tamen arridet *animi ægritudo.*

DARIVM QVINTO DIE IN CILICIAM FORE NVNCIABATVR ) A sinu Cilicij maris, vsque ad pontem Euphratis sunt quadringenta stadia, hoc est duodecim milliaria Germanica cum semisse, seu dimidio. Darius nondum Euphratem traiecerat, & totos quinque dies in illo traiciendo consumpsit. Vbi nuncium de inualetudine Alexandri accepit, ratus ægrum posse opprimi, maturauit iter.

IN CILICIAM FORE ) Eleganter hoc exemplo optimorum auctorum. Cicero: *Cum vestros portus, atque eos portus quibus vitam ac spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis.* Ad quem locum ita Agellius: *Idem autem amicus noster in eiusdem M. Tullij Ciceronis oratione, quæ est de imperio Cn. Pompeij, ita scriptum esse à Cicerone dicebat, atque ipse ita lectitabat: Quum nostros portus, atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis. Neque solæcismum esse aiebat: In potestatem fuisse, ut vulgus semidoctum putat, sed ratione dictum certa & proba contendebat: qua & Græci ita vterentur, & Plautus verborum Latinorum elegantissimus, in Amphitryone dixit: Non vero mihi in mentem fuit: non (ut dici solitum est) in mente. Sed enim præter Plautum (cuius ille in presenti exemplo vsus est) multam nos quoque apud veteres scriptores locutionum talium copiam offendimus, atque his vulgò annotamentis insperimus. Ita Cato locutus: In arborem relinquito, in aquam materare oportet. In patinas in sole ponito. Plautus Aul. In arborem collocavit. In Pœnulo: Patruæ factio in memoriâ habeas. Sic enim & vetus scriptura & genius Plauti habet. Idem Amphitr. in mentem fuit. & Bacchid. Ecquid in mentem est tibi. Cæsar lib. i. de bello Cinili: Quo facilius omne Hadriaticum mare extremis Italiae partibus regionibusq, Græcia, in potestatem haberet. Græce εις δὲνα μὲν εἴπει. Arbiter: Res est in cōtrouersiam: sic dicitur esse in amicitia, in ditione alicuius, de quo genere loquedi multa Camerarius & alij, qui ad Plautum sunt meditati. Ita Terentius quoq; optimus Latinitatis auctor est locutus, In Eun. Actu 2. Scen. 2.*

*Ille ubi miser famelicus videt me esse in tantum honorem,  
Et tam facile victum querere.*

Cæterum ut hic, in præpositio, præter Grammaticorum decreta quartum casum admittit, ita eadem auferendi casui iungitur, cum accusandi postulare videtur. Virgilius: *Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.* Manilius: *Cum venit in regione.* Cic. *veni in senatu.* ut Scaliger ostendit plura.

AMICIS) Cratero, Perdicea, Ptolomeo, alijs, absente Parmenione.

MEDICIS) quorum princeps fuit Philippus Acarnan.

IN QVO ME INQVIT ARTICVLO) Amo Curtij orationes, superant meo animo omnes omnium auctorum, siue spectes verum, siue acumen, nec interim linguæ candor & mundities, sine vlla comparatione aut cura, deest. Perit ab amicis & medicis ut quam primum curetur, aut mori permittatur, omnis moræ propter imminens bellum impatiens.

DEPREHENDERIT) Elegans metaphora sumpta ab ijs qui in facto aliquo capti & deprehensi sunt. In articulo, in statu lamentabili versantem.

STREPITVM) quasi pro foribus videor audire Darij copias mihi insultantes.

IAM PROVOCOR) Sorte in contraria versa. Plutarchus: *ἔτι δὲ μᾶλλον ἐθαύρασεν καταγούς δειλίας* In vita Alex.  
*Ἀλεξάνδρου πολὺν χρόνον ἐν Κιλικίᾳ διατρίψαντος ἢ δὲ ἡ διατρίβη διὰ νόσον &c.* Multo verò magis est animatus, quod Alexandrum pro ignavo duceret, qui multum temporis trivisset in Cilicia. Detinuerat autem eum morbus. ac proinde verebatur ne omnino Alexander fugeret, quod Amyntas Alexandrum nunquam facturum Dario sanctè pollicitus est. imò contra venturum ubicunq; is esset. Idem Arrian. narrat.

TAM SUPERBAS LITTERAS SCRIBERET) Perculsum suo aduentu putabat Alexandrum Darius, progredi nolle, ut est apud Arrianum, quod illius purpurati persuaderent Alexandri copias solo Perfarum equitatu obreri & elidi posse, hocque metuere Alexandrum. Literas Darij quæro.

FORTVNAM MEAM IN CONSILIO HABVIT) Infrà: *Ita suam quisque fortunam in consilio habet, cum de aliena deliberat.* Ex statu infelici rerum mearum & morbi, Darius consilium sibi cepit, & quæ antea decreuerat, mutavit. Statuerat me operiri in Syriæ campis. Nunc ubi ægrum à corpore & animo cognoscit, insequitur & contemnit. Felices ergo de miseris consultantibus superbè & contemptim decernunt, ut ille infrà docet. Nempè suis fortuna cuique fingitur moribus.

SED NEQVICYAM) Sed nihil aget Darius, nec quicquam erit, quod speret ex meo morbo, vel citò curabor, vel citò moriar (hoc enim est strenuè hoc loco) dummodo meis consilijs nemo intercedat, nemo medicos moretur, aut medici cunctentur.

EXPECTANT) melius haud dubiè quam expetunt, quomodo plures scripserunt.

NON TAM MORTIS QVAM BELLI REMEDIVM) Ingens semper animus Alexandri & imperterritus, dignusque satu Herculis, ut quem morstimere magis, quam ipse mortem videatur. Belli remedia non accipe, quod pacem optet, aut conditiones pacis, sed ut quamprimum conualescat, quò decernere eum Dario possit. Belli ego statim ineundi & committendi vias quæro per valetudinem; aut si absumpta salus, quamprimum moriendi. Hæc ægri minimè ægra, sed fortis & sana fuit oratio, qui omnia faciliùs quam moram perpeti poterat.

PRAECEPTA TEMERITAS) Vita amicis temeritas, & præcepta consilium; quod tamen euentus docuit fuisse & necessarium, & felix, ac salutare. nempè etiam in morbis curandis tam ægros quam medentes sæpè audaciores fortuna iuvat, quæ sæpè omnibus consilijs est potentior.

QVISQVE COEPERE) Huiusmodi forma loquendi usus est Virgilius: *Quisque suos patimur manes.* Livius: *Pro se quisque scelus regium ac vim queruntur.* Idem. *Missi confestim honoratissimum quisque ex patribus.* Sic Plautus sæpè, Terentius, & alij principes elegantiae locuti.

IN POTESTATE MEDENTIYM) committeret se medicorum curæ & diligentiae, nec præscriberet illis tempus, valetudinem indigere iusta mora, festinationem iuxta ac cunctationem exitiosam laborantibus. proinde esset in auctoritate eorum qui mederentur, nec ipsi ore territi non auderent quam possent tentare medicinam.

INEXPERTA REMEDIA SVSPECTA) Nobilis hæc gnoma, ut aliæ omnes Curtij, quas maxime tempestivas ubique miserit. Noui medici & noua pharmaca noua fodiunt sepulchra.

A LATERE IPSIVS) familiares, medicos, stipatores & officia aulica custodes corporis inteligit, qui latus cingunt regis, & à latere eius nunquam discedunt.

PECVNIA) ambigue an vltimus vel primus sit casus, & hostis rectus an obliquus. Sed idem est intellectus, siue hostis Darius pecuniâ sollicitet animum Alexandri, siue pecunia hostis Darij.

MILLE TALENTA) sexcenta millia Philippæorum seu coronatorum, sic ut vnus sit viginti victoriatum seu bazijs, ut hodiè appellantur. Vnum talentum est sexcentis philippæis siue octingentis florenis. Ergo mille talenta, sexcenta millia sunt philippæorum, seu octingenta millia florenorum. florenus est sexaginta staurophoris, seu cruciferis, Philippæus octoginta.

INTERFECTORI) Hoc crimen obiecit Alexander per epistolam Dario missam: *Sicut, inquit, tu proximè talentis mille tanti exercitus rex percussorem in me emere voluisti.*

PROPTER NOVITATEM) Si quis quid noui remedij adferret, fore suspectum de necando Alexandro.

PHILIPPVS ACARNAN) Verum est Homeri elogium de medico:

Ἦγρος γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀνταρτίων. ὁ ἀνδρῶν.  
Vir medicus præstat multis mortalibus vnus.

Delperatam certè salutem tanto principi restituit Philippus. Celebrant hunc omnes historici, & multi præter historicos. Valerius Maximus, Arrianus, Plutarchus: *Hic cum ex cæteris medicis remedium nemo promitteret, sed periculum existimantes omnis superius opis esse timerent, si res non successisset, obrectationem apud Macedones, Philippus Acarnan spem salutis quidem in præcipiti videbat esse, verum amicitia eius fretus, & indignum ratus, si cum rege in discrimine posito, non vna discrimen subiret, nec vltima remedia tentaret vel cum periculo, aggressus est ei remedium adferre, adhortatusq; eum vt admitteret id & hauriret, si festinaret valetudinem recipere, vt ad bellum pergeret.* Cum Plutarcho facit & Diodorus Siculus.

NON VT REGEM MODO) Oratio malè cohærens. desideratür vox, quomodocunque distinguas. Erat, inquit, inter nobiles medicos ex Macedonia regem secutus Philippus natione Acarnan, fidus admodum regi puero comes, & custos salutis datus: non vt regem modo &c. hæc vt vides cum exordio periodi Erat inter, &c. non conueniunt. Liber Basilientis post illa: *salutis datus, inserit, quem: sed malim cum Acidalio, qui, possis & Alexandram addere vel audire, vt sit plena oratio: custos salutis datus, qui Alexandrum non vt regem modo, &c.*

VT ALVMNVM) quem vt nutricius educarat. *Alumnus, inquit Nonius, consuetudo quos alas, vel educes, vel eos qui aluntur.* Virg.

— nec Romula quondam

Vllo se tantum tellus iactabat alumno.

Ita Cicero & Varro vsurparunt. Virgilius iterum pro filio:

Nec non & Tytion terra omnipotentis alumnus.

Pacuius: *Quæ desiderio alumnū, penitudine*

*Squale, scabreg, & inculta vastitudine.*

Virg. AEn. 9. Alumnus dominum --- caro datus ibat alumno. Ità vsurpatur hic à Curtio.

NON PEACEPS) sed meditatam, curaque confectum strenuumque, præsentissimum & efficacissimum ac singulare, quod confestim iuuet, præsentaneum.

POTIONE MEDICATA) In sorbitionem enim & poculum omnes medici coniurant, sed subitum & vehemens nemo ex alijs audebat tentare, aut promittere. Val. Maximus: *Qui cum ad vnam potionem sententiam direxissent, &c.*

POLLICEBATVR) *παυλιχῶς*. promittebatur. Varro *ἐνεργητικὸν* vsurpauit: seu vt emendant alij Anthropolij --- *Ne dares, ne polliceres quod datum est.* Nonius magnam vim verborū priscorum collegit, quæ dudum exoleuerunt, cap. de contrarijs generibus verborum, vt aucupari, vagas, refragabunt, & hoc genus plurima. Dicas fortasse hic audiendum nomen Philippi: *pollicebatur Philippus*: sed præcessit promissum, quod nemini placebat præter ipsum cui pollicebatur. Metellus Numidicus in oratione, qua apud populum C. Manlio tribuno plebis respondit: *Nam vt alijs plerumq; obuenienti Magistratu ob metum statua polliceantur.* Passiue, inquit Priscianus, *ἐπαγγελῶνται*. Quo loco longum contexit syllabum deponentium quæ priscis *ἀντικωνῶς* vsurpabantur.

ANTE SIGNA STARET) more suo Alexander in prima acie antesignanus *ἐν προμάχαις*, non magis enim ducis, vt mox subijcit Curtius, quam militis munus exequabatur.

NE SALVTESVAM PHILIPPO COMMITTERET) Dum hæc Philippus alter AEsculapius parat, Parmenio proximus ab Alexandro fidissimus inter Principes Macedonum, quem Alexander tamen non optima fide iussit interfici, monuit Alexandrum caueret infidias Philippi: Nunquam Alexander ab omni parte tam æstuabat, quam in hoc morbo, quo primum ad mortem affectus erat; mox augebat & morbum & curas nuncius de Darij properantis in Ciliciam aduentu. præterea quod nemo præter vnum auderet polliceri remedium, demum quod erat omnium grauissimum, ille ipse vnus & amicus dicebatur, iam mille talentis corruptus, nuptijs insuper regijs & sororis Darij promissis ad cædem Alexandri sollicitatus, & victus, & addictus. Eleganter & generosum Alexandri animum & fidem erga amicum ostendit Valer. Maximus, quem supra laudauimus. Dicit tamen à narratione aliorum, & ab Alexandro haulto demum poculo, ait Philippo Parmenionis literas porrectas: *Quas cum (Alexander) legisset, sine vlla cunctatione medicamentum hausit, at tunc legendas Philippo tradidit.* Arrianus contra legendas ait tradidisse Philippo, & ipsum interea dum alter legeret, haultisse. Plutarchus eū Arriano facit, simul & lectam Philippo epistolam, & haultū ab Alexandro poculum: Curtius cum Valerio videtur docere, sumpto demum pharmaco datas Philippo literas legendas, quamuis subobscurè, cum dicit: *Alexander epistolam à Parmenione missam sinistra manu tenens accipit poculum, & haurit interritus: tum epistolam Philippum legere iubet, haulto nempe medicamento.* Contra tamen est quod sequitur: *nunc sacro & venerabili ore trahitur. nihil gas, vt quædam habent exemplaria, accepit & hausit, tum epistolam.*

SORORIS) Plutarchus filix *θεραπεύς* scripsit. iussiciebat medico & proditori empto soror.



SECRETÀ AESTIMATIONE PENSARAT) Elegans fluctuantis animi descriptio . vt Virgilius.

*Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,  
In partesque rapit varias, perque omnia versat.*

PESEVEREM) Nondum cœperat bibere, valet ergo hoc loco, non idem quod pergere in cœpto: vel cœpta aboluere, sed in sententia & decreto permanere, non mutare animum. Perseuerem bibere? bibamne medicamentum, vt ante literas acceptas decreueram? & sententiam perseuerabo?

NE IMMERITO QVIDEM) Hoc maxime vrgebat animum. Quid si propinauit venenum, quod ego monitus vt cauerem, si bibero insultabunt viuo mortuoque, meritas me pertinaciæ & temeritatis pœnas dare, qui cautè & fideliter monentibus non oblectus fuerim.

DAMNEM MEDICI FIDEM) cui fidam ego? & quis mihi? & quomodo curabor? Quid si nõ curer, sed occidar, & impunè in lectulo meo? In tabernaculo meo, an ad huc in castris? Valerius Max. illum Tarfiægrum iacuisse narrat.

AN SATI VS EST) Decernit in alteram partem, vt Virgilius:

*Hæc alternanti potior sententia visa est.*

Ita Syracusanus Dion quibusdam monentibus vt aduersus Heraclidem & Calipum quorum fidei plurimum credebat, tanquam insidias ei neccentes cautior eslet; respondit se vita malle excedere, quam metu violentæ mortis amicos inimicosque iuxta ponere . Ergo & Alexander maluit alieno scelere, quam suo metuperire.

SIGILLO) Non est, vt putant, hæc vox barbara in hoc Curtij intellectu, cum pro signo, quo literæ clauduntur, adhibetur. Horatius:

*Odisti clauas, & grata sigilla pudico.*

Sigillo, tamen, sigillas verbum vsurpatum non est, nisi quod Varro dixerit sigillare oculos, quod est claudere. Sigilla pro paruis statuis, omnibus bonis vsitatum, nec opus exemplis.

CONSCIËNTIÆ NOTAS) In vultu deprehendas, si malè sibi conscius eslet Philippus . Ouidius:

*Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.*

Iuuenalis: --- *rubet auditor, cui frigida mens est*

*Criminibus tacitâ sudant præcordia culpa.*

Et Terentius --- *salua res erubuit.*

Pallor in plerisque sequitur maiorum scelerum conscijs:

--- *hic murus abeneus esto*

*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

PLVS INDIGNATIONIS QVAM PAVORIS) Indignantur in fontes, pauent nocentes.

Plautus --- *quæ non deliquit, decet*

*Audacem esse, & confidenter pro se & proteruè loqui.*

Val. Flaccus --- *stabilem optima facta*

*Dant animam, maiorque pûs audacia factis.*

Mala conscientia timidissimum facit, vt nescio quis apud Stobæum loquitur.

*ἡσφοῶν αὐτῶ τι, καὶ ἡθρασύτατ*

*ἢ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.*

*Sibi conscium licet virum audacissimum*

*Timidissimum facit ipsa conscientia.*

SEMPER QVIDEM SPIRITVS MEVS EX TE PEPENDIT) Spiritus meus, vita meâ (sine spiritu enim euitata vita est) semper à te pependit, cum sit penes te potestas vitæ meæ & necis, sed nunc à te certissimo hauritur vita & salus mea, per hoc medicamentum. Nam te extincto viuere nec possum, nec volo. Nolo, propter amorem quo te plus à puero me ipso dilexi; non possum quia iudicabor reus (quamuis innocens) veneni dati . Et quomòdumque pereas, inuidiam ego mortis tuæ non poterò sustinere apud exercitum. Sed malo tecum periclitari, quàm te in periculo desertum ire . Præclare quem supra laudauit Plutarchus, de Philippo, amicitia, inquit, eius fretus & indignum ratus, si cum rege in discrimine posito, non ipse etiam discrimen subiret. Possis etiam de caritate interpretari spiritum, spiritus meus semper à te pependit, semper dilexite vt vitam meam, vt vita mea à tua penderet, quo saluo me saluum putauit semper, amisso, mihi vita mors eslet . Sicut literæ sacræ de Iacob, cuius anima ex Beniamini anima pendeat.

SED NVNC VERE ARBITROR, SACRO ET VENERABILI ORE TRAHITVR) Antiquissimus codex Spirensis hanc scripturam offert. Aldinus, *sed nunc verò arbitror sacro &c.* Eodem modo Florentinus, Basiliensis: *sed nunc verò, arbitror, sacro &c.* Notatus, inquit Glareanus, locus ab Huttero, sed non expositus, quem à se quoque negat ingenuè intellectum. Modius ex nescio quo vulgato legit. *verò arbitror sacro venerabiliore* (coniunctim) *trahitur.* sed ipse vt meus Spirensis impressit: *Sed nunc verè arbitror, sacro & venerabili ore.* Et subiungit: *Quid sibi velit his verbis Curtius iuxta cum Glareano scio.* Acidalius tribus modis conatur medicinam facere cum legit: *Sed nunc verè* (vel verò) *arbitro*

*sacro & venerabili ore trahitur.* Mihi vt iuratus dicam, nulla ferè harum coniecturarum placet, veluti non ex genio Curtij grato & opportuno natarum. Seruo primam & antiquissimam scripturam, quam & Modius est secutus: *Sed nunc verè arbitrator, sacro & venerabili ore trahitur.* hoc intellectu, Spiritus meus & vita semper quidem ex tuo spiritu & vita pependit, vt te saluo me quoque saluum putarem, sed nunc verè puto arbitratorque, re ipsa trahitur, vna cum hac petitione, nempe tuo sacro & venerabili, regio inquam & sancto ore, spiritus vita & salus mea. Ex tua enim salute, quam hoc medicamento tibi restituum, pendet mea salus. tecum ego periclitor, & salus mea à tua pendet, in hoc pharmaco, quod ore sacro trahis & bibis. Aliter hoc modo interpretaberis. Ego in simulor à Parmenione per literas suspectæ & corruptæ fidei ergò. Atqui ego ita te dilexi ab incunabilis, vt me saluum negarem, aut etiam nollem nisi te saluo. Huius testimonium & specimen quia vsus & necessitas hæcenus non flagitauit, præbere non potui. Nunc puto ipse experiris, cum hauris medicamentum, quomodo erga te sim affectus. Cum omnes alij à tua valetudine curanda per timorem refugerent, ne si res non successisset, acceptæ à Dario pecuniæ redarguerentur. Ego solus malui me vltimo vitæ periculo exponere, quam te deserere. Itaque paraui medicamentum, quod nunc bibis, à quo tua salus & mea pendet. Sanitas tua quæ sequetur, diluet calumniam, & animum meum erga te fidum sanctumque ostendet.

CRIMEN PARRICIDII) Non fuit Philippus vel cognatus, vel propinquus Alexandri, vt potuerit parricidium committere. Parricida enim propriè dicitur is, qui patrem, matrem, auum, auiam occiderit. Lex tamen Pompeij comprehendebat non eos tantum qui patrem, matrem, auum, aut auiam occidisset, sed etiam qui fratrem, sororem, patruem, matruem, patruum, auunculum, amatam, consobrinum, vxorem, virum, generum, socrum, vitricum, priuignum, priuignam, patronum, patronam occidisset. Culei tamen supplicio afficiebantur ex lege tantum qui patrem, matrem, auum aut auiam occidissent, qui alios propinquos, legis Corneliæ pœna de sicarijs tenebantur. Tertullianus Infanticidium parricidij loco ponit. Quamobrem verò cædes Imperatorum, regum & principum parricidia vocentur, causa facilè potest intelligi, cum principes & magistratus sint sacrosancti, & subiectis loco parentum & patronorum. Vnde & Cicero Patriæ quoque ceu parentis parricidium dixit. Valerius Maximus Cassium & Brutum percussores Cæsaris appellat parricidas. Suetonius Idus Martias ait parricidium appellatas. Cum ergo Alexander & rex, & patronus, & alumnus fuerit Philippi, intelligebat Philippus se parricidium commissurum fuisse, si Alexandrum occidisset. Et simul hoc ad gratiam Alexandri, quem occidere Philippus pro parricidio duceret.

SERVATVS A ME VITAM MIHI DEDERIS) Mortuus occides me, seruatus seruabis, quia spiritus meus à tuo pendet. Ex quo loco cognoscis, quam aptè cohæreant etiam illa: à sacro & venerabili ore trahitur, cum potione nempe spiritus meus, seu vita mea, quam tecum saluam, tecum delectam volo.

VITAM DEDERIS) non petit vt sericatus det, sed ipso facto se seruatum iri dicit, & occisum si moriatur, etiam si à nullo occidatur.

ORO QVAESQVE) Sanè plerique codices hic mendosi: *vitam dederis oro quæsoque: amissoque metu,* &c. perinde quasi petat, cum non petat vitam, sed pronuntiet: si saluus eris, me quoque seruabis, te mortuo viuere recusantem. Interpunge ergo: *Vitam dederis. oro, quæsoque, amisso metu patere.* &cæt.

PATERE MEDICAMENTVM VENIS CONCIPI.) Curæ præsertim graues auocant calorem à stomacho in caput, vt suum munus fungi stomachus non possit, nec cibum aut potionem, pharmacumue vllum digerere, & in venas spargere, adeoque à χερσον redditur medicamentum & plus nocet quam prodest.

AMICI SANE FIDELIS) Hoc dicit ne odium in se Parmenionis conceitet viri principis & ab Alexandro secundi, poterat alioqui retorquere criminationem in ipsum Parmenionem, qui cupiat mori Alexandrum, vt ipse Alexander fiat. quortum enim illa vox Philotæ dudum ante missa quam fieret reus: *Quid est Philippus nisi Parmenio, quid Alexander nisi Philotas.*

REGEM PLENVM BONAE SPEI FECIT) Ex vultus & oris notis facile Alexander animaduertit sanctam Philippi conscientiam & innocentiam, proinde exhilaratus mirificè iuuit medicamentum, quamuis vehemens ac potens.

ITAQVE SI DIILINQVIT, PHILIPPE TIBI PERMISSISSENT) Si tibi superi fecissent copiam explorandi meum erga te animum, qua tu potissimum ratione velles, voluisses meo animo hac tam periculosa & dubia via salutis, ad animi mei sensa penetrare. Sed protecto modus hic quo meum erga te animi sensum deprehendisti, vnus omnium certissimus fuit, vti nec optare quidem potueris certiozem. cum salutem meam tuæ fidei posthabui, maluique me vltimo periculo offerre, quam tibi me vitamque meam non credere. Quod ipsa re expertus vidisti, monitus enim per epistolam, vt cauerem, nihilominus quod mihi propinasti, hausi, vti nunc non minus pro te quàm pro me ipso sollicitus sim, quod videam te, si mihi aliquid humanitus acciderit, quâuis fidum & innocentem in magnam suspicionem & periculum vitæ mea causa venturum. Accipe

dextram fidei arbitram, & tēstem & pignus beneuolentiæ erga te meæ.

NE OPTASSES QUIDEM) Vilitata bonis scriptoribus loquendi forma. Cic. *Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam est ausus optare.*

CRIMINATIONEM PARMEN. ADIUVERINT) Philippus æstimata morbi grauitate & Alexandri viribus habituque corporis natura præstati & æquiflore, temperauit medicamentū, quod natura adiutū prosterneret primū quidem sensum, sed mox vigore latentium virium tota vi collectarum, & cōtra pharmacum nitentium erectus rursū vinceret, vt qui natandi studio ex altis pontibus in altas defiliunt aquas, merguntur primum, sed mox ipsis vndis adiuuantibus emicant rursū innatantque; aut tanquam faces ventorum flabris agitata subinde extinguuntur, & sponte mox accensæ maiorem clarioremque flammam concipiunt. Exanimato verò Alexandro, omnes amici, qui cum Philippo in Alexandri tabernaculum erant ingressi, & ex Philippo Parmenionis literas legente, quid illis contineretur cognouissent, suspicati sunt vera monuisse Parmenionem, hoc enim est quod dixit Curtius. *criminationem adiuuerint.*

ARTE MEABAT) vt solet animam agentium.

NVNC CIBI, NVNC VINI ODORE) Expirat enim & exhalat id quod in cibo vinoque præstantissimum & subtilissimum est, vnde est quod coquos aiunt odore pasci. Certè Democritus è philosophorum senatu non postremus, recens cocti panis odore, toto triduo fugientem animam retinuit. Ita enim Laertius: ἤδη ὑπὲρ γῆρας ὄντα πρὸς τὸ κατασφραῖν εἶναι. Τὴν οὖν ἀδελφὴν λυπεῖσθαι, ὅτι ἐν τῇ τῶν θεομορφίῳ ἐσχτῇ μέλλοι τεθνῆσθαι καὶ τῇ θεῶ τὸ καθήκον αὐτὴν οὐ ποιήσειν τὸν δὲ θαρρῆν εἰπεῖν καὶ κελεύσαι αὐτῶ προσφέρειν ἀρτίς θερμὸς ὁσήμερος. τῆς δὲ τῆς βίῳ προσφύων διεκράτησεν αὐτὸν τὴν ἑαρτήν. ἐπεὶ δὲ παρήλθον αἱ ἡμέραι, τρεῖς δὲ ἡσάμ, ἀλυπτότατα τὸν βίον προήκατο, (ὡς φησὶν Ἰππάρχ.) ἐννέα πρὸς τοῖς ἑκατὸν ἐτη βίος. Cum iam ex senio deficeret, & propinquus videretur morti, mærentem sororem, quod ille in celebritate Cereris moriturus, ipsa Dea vota exsoluere non posset, bono animo esse iussit, panesque calidos sibi quotidie adferre, eos igitur naribus cum admouissent, viuum se, dum ea celebritas transfret seruauit. Vbi verò dies illi transferunt, tres autem erant, quietissime ac minimò dolore conclusit vitam, centesimo (vt Hipparchus ait) nōno atatis anno. Extat & Laertij epigramma super eodem facto Democriti:

Καὶ τις ἐπὶ σοφός ὦδε τις ἔργον ἔρεξε τοῖσιν,  
 Οἶσον ὁ παντοδαγὸς μῆνυσε Δημόκριτος.  
 Ὁς θανατὸν παρεφόντα τριῆματα δώμασιν ἐσχῶ  
 Καὶ θερμοῖς ἀρτίων ἀδμασιν ἐξένισε.  
 Quisnam tam sapiens visus qui tale patrauit  
 Vnquam, quale sciens omnia Democritus?  
 Qui per tres tenuit presentia facta dies, &  
 illa recens cocti panis odore aluit:

Est elegans apud aurēi oris scriptorem Chrysofomum medici artificium, quo deceptus febriciens hausit ingratum sibi sed salutare pharvacum. Imbuerat ille Machaon testam recens coctam & calentem generosissimi vini odore, in eaque medicamentum diluit. Aeger simul ori vas admouit falsas odore vini bibit medicatam potionem, iuratus se vinum bibisse, & reualuit.

FOMENTA CORPORI ADMOVIT) odores, liquoresque pretiosos, quibus deficientium tempora, nares, frontes perfunduntur, perfricantur, inunguntur.

MATRIS SORORVMQVE) Matris Myrtalis, postea Olympiadis dictæ, Cleopatram habuit nouercam, quam interfecit Olympias. Iustinus: *Habuit Myrtalem siue Olympiadem matrem, habuit nouercam Larissam, ex qua Aridæus erat, habuit Cleopatram.* Sororum, quarum vna Cleopatra Alexandro Epiri regis Alexandri auunculo nupta erat. lib. 9.

APPROPINQVANTI VICTORIAE) Carissima nomina suggestit Philippus Alexandro sensim ad se redeunti, qui maximè sopitum Pharmacō animum excitarent.

IN VENAS DIFFVDIT) è ventriculo tribuitur ac diffunditur in totum corpus per venas, vt præter Hippocratis alumnos eleganter docet omnibus disciplinis eruditus M. Tullius.

GRATES HABEBANT) Frequentius Poetæ quam Oratores ita loquuntur: Cicero tamen, vt notauit Valla, ita locutus est: *Aliquantro post suspexit ad calum, & grates tibi inquit, ago summo Sol vobisq; reliqui calites.* Quo loco discrimina ponit Valla inter hos loquendi formulas: Ago gratias, habeo, refero, ac reddo gratias.

VELVTI PRÆSENTI DEO) Veteres omnino medicinæ repertoires excultoresque, Diuorum numero accensuerunt, diuinisque honoribus macularunt, Apollinem inquam, Mercurium, Arabum, Dioscuros, Cadmum, Chironem, Apim, Aesculapium, Podalirium, Machaonem, qui & Homero ἰσόθεος φῶς laudatur, & alios, quod crederent tam excellentem disciplinam non potuisse humanis ingenijs excogitari, proinde à Luciano appellatur Deorum doctrina. Est elegans epigramma Lucillij de Magno medico, Plutonem tremuisse mortuo Magno, quod vereretur ne etiam mortuos excitaret, vt de Aesculapio ferebatur.

Μάγνον ὅτ' εἰς αἰδὸν κατέβη τρομαῖον Αἰδῶνεος  
 Εἶπεν, ἀναστῶν ἤλυθε καὶ νέκυας.

*Plutotremens, Magnus Hygias cum viseret vndas  
Manibus, hic vitam reddere venit, ait.*

Curato intra tertium aut quartum, vt Iustinus est auctor, diem Alexandro, Philippus magnis ab Alexandro honoribus auctus est. Alexander dignus ob constantiam erga amicum qui valetudinem integram reciperet: *Pro quo, inquit Valerius Maximus, tam constanti erga amicum animo dignissimam à Dijs immortalibus mercedem recepit: qui incolumitatis eius præsidium falso interpellari indicio noluerunt.*

PRAETER INGENITAM ILLI GENTI E. V. S. VENERATIONEM.) Omnibus etiam gentibus, vt M. Tullius pro lege Manilia ait, regale nomen magnum & sanctum videtur. Hæc veneratio nascitur ex auctoritate regis, auctoritas ex metu & admiratione; Erga Alexandrum accessit etiam caritas militum, firmissimum regni præsidium. Nec Macedones tantum, sed omnes gentes bello etiam subactæ colebant amabantque Alexandrum, nec viuum tantum, sed mortuum etiam, adeoque sorores propter Alexandrum. Plura de hac regum veneratione, & ipsius Alexandri, supra ad cap. 10. Quin ipsius mater Darij Sifigambis, cum post Darium occisum viuere sustinisset, Alexandro extincto superstes esse erubuit.

IAM NIHIL SINE OPE DIVINA AGGREDI VIDEBATVR.) Magnam pariunt opinionem principum religio & prouidentia. Sed miles omnia fortunæ & felicitati potius Alexandri adscribebat, quod ille sentiret tam præsentis Deos, quem ipsum amicum Deorum, vel potius instar Dei, vt Tacitus de principe loquitur, habebat. Fuit tamé singularis cultor Deorum, vt infra sæpè cognoscet. Quin extremis annis, vt ait Plutarchus, etiam ad superstitionem usque deditus sacris.

TEMERITAS) alioqui valde præsertim in Imperatore culpanda, vt infra docebo. Sed Alexandro cum semper feliciter cessisset, non temeritas, sed felicitas iudicata & appellata est.

AETAS) Dixi supra tertium & vigesimum fuisse ingressum: florentissimum iuuentæ decus omnia Alexandri facta ornat, gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

ET QVAE VVLGO LEVIORA HABERI SOLENT PLERVMQVE MILITARI GRATIORA VVLGO SVNT.) Ita Modius vel correxit, Acidalius repositit Modio omissa, & omittis adiecit *in rege*, Codex Basilienfis etiam illud *gratiora* in *grauiora* mutat, vt opponatur illi quod præcesserat *leuiora*. Sed retineo *gratiora*, quod est ad mentem Curtij: totum locum sic lego, interpungo & expono: *honestabat. & quæ leuiora haberi solent, plerumque militari gratiora vulgo sunt: exercitatio corporis inter ipsos &c.* Iam hoc dicit Curtius, vt quasi *παρὰ πρῶτον* hunc locum tractemus, comitas quædam Imperatoris seu regis inter milites, cum se cum illis & inter illos exercet, siue ludis equestribus, siue studio natandi, saltandi, currendi, pilâ ludendi, venandi, sagittandi, luctandi, pugilandi, conuiuandi, & hoc genus alijs ludicris actibus, veltis etiam prope vulgaris, aut non à vulgari distincta, quæ leuiora passim à viris grauioribus iudicari solent, militi tamen, seu militari homini vulgo passim gratiora sunt, quam æterna seueritas & rigor disciplinæ, ac supercilium Iouis, ac fastus cum solitudine coniunctus, cultusque gemmis & auro superbus, & luxus ex orbe toto conquisitus. Quod si priori regis facilitati accedat impiger animus in obeunda militia nunc militis, nunc Imperatoris munus obeuntis, si disciplina sapientiæ artium que mitiorum, si virtutes animi liberalitatis munificentiaque temperanter, cura suorum & salutis publicæ priuatæque accedat ratio, efficitur Imperator omnibus carus & venerandus. Eadem sententia est, si Acidalij emendationem sequaris, hæc omnia *in rege militari*, quamuis per se quidem leuia sint, tamen efficiuntur gratiora. Sed nescio quomodo non placeat Acidalij plerumque infœlix crisis, & à genio Curtij abhorrens. Facilius toleres *in re militari*, quomodo omnes mei cõdices ita scriptum ostendunt. Commodius tamen Modius edidit ex M. S.

## C A P V T X I.

### A R G V M E N T V M.

Darius properat in Ciliciam, Alexander Solos recipit, ludos celebrat, lætum nuncium de Myndijs, Caunijsque accipit, Mallon, Castabalum, Iffon capit, atque Darium expectat.

**A**T Darius nuncio de aduersa valetudine eius accepto; celeritate, quantam capere tam graue agmen poterat, ad Euphratem contendit. Iunctoque; eo pontibus, quinque tamen diebus traiecit exercitum, Ciliciam occupare festinans. Iam Alexander viribus corporis receptis, ad urbem Solos peruenerat; cuius potitus, ducentis talentis multa nomine exactis, arce præsidium militum imposuit. Vota deinde pro salute suscep-

*suscepta per ludum atque otium reddens, ostendit quanta fiducia Barbaros sperneret: quippe Aesculapio & Minerva ludos celebravit. Spectanti nuntius letus affertur Halicarnasso, Persas acie à suis esse superatos: Myndios quoque & Caumos, & pleraque tractus eius sue facta ditionis. Igitur edito spectaculo ludicro, castrisque motis, & Pyramo amne ponte iun. Et, ad urbem Mallon peruenit. Inde alteris castris ad oppidum Castabalum. Ibi Parmenio regi occurrit, quem pramiserat ad explorandum iter saltus, per quem ad urbem, Isson nomine penetrandum erat. Atque ille angustijs eius occupatis, & praesidio modico relicto, Isson quoque desertam à Barbaris ceperat. Inde progressus, deturbatis qui interiora montium obsidebant, praesidijs cuncta firmavit: occupatoque itinere, sicut paullo ante dictum est, idem & auctor & nuntius venit. Isson deinde rex copias admouit: ubi consilio habito utrumne ultra progrediendum foret, an ibi opperendi essent noui milites, quos ex Macedonia aduentare constabat: Parmenio non alium locum praelio aptiorem esse censebat: quippe illic utriusque regis copias numero futuras pares, cum angustiae multitudinem non caperent: planitiem ipsis camposque esse vitandos: ubi circui, ubi ancipiti acie opprimi possent: timere ne non virtute hostium, sed lassitudine sua vincerentur: Persas recentes subinde successuros, si laxius stare potuissent. Facile ratio tam salubris consilij accepta est. Itaque inter angustias saltus hoste opperiri statuit.*

**IN UNCTOQUE EO PONTIBVS QVINQVE TAMEN DIEBVSTRAIECIT EXERCITVM)** Euphrates ex Tauri montibus ortus, qua Septentrionem spectat, Ciliciam ab Armenia separat, atque inde Babylonem petit, quam mediam interluit. Cyrus Minor cum ex Cilicia Babylonem proficisceretur, ubi ad Euphratem peruenit, reperit latum stadia tria, hoc est, passus trecentos septuaginta, seu mille octingentos pedes. Nam improbable est à Dario in Ciliciam mouente haud procul ab eo loco, pontibus stratum fuisse. Non potuit res properari in tanta mole & numero exercitus.

**CILICIAM OCCUPARE FESTINANS)** ut Alexandrum aditu Syriae prohiberet, angustijs Ciliciae velut cauea inclusum & captum. Exitimabat Darius Alexandrum accepto nuncio de Darij apparatu bellico, terrore perculsum non fuisse ausum progredi.

**ALEXANDER AD VRBEM SOLOS PERVENERAT)** Alexander praemisso ad aditus Ciliciae extremæ occupandos Parmenione, ipse Tarso profectus primo die Anchialon oppidum à Sardanapalo intra vnum diem vna cum ciuitate Tarso conditum peruenit, inde Solos, ita enim Arrianus. De Solis vrbe passim scriptores, Dionysius de situ orbis, & ad illum Eustathius, Strabo, Solinus, Mela, Scholiastæ horum, & antiquior omnibus Herodotus. Ego ex Laertio ipsius natalem aperiam. *Εκείθεν τε Ἀπαλαμαγείας ἐγένετο ἐν Κιλικίᾳ, καὶ πόλιν ᾤκισεν ἢ ἀπ' αὐτῆς Σόλους ἐκάλεισεν.* Inde Solon (à Cræso) dimissus venit in Ciliciam & urbem condidit, à se Solos appellatam. Addit Laertius paucos ibi Atheniensium collocatos, eosque sensim patriæ linguæ inter barbaros oblitos cœpisse *σολοικίζειν*. Alij ab alijs barbaris affirmant Atticam linguam ibi deprauatâ, indeque natum Solœcismum, qui colonias in omnes propè gentes & posteritatem scholasque deduxit. Solinus & Mela Solæ, non Soli scribunt, & Vadianus ex Hermolao, hic ex Cicerone conatur euincere, ut Discoræ. Sed nusquam legi Solas, sed Solos. Et quo pacto aliter scribas Græcè nomen multitudinis virilis generis? Si muliebre esset, Σόλαι dendum erat. vnde Solæ, Solanum descendit. Seruo cum Curtio Solos à Soli Solorum. Vti & Arrianus, Strabo ac alij Σόλους in quarto casu scribunt. Fuit & Cypri vrbs huic cognominis & Africæ Promontorium apud Herodotum.

**DYCENTIS TALENTIS)** centum viginti millibus Philippæorum. Arrianus addit causam, quod plus Dario Perfitque fauiffe viderentur. Alexander captis Solis & praesidio firmatis circumtulit bellum in montana Ciliciæ, quæ omnia teste Arriano intra septimum diem occupauit, Solosque re-dijt.

**AESCULAPIO ET MINERVAE LVDOS CELEBRAUIT)** Hoc paulò planius narrat Arrianus, & Curtium admodum interpretatur. Alexander cum apud Solos Aesculapio sacrificasset, ipseque pariter ac totus exercitus pompam facibus circumgestatis peregisset, ludis etiam gymnics & musicis editis, Solensibus Democratiam concessit. Sed cur Aesculapio & Mineruæ? Aesculapio, quia vota, inquit Curtius, susceperat, pro salute recuperanda, cum Tarfi æger iaceret. Aesculapius verò propter singulare curandi artificium ab ipso prope inuentum, aut certè ex cultum, in censura Deorum venit. Plura de hoc (praeter Hippocratem, Iulium Firmicum, Paullum Aeginetam, Celsum) Virgilius, Samonicus, Ciesero, Liuius, Macrobius, Mythologi.

VOTA PRO SALVTE SVSCEPTA.) à milite, vel Alexandro, vel vtrisque, & hoc pro more, vt in Romana quoque Imperatorum & Græca historia passim apud Herodianum, Plutarchum, Lucianum, Pausaniam, alios cognosces.

LVDOS CELEBRAUIT) Gymnicos & Musicos inquit Arrianus. Gymnici ludi dicuntur, quod à nudis exercentur, γυμνός enim Græcis nudus est. Erant\* Pentathli & Pancratia stæ: hi pugilatu, & lucta, illi omni genere Gymnico, cursu, saltu, disco, lucta, pugilatu nobiles. De quibus Mercurialis, Musici continent theatra, ludios, scenas, comedias & tragœdias, satyras, diuortia seu exodia, & quidquid denique ad theatrum pertinet, de quibus singulare nuper volumen condidit Iulius Cæsar Bulengerus.

MINERVAE) Theatrales ludi & gymnici Palladi grati Deæ Martiali & Sapientiæ simul præstiti. Altera causa cur Mineruæ ludos inflituerit, quod illa Græcis singulari cultu sacrosancta, semper eidem fauisse canatur ab Homero contra Troianos, vt & Ouidius:

*Aequa venus Teucris, Pallas iniqua fuit.*

Proinde assidua Vlyssi comes additur ab Homero. Nec opus in re manifestariâ pluribus.

SPECTANTIN VNCIVS ADFERT VR HALICARNASSO PERSAS ACIE A SVIS SVPERATOS) Halicarnassus caput Cariæ. Mausolæi opere, Herodoto, Dio, Halicarnasæo & alijs inclyta miraculis, præsertim Salmaci fonte. Sed hunc nobis locum velut interpret noster Arrianus planum dabit, qui Orentobatem Persam à Ptolomæo & Afandro Ducibus Alexandri victum narrat: καὶ ἐν ταῦθα, inquit, μολθάει &c. Hic Orentobatem Persam (qui Halicarnassæ arcem, & Myndum, & Caunum ac Theram & Calliopolim tenebat) à Ptolomæo & Afandro victum cognouit. Accesserat ad victoriam & Cos & Triopium. Hunc (Orentobatem) magno prælio victum perscribebant, casis peditum circiter septingentis, equitum quinquaginta, viuis non infra mille captis, Vt oræ statum Hellepontiacæ tibi in memoriam reuoces, opus est vt ad caput tertiū Curtij regrediaris, vbi Curtius dixerat: Vt à tergo (Alexander) tuta relinqueret, Amphoterum classi ad oram Helleponti, copijs autem præfecit Higelochum, Lesbium & Chium. & Con præsidjs hostium liberaturos. Sed quomodo ex Halicarnasso nuncium accepit Alexander, cum urbem multo labore captam à fundamentis exciderit, vt est apud Arrianum? Urbem euertit, sed non arces in quas profugerant hostes, quas tamen ipsas etiam postmodum recepit. Arrianum, Strabonem, Siculum adi.

MYNDIOS QVOQVE) Μύνδος, inquit Stephanus περὶ πόλεων πόλις Καρίας. Myndus est vrbs Cariæ, de qua Hecatæus: εἰς ἃ πόλις Καρίας ἄλλη παλαιὰ Μύνδος: Est & alia antiqua Cariæ ciuitas Myndus. Apollonius & Zeno Mundij fuere. Extat in Myndiorum oppidum parum magnum, sed magnis partis superbium, iocus Diogenis apud Laertium: εἰς Μύνδον ἔλθων ἃ θεασάμενος μεγάλας τὰς πόλεις μικρὸν δὲ τὴν πόλιν Ἀνδρες μύνδοιο ἔφη κλεισαλετὰς πόλεις μὴ ἢ πόλις ἡμῶν ἐξέλθη. Ingressus Myndum cum portas vidisset magnas, & oppidum paruum: Myndij inquit, claudite portas, ne vrbs vestra exeat.

CAVNIO) Caunus oppidum Cariæ, ἀπὸ Καύνης, inquit Stephanus, οὐ βίβλις ἦν ἀδελφῆ ἑρα. Δεῖσα φεύγοντι ἐκείνης ὅθεν ἢ παροιμία δὲ Καύνης ἔρωσ. Dicta à Cauno, à Biblide sorore dilecto, sed auersante illam & fugiente, vnde nata Parœmia, Caunius amor. de incesto amore, Fabula est apud Ouidium. Urbis olim Calymna dicta, in vicinia Callis flumen altum. Caunus naualia habet, & portum qui claudi potest, supra eum castellum Imbrus. Regio fertilis, sed valetudine habitantium infamis, causam addit Geographus, æstius ardores & pomi copiam. Lusit in hos Stratonicus Citharœdus, cum pallentes videret illo Homeri versu:

*Οἷπερ φύλλων γένει, τοῖδε ἃ ἀνδρῶν.*

*Nascuntur foliorum instar, mortalia quippe corpora.*

Culpantibus illum Caunijs quod urbem tanquam pestilentē notarit, ἐγὼ, ἔφη, μήποτε θαρρήσομαι ἐν λέγειν νοσερᾶν, ὅτι ἃ νεκροὶ περιπατοῦσιν, Absit, inquit, vt ausim ego urbem vestram morbis obnoxiam dicere, vbi mortui etiam obambulant.

ET PLERAQVE TRACTVS EIVS) Idem narrat Diod. Siculus, Arrianus ipsa loca circumiacentia cum Insulis expressit, vt supra legisti. Theram, Calliopolim, Con, Triopium.

PYRAMO AMNE) Pyramus in Mallo (inquit Stephanus) Ciliciæ fluiuis, olim Leucósyros cognominatus. De origine, cursu, strepitu huius fluminis mira narrat Strabo, quem videbis. Hos supra attingimus. Xenophon Pyrami alueum scribit latum passum centum viginti quinque, tot enim conficit stadium. Atque inde flum vsque L X. M. passuum abesse. Philotas per campum Aleium equitatum ad Pyramum duxit, vt Strabo, & Arrianus narrant.

MALLON) Pyramus hoc oppidum præterfluit laudatum multis, Lucano:

*Mallos & extrema resonant naualibus Aegæ.* Dionysius supra adductus est. Geographus: Propè, (inquit interpret) est Mallus, sita loco edito, condita ab Amphilocho & Mopso Apollinis filio ac Mantus. Et infra: Ferunt Mopsum & Amphilocho in Troia profectos Mallum condidisse, quorum sepulchra ostenduntur apud Margasa propter Pyramum. Crates Grammaticus inde oriundus fuit. Quid Malli Alexander gesserit, tacet Curtius, loquitur Arrianus: Inde Mallum, inquit, profectus, Amphilocho vt Heroi parent auit: cumque ciues seditione laborantes offendisset, ea sedata, tributa qua Dario regi pendere soliti erant, ijs remisit, quod Malli Argiuorum coloni essent, ipseque ab Heraclidis Argiuis oriundum se perhiberet.

INDE

INDE ALTERIS CASTRIS CASTABALVM ) Castabala numero multitudinis scribunt Geographus & Plinius, qui propter bella, inquit, Colophonij, itemque Castabalenses cohortes carum habuere: ea prima dimicabant in acie nunquam detrectantes: Hæc erant fidissima auxilia, nec stipendiorum indiga. Stephanus: Κασάβαλα πόλις Κιλικίας ἔξ ὀρνίχης ἢ ἔξ περασίας ἐκαλεῖτο. Castabala vrbs est Cilicia & Phœnicis, quæ & Perasia vocabatur. Hic adiunt gesta, quæ de Oreste & Pylade feruntur.

ALTERIS CASTRIS) Vsfatus historicis loquēdi modus primis, alteris, tertijs, quartis, quintis, &c. castris, hoc est diebus, et si non continuis semper intelligendum, cum sæpè in castris vnum, duos, tres pluresve dies morarentur. Græci σαθροὺς appellant.

IBI PARMENIO REGI OCCVRRIT QVEM PRAEMISERAT.) Post hæc, inquit Arrianus, Parmenionem ad occupandas alias angustias mittit, quæ Ciliciam ab Assyria diuidunt, vt transitum tueatur. Pylas hic Ciliciæ extremas versus Syriam intelligit Arrianus, quas infra ex Xenophonte describemus.

AD VRBEM ISSON NOMINE) Mirum dictu, Xenophon, Diod. Siculus & Melas Iffon ingentem urbem, Strabo πολίχνιον oppidulum cum statione appellat. Iterum Melas ætio suo nullam fuisse Iffon affirmat. Stephanus autem Ἴσσοῦς, inquit, πόλις μετὰ τὴν Συρίαν ἔξ Κιλικίας, ἐν ἣ Ἀλέξανδρος Δαρῆιον ἐνέκρησεν, ἢ ἐκλήθη διὰ τὸ τὴν Νικόπολιν ἀπ' αὐτῆς, ἔξ ὁ Ἴσσοῦς κόλπος. Ἐκεῖ ἦ καὶ ποταμὸς Πιναρὸς ὀνομαζόμενος. Iffos vrbs inter Syriam & Ciliciam, ad quam Alexander Darium vicit, eoque dicta est Nicopolis ab illo. Ptolemæus tamen Nicopolim diuersam facit ab Iffo, vbi reuera est. Ifficus sinus ab Iffo, Ibidem & Pinarus nobile flumen. Nobilitauit ergo hanc Alexander, sicut Cannas Hannibal; & alia loca aliæ vel victoriæ vel clades, vt Actium, campos Pharfalum, Marathonium, nota cunctis nomina. Occupatam ergo Iffum à Parmenione, ingressus Alexander cœpit de summa rerum consilia in medium ponere, vtrumne Syria adeunda & Dario in apertis occurrendum campis, an potius in Cilicia ad Iffon & in angustijs hostijs expectandus. Vbi in sententiam Parmenionis sapientissimi & exercitatisimi purpuratorum descensum est, hostem in angustijs expectandum. Causas Parmenion adducebat primam multitudinem hostium, suorum paucitatem. alteram, in arcta Ciliciæ terra & montium angustijs Macedones fore pares Darij copijs, cum nec aciem peditum, & multo minus equitum possent propter locorum & saltuum incommoditatem explicare. tertiam, in campis Syriæ ipso numero hostium posse fatigari Macedones, vt Spartanos olim in Thermopylis, & circumueniri. Hæc Curtius; sed Arrianus affirmat Alexandrum Pylas transiisse, & castra ad Myriandrum posuisse, Darioque per Ammanum montem in Ciliciam transeunte, postliminio ad Pylas reuersum, & illi ad AEGEAS & Pinarum amnem occurrisse.

EX MACEDONIA ADVENTARE) Callisthenes apud Polybium scribit, Alexandro Ciliciam intranti aduenisse ex Macedonia supplementi loco peditum quinque millia, equites octingentos. Nōdum ergo castra attigerant.

## CAPVT XII.

## ARGVMENTVM.

Sifenes perfuga, propter litteras Nabarzanis falsâ suspitione oppressus, iussu regis, occiditur.



Rat in exercitū regis Sifenes Perses, quondam à Prætorē AEGYPTI missus ad Philippum, donisque & omni honore cultus exilium patria sede mutauerat. secutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. Huic epistolam Cretensis miles ob signatam annulo, cuius signum haud sanè notum erat, tradidit. Nabarzanes prætor Darij miserat eam, hortabaturq; Sifenem, vt dignum aliquid nobilitate, atq; moribus suis ederet. magno ideò apud regem honori fore. Has litteras Sifenes, utpotè innoxius, ad Alexandrum sæpè deferre tentauit. sed cum tot curis, apparatuque belli regem videret urgeri, aptius subinde tempus expectans, suspitionem inuti scelesti consilij præbuit. Namque epistola priusquam ei redderetur, in manus Alexandri peruenierat, lectamque eam ignoti anuli sigillo impresso Sifeni dari iusserat, ad æstimandam fidem Barbari. Qui quia per complures dies non adierat regem, scelesto consilio eam visus est suppressisse, & in agmine à Cretensibus haud dubiè iussu regis occisus est.

F

A PRAE-

A PRAETORE AEGYPTI) infra Sataces, vel Sabaces, vt Arrianus scribit, Aegypti praetor cæsus ad Iffum narratur, potuit hic fuisse quem laudat Curtius.

AD PHILIPPVM) Patrem Alexandri in Macedoniam.

EXILIVM PATRIÆ SEDE MVTAVERAT ) Nonnulli inuertunt casus & ponunt: *Exilio patriam mutauerat*. Mei codices omnes: *Exilium patria sede mutauerat*, quod exponere promptum est, patriam exilio posthabuit, exilium patriæ prætulit, vt dicimus, mortem cum vita commutauit, mortuus est: Sed obseruandum hic, optimos quoque scriptores cum Curtio sine præpositione dixisse, aliquid aliquo mutare,

Horatius. — *Valet ima summis mutare.* & Epod.

*Pecusue Calabris ante fidus feruidum*

*Lucana mutet pascuis.*

Et lib. 2. Ode 12.

*Num tu quæ tenuit diues Achemenes*

*Permutare velis crine Lycymias?*

Et Od. 1. lib. 3.

*Cur valle permutem Sabina*

*Diuitias operosiores.*

Ep. Od 3. — *Punico Lugubre mutauit sagum.*

Od. 17. lib. 1. *Velox amœnum sæpè Lucretilem*

*Mutat Lycao Faunus--*

Quorum veruum mens eadem quæ Curtio: Faunus sæpè montem Lucretilem mutat Lycao, siue anteponit Lucretilem Lycao, migrat ex Lycao in Lucretilem. Priscianus explicat hoc modo: Lucretilem mutat Lycao, id est, Lyceum mutat Lucretilem. Ita expono Curtium: Exilium patria mutauerat, id est, patriam exilio mutarat.

Notandum tamen contrario intellectu eandem vocem *mutare*, sæpè vsurpatam auctoribus.

Horatius:

--- *nunc ego mitibus*

*Mutare quæro tristia*

Non significat tristia lætis anteponere, sed læta & meliora tristibus:

Idem: *Socraticam & domum*

*Mutare loricas Iberis*

*Pollicitus meliora, tendis?*

Loricas nen pe Iberas & militiam anteponere studes philosophiæ:

Ita idem: *Nec somnum plebis laudo sator altitium: nec*

*Otia diuitijs Arabum liberrima muto.*

Sallust. *Nemo nisi victor pace bellum mutauit.*

Nemo nisi victor pacem bello prætulit.

Propertius: *Durus qui potuit lucro mutare puellam.*

Ferreas, inquit, ille fuit, qui potuit lucrum puellæ anteponere.

Valet sæpè idem mutare, quod emere vel vendere. Sic vsus est Catullus

--- *crede Pollioni*

*Fratri, qui tua furta vel talento*

*Mutari velit---*

Virgil.

--- *vestro si munere tellus*

*Chaoniam pingui glandem mutauit arista.*

Plura apud Lambinum cognosces ad Horatium.

Hic tamen monitum velim lectorem, alterum loquendi modum minimè barbarum esse, vt barbarus ipse scripsit Acidalius ad Plautum. *Acidalius*, inquit Taubmannus, *negat latinè dici mutare quid cum aliquo, etiamsi Iuonis carcinoma istud tueri vtrumque conetur*. Non eo negatum in illo versu Plauti, vt Gifanio & politissimò etiam Scioppio visum, *to cum* exterendum. In prologo, inquit consultus à me Scioppius, omninò legendum est:

*Si quem reperire possit, quo mutet suum.*

Aliter legi pedaria fraus fiet ( claudicabit enim versus) *Extrema scena prima in quibusdam veteribus codicibus inuenio:*

*Aliquem inuenire, suum qui mutet filium.*

Idque verum esse nunc eorum persuadet ratio. Scena secunda eiusdem fabulæ legimus:

*Hoc illum me mutare confidore.*

Neque tamen propterea à damno præpositionem additã, vbi numeri patiuntur, sic enim est apud Livium: *Vt regis vrbes nullius libera civitatis fortunã secum mutata vellent*, pro *secum* dicere poterat *cum sua*. Ita

Ita



Ita Terentius, cum aliquo verba commutare, cum aliquo vestem mutare. Sed hic rectè Scioppius animaduertit per præpositionem hic hominem significari: Vereor tamen, inquit, cum accuratius considero, ne *τὸ cum* hominem potius significet, dictumque sit concisus pro, cum aliquo vestem mutare, quemadmodum Sallustius: *mancia cum mercatoribus vino mutare*. Talis præcisio etiam in illo Liuij loco fingi potest, tanquam dicerem. Ego illius opes mea paupertate mecum mutari nollem. Mutare aliquid cum aliquo est, quod Germanicè dicimus *mit einem vmb was tauschen*. Aliquid aliquo mutare. *Einẽs vmb das ander geben/ oder etwas austauschen*. Hæc Scioppius. Colligo ergo latine dici: *Exilium patria sede mutare*. Et eodem intellectu, *Exilio patriam mutare*. Et: *Exilium cum patria sede mutare*, &: *patriam cum exilio mutare*. Cicero: *Vt cum patriæ caritate constantia gloriam commutaret*. Sulpitius ad Ciceronem: *quibus licitum est mortem cum vita commutare*.

NABARZANES PRAETOR DARIJ) Chiliarcha Darij, & Drangarum Satrapes, Bello parri-  
cidij aduersus regem Darium particeps, donatus tamen vita ab Alexandro, propter Bagoam pueri,  
quem munus Alexandro attulerat. Diffusus demum Alexandro propter conscientiam malefacto-  
rum in Indiam profugit.

A CRETENSI MILITE) Apto sanè ad fallendum & mentiendum, vt tota gens, quid enim  
est Græcis *κρητιζεν* quam mentiri & fallere.

*Κρητες ἀει ψεύσαι, καὶ θυρία γαστέρες ἀργαί.*  
*Cretenses semper mendaces, male bestia, ventres pigri.*

Nota est parcemia *πρὸς κρητα κρητιζεν*, aduersus Cretensem cretizare, mentiri. Erant in exercitu  
Alexandri multi ex ea gente, vt infra sequitur. Hic obserua epistolam non ab Nabarzane missam Si-  
feni per Cretensem militem, sed ab Alexandro per Cretensem Sifeni redditam. Alexander enim  
prior epistolam acceperat, & signatam rursus ignoto signo, reddi per Cretensem Sifeni curarat.

ATQVE MORIBVS SVIS) Et hic variant Codices. Theocrenus scribit *maioribus suis*, & A-  
cidalius suspitione ductus ita scribendum coniecerat. Meo animo vtrumque benè, seu *moribus* seu  
*maioribus*. *maioribus* enim aptè iungitur *nobilitate*, vt aliquid dignum sua nobilitate, dignum maiori-  
bus suis designet interficiendo Alexandro. *moribus suis* generosis, audacibus, & facinoribus & factis  
olim haud imparibus perpetratis.

SVSPICIONEM PRAEBVIT) Alexandro facili & prono in hoc vitium, præsertim crescen-  
te potentia.

IGNOTI ANVLI SIGILLO IMPRESSO) Eod. modo suprâ dixit: *sigillo anuli sui impresso*.

A CRETENSIBVS) Videtur inter Cretensium cohortem Sifenes vixisse, cum per Cretensem  
militem literas acceperit, & in eorum agmine fuerit interfectus. Cretenses sagittarios in exercitu  
hoc laudat Arrianus, quibus Sitalces præfuit.

## C A P V T XIII.

## A R G V M E N T V M.

Thymondas peregrini militis ductor, suadet Dario,  
vt retrò abeat in Mesopotamiam, quod consiliũ  
illi, copijsque Græcis propè exitio fuit, dum à Sa-  
trapis proditor iudicatur. Ab Dario seruatur, con-  
siliũ tamen eius cur ipse non sequatur rationem  
adfert, impedimenta Damascum mittit, ipse Ci-  
liciam petit.



*A*ng. Græci milites, quos Thymondas à Pharnabazo acceperat, præcipua  
spes, & propemodum vnica, ad Darium perueniant. Hinc magnè suade-  
bant, vt retrò abiret, spatiososque Mesopotamia campos repeteret. Si id  
consiliũ damnaret, at ille diuideret saltem copias innumerabiles, neu sub  
vnum fortuna vclum totas vires regni cadere pateretur. Minus hoc regi,  
quàm purpuratis eius displicebat: ancipitem fidem, mercede venalem pro-  
ditionem, imminui & diuidi non ob aliud copias velle, quàm vt ipsi in diuersa digressi, si  
quid

quid commissum esset, tradèrent Alexandro. nihil tutius fore, quam circumdatos eos exercitus toto obrui telis, documentum non inulta perfidia futuros. At Darius, ut erat sanctus & mitis, se verò tantum facinus negat esse facturum, ut suam secutos fidem, suos milites iubeat trucidari. Quem deinde amplius nationum exterarum salutem suam crediturum sibi, si tot militum sanguine imbuisset manus? Neminem solidum consilium capite luere debere. de futuros, qui suaderent, si suasisse, periculum esset. denique, ipsos quotidie ad se vocari in consilium, variasque sententias dicere: nec tamen melioris fidei haberi, qui prudentius suaserit. Itaque Græcis nunciare iubet, ipsum quidem benevolentia illorum gratias agere, ceterum si retrò ire pergat, haud dubiè regnum hostibus traditurum. fama bella stare: & eum, qui recedat, fugere credi. Trahendi verò belli vix ullam esse rationem. tanta enim multitudo, utique cum iam hyems instaret, in regione vasta, & inuicem à suis, atque hoste vexata, non suffectura alimenta. ne diuidi quidem copias posse, seruato more maiorum, qui vniuersas vires discrimini bellorum semper obtulerint. Et hercè terribilem ante à regem, & absentia sua ad vanam fiduciam elatum, postquam aduentare se senserit, cautum pro temerario factum, delituisse inter angustias saltus, ritu ignobilium ferarum, quæ, strepitu prætereunantium audito, silvarum latebris se occulerint. Iam etiam valetudinis simulatione frustrari suos milites: sed non amplius ipsum esse passurum detrectare certamen. in illo specu, in quem pauidi recessissent, oppressurum esse cunctantes. Et ac magnificentius iactata, quàm verius. Ceterum pecunia omni, rerumque pretiosissimis Damascum Syria cum modico præsidio militum missis, reliquas copias in Ciliciam duxit, insequentibus more patrio agmen coniuge ac matre: virgines quoque cum paruo filio comitabantur patrem.

GRAECI MILITES) triginta millia, ut infra Curtius numerat, robur exercitus Darij.

THYMONDAS A PHARNABAZO ACCEPERAT) Curtius supra: Thymondes Mentoris filius, impiger iuuenis, cui præceptum est à rege, ut omnes peregrinos milites, in quibus plurimum habebat spei, à Pharnabazo acciperet. Idem Arrianus. Thymondas hic Græcus erat, & transfuga ab Alexandro sicut & Amyntas, qui in Aegypto postea periit, ut Curtius infra cum Arriano testatur.

PRAECIPVA SPES ET PROPE VNICA) conducendos hosce & his pares antea Charidemus suaserat: Pari robore, inquit, opus est: In illa terra quæ hos genuit, auxilia quaerenda sunt.

UT RETRO ABIRET) Iam Amyntas apud Arrianum monuerat Darium, ut in Melopotamiae campis expectaret Alexandrum. Et persuaserat, sed cunctante in Cilicia Alexandro propter morbum abductus à sana mente, promouit exercitum Ciliciam versus, ratus Alexandrum timore percussum non audere progredi. Ead. Plutarchus cum Arriano quos videbis.

DIVIDERET EXERCITVM) Si prius & verius certiusque consiliū improbaret & reijceret, omninoque intra saltus Ciliciæ & impeditos aditus exitulque hæreere deliberatum haberet, saltem admitteret alterum consilium, quod primo vsu vtilitateque proximum erat, ut diuiso exercitu alteram copiarum partem remitteret in Melopotamiam, seruaretque in omnem euentum, ne primo congressu vinci posset, sed victus haberet alterum, quem Alexandro exercitum obijceret.

DAMNARET CONSILIVM) Dum ego tracto argumentum Curtij, & explano sensa verborum, nolim à candidatis eloquentiæ negligi Curtianam elegantiam, quam subinde aduertendam moneo. Egregiè dictum est damnare consilia. & amat ita loqui Curtius, supra: quippe quæ per duces suos acta erant, cuncta damnabat. Et: damnem medici fidem? Et alibi: damnata spe. Nec minus elegans est quod sequitur: Ne sub vnum fortune ictum rotas vires regni cadere pateretur. exponendo nempe totum simul exercitum aleæ dubiæ Martis, & ferali fortunæ nutui, ut loquitur Apuleius.

MINVS HOC REGI) Plerique codices omnes quos vidi, addunt: hoc consilium. Modius eliminat, an ex suo, vel alieno, haud dispicio: ex suo reor. & tollendum videtur, quod Curtius breuitatis studiosissimus huiusmodi carcinomata oderit. Nam paullò antè dixerat, Si id consilium damnaret. Itaque videtur ex glossæmate irrepsisse. Cæterum rex intelligebat Græcorum ac Thymondæ orationem probabilem esse.

ANCIPITEM FIDEM, ET MERCEDE VENALEM PRODITIONEM) Hic primum de scriptura constituamus, deinde de Curtij mente.

Codices omnes, quos vidi diuersos, veteres & recètes, disertè ponunt mercede venalè proditionem imminere, & diuidi, &c. Palmerius & Modius imminere vertunt in minus. Acidalius omninò tollit & imminere, & minui, legitque: mercede venalem proditionem: diuidi non ob aliud &c. Ego facilè assequor verbum imminere à Palmerio & Modio, non ex fide MSS. sed suapte iudicio à Curtio proscriptū, aut certè in rò imminui mutatum esse, cum omnes mei codices coniurent in vnã scripturã, suspicor tamen

men rō *imminere*, glossema lectoris, non Curtij calamum esse. Ex re ego incerta codicem Curtij non interpolandum, & veterem lectionem seruandam. Sententia Curtij iusta est: Purpurati sentiebant dicebantque Græcorum militum fidem ambigam, & venalem proditionem imminere, & diuidi velle copias, quam eam partem, à qua ipsi collocandi essent, proderent Alexandro. Iam ex genio Curtij meo animi est: *Ancipitem Græcorum fidem, mercede venalem proditionem: (esse) & diuidi &c. vel: Ancipitem Græcorum fidem, & venalem proditionem diuidi non ob aliud copias velle, quam &c. I-* rā non erit opus verbo *imminere*, & sententia erit plena. *Fidem ancipitem* (Græcorum) *mercede venalem proditionem* diuidi velle copias Darij, non aliam ob causam, quam vt ipsi à toto exercitu disuncti, & cum parte copiarum duntaxat coniuncti, si quid sibi creditum aut commissum esset, illud possint tradere Alexandro. Nec Acidalij tamen displicet interpunctio.

NIHIL TVTIVS FORE. ) Satrapæ Alexandri cum Græcum militem mercenarium de proditione suspectum vel haberent, vel habere se simularent, pronunciarunt dignos videri, qui omnes occisione occiderentur, & à toto exercitu Persico circumuenti telis opprimerentur, vt reliquis & posteris omnibus essent documento, ne quod facinus huiusmodi tentare aude-

rent. DOCUMENTVM ) hanc vocem multi secius accipiunt quam solent Latini scriptores, & nos olim accepimus pro institutionibus, præceptis & doctrina, cum animaduertam bonis scriptoribus tantum eo significato poni, quo solet nonnunquam exemplum aut admonitio. Cæsar: *Nam maiore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis necat: leuiore de causa, auribus defectis, aut singulis effosis oculis domum remittit, vt sint reliquis documento, & magnitudine pœna perterreant alios.* Ita passim Cicero & alij vsurparunt; non pro præceptis aut doctrina, vt alibi admonui. Virgil.

*Nos documenta damus qua simus origine nati.*

AT DARIVS VT ERAT SANCTVS ET MITIS ) Darius ingenio miti & tractabili erat, vt suprā docuit. Sanctus hic pro innocenti, integro, æquo, & bono & iusto viro ponitur, vt apud Ciceronem: *Cum esset ille vir exemplum vt scitis innocentia, cum illo nemo neque integrior neque sanctior in ciuitate.* Idem: *Vir natura sanctus & religiosus.* Et: *Homines sunt tota Asia sanctissimi frugalissimiq.*

Alioqui sancta dicuntur propriè, quæ neque sacra, neque religiosa, neque profana sunt, sed sanctione quadam confirmata. Quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi non sit Deo consecratum l. 9. s. propriè D. de rerum Diuisione. A sanctiando enim sanctū dictum, quasi in corruptum & iniuolatum. Alio significato sanctum est, quod ab hominum iniuriā munitum atque defensum est, dictum à sagminibus, seu verbenis, quæ ex loco sãcto secabatur à cōfule vel prætoris legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellum ve indicendum. Ex quo legati sancti iure gentium dicuntur, quod eos violari nefas sit. Sancta loca muri & portæ, sancti etiam magistratus dicebantur. Sed hic, vt docui, ἁθικὸς accipitur, pro natura miti, & ingenio mansueti moribusque æquis & bonis, ipsaque clementia.

TOT MILITVM ) an tot millium? erant enim triginta millia. Certè infrā Curtius: *Vnius hominis iactatione tot millium sanguinem impendi.* Hæc occurrebant, antequā Modium mihi suffragantem inspicerem. Sapienter certè Darius & humanè, perculsurus erat omnium gentium animos tam immani cæde propter suspicionem faciendā, nullo delicto commisso, nec vilo signo proditionis edito.

NEMINEM STOLIDVM ) sequuntur meræ gnômæ, quod habet solemne in orationibus & deliberationibus Curtius. Est enim hæc oratio in secundo genere causarum. Vbi liberæ oportet esse sententias consultorum, alioqui frustra quæras ac deliberes, præsertim apud principem, cum nihilominus plerumque sententiæ inclinent consiliariorum, quo regem propendere sentiunt. quo de copiosissimè scripsit Gruterus ad primum Taciti Annalem. Qui timet, nunquam quod lentit, edit. *Diu*, inquit infrā Curtius, *nemo quid sentiret ausus est dicere, incerta regis voluntate.*

DEFVTVROS QVI SVADERENT ) Quis enim cum capitis periculo, vt ille Charidemus, id faciat? Paucos Heluidios leges, qui ad Velpasianos: *Penes se est, ne me senatorem esse patiaris. quam diu autem me loco nō moueris, est in curiam mihi veniendum. Age, at ingressi taceo, inquit. Ne me roga, & tacebo. At est mihi rogandū: Et dicendum mihi quod rectum esse putaro. Verū si dixeris, occidā te. Quando ego tibi dixi me immortalē esse? tu tuū facies, ego meū. tuū est occidere, meū mori nō tremement; tuū relegare, meum exire non tritē.* Hæc ille immortalis heros Heluidius, cui parem ex millibus vnum non reperies, quando plerique ad nutum regis vergunt. Verè ergo M. Tullius præcipit consilia dantibus: *In omnibus consultationibus neque gratiam spectandam, neque odia existimo, sed eam vnumquemque dicere sententiam debere, quam ipse optimam censeat.* Id quod se facturum Mamertinus panegyrista magnificè pollicetur. Adde quæ Seneca de Beneficijs vol. 6. docet, & Plinius Panegyri ad Traianum. Sed planè ad mentem Curtij, & Darij Artabanus apud Herodotum. Ὁ βασιλεὺς μὴ λεχθεῖσέων μὲν γινώσκων ἂν λέων ἀλλήλοισι, οὐκ ἔστι τῶ ἀμείνω διαζέομενον ἐλέσθαι. ἀλλὰ δεῖ τῆ εἰρημένη χρῆσθαι. λεχθεῖσέων δὲ ἔστι ὥσπερ τὸν χρυσὸν τὸν ἀκίρατον, αὐτὸν μὲν ἐαυτὸς οὐ διαγινώσχο-

μεν ἐπειὴν ὃ παραρτίλει μεν ἄλλο χρυσὸν διαγινώσκομεν τὸν ἀμείνω. Rex nisi diuersa inter se sententia dicantur, non potest quis eligere meliorem, sed necesse habet eā, qua dicta est, uti: at cum plures dicta sunt, licet tanquam aurum purum deligere, quod per se discerni cum nequeat, comparatum cum altero discerni potest.

PERICVLVM ESSET) Ex hoc præcepto Darij scriptores politici docent monentque principem vt sine discrimine audiat, & nec bona quidem consilia præmijs adficiat (arcanum dogma, inquit Lipsius, suggero) ne quis spe adipiscendi à vero defleat, & παρὰ γνώμην τε καὶ πρὸς χάριν λέγοι, præter animi mentem & ad gratiam loquatur. Nec mala supplicijs, ne desint qui suadcant, si malè suafisse periculum fit.

MELIORIS FIDEI) Tam fideles haberi solent, qui minus prudenter suadent, quam qui prudentissimè. Prudentius enim, inquit Lipsius, id est, fælicius suadent. Nam profectò sæpè praua magis quam bona consilia prosperè eueniunt, quia pleraque res Fortuna ex libidine sua agit. Imò vt Plautus ait:

*Centum doctum hominum consilia sola hac deuincit Dea.*

QVOTIDIE VOCARI) Attende, Princeps, Persarum in consultando assiduitatem, & imitare, nam cum dispositione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia sunt. Atque vtinam tam felices sint reges, vt ex multis quod optimum est, possint feligere. Non cecidisset fortasè Darius, aut certè non tam citò, si Græcorum sapientiam fuisset secutus. Sed numen alia omnia decreat.

NVNCIARE IVBET) Elegantius hoc nunciare, quàm nunciari: sed codices mei omnes præter Modianum nunciari dicunt.

SI RETRO IRE PERGAT) Turpe sibi Darius tantus rex putabat futurum, si, vnde venerat, rediret, quod ipse fugam interpretabatur (& habebat speciem fugæ) hostem inde animos sumpturum, suos posituros, se timoris, quod in rege turpissimum est, ipsaque morte dirius, in simulatum iri. Itaque multis aut mutatio castrorum, aut abitus, aut regressus parum feliciter cessit, & in nomen fugæ transijt, vt Liuius lib. 22. 23. & 44. narrat. De Pyrrò Iulianus lib. 23. De Amomphareto nolente castra mutare aduersus Mardonium, Plutarchus in Aristide. De Constantino Pogonato Zonaras lib. 3. De Hannibale, etiam Appianus; De Mnasiippo Xenophon lib. 3. Hellin. qui plura exempla desiderat, Gruteri commentarium adeat ad illa Taciti verba, lib. de moribus Germanorum: *Et ipsa plerunque famâ bella prostrigant.*

FAMA BELLA STARE) Famæ feruendum est studiosissimè, eademque sæpè negligenda & contemnenda, ne vanis rumoribus turberis. prius affirmant ipse noster Curtius & hic, & alij locis: *Nam fama, inquit, bella stant, & sæpè etiam quod falso creditum est, veri vicem obtinuit.* Liuius testis amplissimus accedat: *Fama bellum conficit, & parua momenta in spem metumque impellunt animos.* Nec Tacitus dissentit: *Famâ in nouis caeptis validissima est, nam primis euentibus metus aut fiducia eignitur, prout enim prima cesserint, futura sunt vniuersa.* De hec bellica fama tam multa Gruterus loco paullo ante laudato, vt nec plura desiderare possis, aut legere velis, quæ nos inuersus famam rumor esque hominum firmis stabis. Idem ferè Paterculus Nunquam consilia Ducis iudicio exercitus, sed exercitus prouidentia Ducis regendus est.

Seneca: *Male imperatur cum regit vulgus Duces.*

*Ad calamitatem quilibet rumor valet.*

TRAHENDI BELLI RATIONEM) Quod fieret si referrem pedem, aut diuiderem copias. Trahebatur sæpè bellum, vt hostis ad victus inopiam redactus cogeretur se dedere, quod supra dictum.

A SVIS ET HOSTE VEXATIS) supra de Arfame prætorè Darij: *Igni ferroque Ciliciam vastat, vt hosti solitudinem faciat, & populator terra quàm à populationibus vindicare debebat.*

SERVATO MORE MAIORVM.) Sicenim Cyrus, Darius, Xerxes maximis copijs collectis ipsi præsentem neminem abire patiebantur, & vniuersas vires in prælijs adhibuerunt, quod ex Herodoto, Xenophonte & alijs cognosci potest, & miror à Briffonio non animaduersum.

IAM HYEMS INSTARET) Erant Persæ impatientes frigoris, & ob id hiberno tempore bello abstinebant. De qua Socrates in Iuliano, persuaso animam Alexandri in ipsum migrasse.

NON SVFPECTVRA ALIMENTA) Summa cura Reges Persarum in expeditionem parabant commeatum, cui ἐπιδρόμης præficiant, & pro ratione temporis quod in bello posituri erant, alimenta parabant. de quo Herodotus & Xenophon copiosi testes tradiderunt, veriti Cambylis casum & imprudentiam ab Herodoto reprehensam, & à Seneca exagitatam, qui in hos, inquit, quia non supinis manibus exceperant seruitutem, missisq; legatis responsa dederant, quæ contumeliosa reges vocant, Cambyfes fremebat, & non prouisis commeatibus, non exploratis itineribus

per in-

per inuia, per arenia traherat omnem bello vtilem turbam: cui intra primum iter deerant necessaria, nec quicquam subministrabat sterilis & inculta, humanoque vestigio ignota regio, sustinebant famem primo tenerrima frondium, & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quicquid necessitas cibum fecerat. Postquam inter harenas radices quoque & herba defecerant, apparuitque inops etiam animalium solitudo, decimum quemque sortiti alimentum habuerunt fame sauius. Agebat adhuc ira regem precipitem cum partem exercitus amisisset, partem comedisset, donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem: tum demum signum receptui dedit.

ET HERCLE TERRIBILEM ANTE REGEM ) Hæc sibi somnia fingebat Darius de Alexandro, quasi suo aduentu perculso, cuius sibi mox occurrentis, quem fugere putabat, sensit interritum animi robur.

INTRA ANGVSTIAS SALTVS ) Montis Amani & portarum Syriæ ad Ifflum, de quibus mox copiosius.

RITV IGNOBILIVM FERARVM, ) elegans comparatio, sed parum vera, si cum Alexandro & eius exercitu componas. Vt hinuli, cerui, lepores, damæ, & hoc genus imbellæ animantes, parumque feroces, ferè ad viatoris strepitum, auram venti, aut frondium tonum sese latebrant, & in spelæa sua refugiunt. Ita me velut tygride & leone veniente Alexander abdidit se in montes & saltus, ac Ciliciæ angustias. Non absimilis est apud Venusinum vatem in dissimili tamen argumento *σύγκρισις*. ad Chlcen.

Vitas hinulo, & quæ sequuntur.

OCCVLERINT ) Occulerent Acidalius, Modius Occulerint, editi Codices Occuluerunt. videtur hic Acidalius sequendus. occulerent, occulere solerent: occulerint, occulere consuerint, non malè, & necio vtrum non melius.

VALETVDINIS SIMVLATIONE ) Melius narrant Macedones suum Alexandrum, ac Persæ fugitium suum Darium. Nihil simulavit Alexander vt stolidus & copijs suis præsidens, rex Darius sibi illudebat. Valetudo in vtamque partem accipitur, pro morbo & sanitate, atque de hoc nemo tyro dubitat. pro inualetudine sunt in promptu quoque exempla. Curtius infra in querimonia Alexandri: *Vix suos credere non simulari valetudinem* (morbum, inquam.) Et eodem libro: *infirmiorem valetudinis tua video*. Hinc passim apud scriptores aduersa valetudo, incommoda, inhabilis, dura; & sæpè etiam sine epitheto. Cicero: *valetudine affici* Quintilianus: *Valetudinis causas sæpè attulerunt cibi*. Velleius: *Ingravescit in dies valetudo*. Et: *Instrumentum hoc mea valetudini succurrit*. Tacitus: *valetudine ager*. idem: *secutæque anceps valetudo iram Dei affirmavit*. Nec opus pluribus.

SED NON AMPLIVS IPSVM ESSE PASSVRVM DETRECTARE CERTAMEN ) ambigè dictum explano: Darius dicitabat se non passurum amplius ipsum Alexandrum detrectare certamen. Sæpè tacet Curtius pronomen cum participio iungendum, vti & hic *τὸ se* audiri voluit.

IN ILLO SPECV ) Totam Ciliciam clausam vndeque Tauro monte ex vna parte, ex altero mari, vt specum referre videretur; & erat immanis quoque specus Typhonis Corycius ad quem respexisse potuit. Vel Amani montis impeditos anfractus & saltus intelligit, vel omnia simul.

CVNCTANTES ) in Cilicia morantes, & Darium expectantes.

HAEC MAGNIFICENTIVS ) Epiphonema superbæ orationis barbari regis, & de se præfidentis, omnesque mortales præ se contemnentis: sed ingentia verba modio dimensus Darius, frustra erat vt territaret Alexandrum.

CAETERVM PECVNIA OMNI RERVMOVE PRETIOSISS. DAMASCVM SYRIAE MISIS ) Hoc idem Diodorus affirmat: *Δαρῆος δὲ βελόμενος ἐξῶνον ποιῆσαι τὴν δύναμιν, τὰ μὲν σκευοφόρα, & τὸν περιττὸν ὄχλον εἰς Δαμασκὸν τῆς Συρίας ἀπέθετο*. Darius, vt bene positum agmen duceret, omnia impedimenta, & inutilem turbam Damascum Syria misit. Nos infra Damascum suo loco describemus.

Matrem Sifygambim cum geminis filiabus & Ocho sexenni filio, secum duxit  
in Ciliciam.

## CAPVT XIV.

## ARGVMENTVM.

Alexander ad Syriae portas, Darius eadem nocte ad pylas Amanicas peruenit, ille vt exiret, hic vt intraret Ciliciam, qui Iffon occupat, deprehensos ibi Macedones crudeliter aut truncat, aut trucidat, tergisque fugientium hæret, Alexandrum quasi fugientem affecuturus, qui simul cognouit Darium adesse, conuerso itinere constitit, paratusq; Dario occurrit.



**E**orū eadem nocte & Alexander ad fauces quibus Syria aditur, & Darius ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, peruenit, nec dubitauere Persa, quin Iffo relicta, quam ceperant, Macedones fugerent. nam etiam saucy quidam & inualidi, qui agmen non poterant persequi, exceptierant. quos omnes instinctu purpuratorum barbara feritate sauentium, præcis adustisque manibus circumduci, vt copias suas noscerent: satisque omnibus spectatis nuntiare qua vidissent, regi suo iussit. Motis ergo castris, superat Pinarum amnem, in tergis, vt credebat, fugientium hæsurus. At illi, quorum amputauerat manus, ad castra Macedonum penetrant, Darium quanto maximo cursu posset sequi, nuntiantes. Vix fides habebatur, itaque speculatores in maritimas regiones præmissos explorare iubet, ipsene adesset, an præfectorum aliquis speciem præbuisset vniuersi uementis exercitus. Sed cum speculatores reuertenterent, procul ingens multitudo conspecta est. Ignes deinde totis campis colucere cæperunt, omniaque velut continenti incendio ardere visa, cum incondita multitudo maxime propter iumenta laxius tenderet. Itaque eo ipso loco metari suos castra iusserat, latus quod omni expetierat voto, in illis potissimum angustijs decernendum fore.

ALEXANDER AD FAUCES QUIBUS SYRIA ADITVR, ET DARIUS AD AMANICAS PYLAS) Dixerat supra tres aditus asperos habere Ciliciam per montem Taurum, vbi super eo loco multa diximus. Hic omnia distinctius ex certissimis auctoribus & spectatoribus locorum proponemus. Tres aditus sunt in Ciliciam isti. Primus per pylas Tauri, quas Cyrus, Alexander M. & Cicero per Cappadociam intrarunt. Secundus, versus montem Amanum, ad quem sunt Pylæ Amanicæ. Tertius per pylas Syriæ non procul Iffo. Primas Tauri pilas supra descripsit Curtius quibus ex Cappadocia penetrauit Alexander Ciliciam, & recta petiuit Tarsum. Pylas Syriæ hoc loco Curtius appellat fauces, quibus Syria aditur, has occupauit Alexander, ibique castra posuit contra Darium, quo loco & Cicero contra Amanienfes sua postea collocauit. Supra Ciliciam, per Pylas Amanicas, qua Taurus Amano iungitur, venit ex Syria Darius, & inde ad Iffum contra Alexandrum contendit. Pylas ad Iffum, siue Syriæ ad Ifficum mare fitas his verbis describit Xenophon disertè & apertè vt solet: *Εντεῦθεν ἐξελάουσι σαθρόμ ἕνα, παρασάγγας πέντε ἐπὶ πύλας τῆς Κιλικίας καὶ τῆς Συρίας. ἦσαν δὲ ταῦτα δύο τεῖχη καὶ τὸ μὲν ἔσωθεν πρὸ τῆς Κιλικίας Σύννεσις εἶχε καὶ Κιλικίων φυλακή, τὸ δὲ ἔξω τὸ πρὸς Συρίας βασιλέως ἐλέγετο φυλακὴ φυλακτῆρι. Διὰ μέσων δὲ τῶν ῥείων ποταμῶν Κέρσο ὄνομα πλῆθος ἔειρε. ἄπαν δὲ τὸ μέσον τῶν τευχῶν ἦσαν σάδιοι τρεῖς καὶ παρελθεῖν οὐκ ἔν βία. ἦν γὰρ ἡ παράδοσις σενὴ καὶ τὰ τεῖχη εἰς τὴν θάλατταν καθήκοντα. ὑπερθεὶν δὲ ἦσαν πέτραι ἡλιβατοὶ. ἐπὶ δὲ τοῖς τεύχεσιν ἀμφοτέρωθεν ἐφεισ ἤκεισαν πύλαι. ταύτης ἕνεκα τῆς παράδοσις Κύρσο τὰς ναύς μετεπέμψατο ὅπως ὀπλίτας ἀποβιβάσειεν ἔσω καὶ ἔξω τῶν πυλῶν καὶ τὰ λοιπά.* Hinc Cyrus castris primis passuum xxxv. millibus confectis ad Ciliciam ac Syriae portas peruenit. Harum citeriores muros, qui Cilicia finis est, Cilicum presidium à Syemesi constitutum custodiebat: vltiores regis ipsius presidium tenere dicebatur. Interfluebat amnis cui Cerso nomen, cuius erat xx. passuum latitudo: medium vtrorumque murorum interuallum trium erat stadiorum: vi quidem insuperabilis locus: nam angustissimus erat transitus: muri ipsi ad mare pertinebant, quibus ardua & prærupta imminebant saxa. In virisque muris porta erant

rant singula. Huius transitus Cyrus accersuit naues, quo transmissis intra & extra portas armatis, custodes armatos inde vi pelleret. Quid hoc Xenophontis loco illustrius, quo aperitur aditus ad mare vergens in Syriam per portas extremas Ciliciæ, qua Syriam spectat, & quas Alexander occupat. Cicero eodem postea loco castra posuit contra Amanienfes. Castra, inquit, post paucos dies habuimus ea ipsa qua contra Darium habuerat Alexander ad Issum, imperator haud paullo melior, quam aut tu aut ego. Veniamus ad Amanicas. Has Cicero describit: Inde (Tarlo) ad Amanum contendi, qui Syriam à Ciliciâ aquarum diuortio diuidit: qui mons erat hostium plenus sempiternorum. Hic ad III. Idus Octobr. magnum numerum hostium cecidimus. &c. De eodem Amano multa idem ad M. Catonem & ad Cælium Rufum: Nam Parthico bello nuntiato, locorum quibusdam angustijs & natura montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi satis probe ornatum auxilijs & quadam auctoritate apud eos, qui me non norant, nominis nostri, multum est enim in his locis: Hic cine est ille, qui urbem? qui senatum? nosti cætera. Cum venissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis est, diuisus aquarum diuortio, & mox infra: Interea cum meis copijs omnibus vexauit Amanienfes hostes sempiternos. multi occisi, capti, reliqui dissipati. Castella munita, improuiso aduentu capta & incensa. Ita victoria iusta imperator appellatus apud Issum: quo in loco sæpe (vt ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit) Darium ab Alexandro esse superatum. & quæ ibidem sequuntur de Pindenisso oppido capto in monte Amano. Strabo quoque planissimè portas Amani à portis Ciliciæ & Syriæ extremis distinguit: Post Mallum, inquit, Aegææ est oppidulū cum statione. Deinde Amani portæ cum statione, in quas Amanus mons desinit à Tauro porrectus supra Ciliciam, qua versus orientem vergit, & infra: Post Aegæas Issus est oppidulum cum statione & flumen Pindus. Ibi Alexander cum Dario pugnavit. Hinc sinui Issico nomen, in quo est vrbs Rosus, tum Myriandrus alia vrbs, & Alexandria ac Nicopolis, & Mopsuestia (quasi lares Mopsi diceret) & qua Pyla seu portæ dicuntur, limes Ciliciæ atque Syriæ. Intelligis hinc à Strabone portas Amani prorsus alias esse à portis Ciliciæ & Syriæ, quæ sunt limes Ciliciæ ad Syriam pertinentis. Notandus ergo Camertis error ad Solinum, qui tres aditus Sose & Ciliciæ, Tauri inquam ex Cappadocia, Amani ex Armenia & Syria, Issicas pylas ad mare confundit: Ciliciæ portæ, inquit, ea videntur esse, quas etiam ab Ammano monte Amanicas vocat Ptolomæus iuxta sinum Issicum. Ecce tibi iam Tauri portas quæ ex Cappadocia Ciliciam aperiunt, permiscet cum portis Issicis quæ finiunt Ciliciam, & Amanis. Rursus idem Scholiasta Solini ex Curtio, Alexandrum has ingressum, & locorum situm contemplatum, non alias magis admiratum esse scelicitatem suam, & quæ sequuntur. Quæ verba Curtij refert de Alexandro ex Cappadocia primum per Taurum montem in Ciliciam ingresso dicta, & ad Tarsum inde (vt Cyrus minor olim) progresso; non de extremis versus Syriam Ciliciæ & Syriæ portis. Mela quoque separat, & omnium apertissimè Arrianus, qui Alexander, inquit, cum secundis castris Pylarum angustijs superasset, ad Myriandrum urbem castra posuit. Et mox de Dario: Darius superato monte qui propè pylas Amanicas est Isson versus mouit, Alexandrum imprudens à tergo reliquit. Quomodo potuit Alexandrum à tergo reliquisse si per Pylas Syriæ & Ciliciæ venit Darius, quas infederat, vt Curtius ait, Alexander, & quomodo imprudens id fecisset Darius, si per easdem portas quas Alexander tenebat, est ingressus: Fuerunt ergo diuersæ portæ Ciliciæ & Amanicæ versus Syriam, quod non minus clarè Callisthenes apud Polybium docuit. ἐν ἡ (Κιλικία) φησὶ μὲν Ἀλέξανδρος ἡδὴ διαπορεύεσθαι τὰ στενά, καὶ τὰς λεγομένας ἐν τῇ Κιλικίᾳ Πύλας. Δαρῆιον δὲ χρῆσάμενον τῇ διὰ τῶν Ἀμανιδῶν λεγομένον Πυλῶν πορείᾳ κατὰ τὴν μετὰ τῆς δυναμείως εἰς Κιλικίαν. Iam Alexander (inquit Callisthenes) fauces superauerat, & quas Ciliciæ Pylas vocant. Darius verò per Amanicas Pylas ducto agmine in Ciliciam cum copijs iam peruenerat. Accipe ergò quod dicit Curtius Alexandrum eadem nocte ad fauces Ciliciæ & portas Syriæ peruénisse, & simul Darium ad Amanicas Pylas, quod nesciebat Alexander, quia diuersæ erant portæ, & illæ, vt Mela dicit, procul ab istis remotæ, priusque capta Issos est, quam Alexander cognosceret adesse Darium, cum per Macedones à Dario captos & manibustruncatos certior factus est adesse in Ciliciam Darium. Non potuissent à se mutuo aberrare, si per easdem portas noctu fuisset egressus Alexander, & per easdem eadem nocte ingressus Darius, præsertim cum Alexandri miles portas insideret & fauces, vt Curtius narrat. Emendandus ergo & Abrahamus Ortelius in descriptione expeditionis Alexandri, qui Pylas Amanicas ponit, vbi debebat Syriæ & Ciliciæ collocare omnino præteritas.

NEC DVBITAVERE PERSÆ, QVIN MACEDONES FUGERENT) Dubia oratio in verbis; quam ceperant; ceperunt Macedones, & ceperunt Persæ, illi prius, hi posteriorius. Sed eximit serupulum sententia & rerum ordo. τὸ ceperant ad Macedonas pertinet. Nam si cepissent istum (quamuis postea fugatis Macedonibus ceperint) Persæ non dubitarent an essent fugituri Macedones, cum deprehensos occidissent, vt fecerunt.

SAVCII ET INVALIDI ægri, debiles & vulnerati. Vbi vulnerati? in expeditione Montana contra latrones Amanienfes. Nam in subigendis Montanis septem dies impenderat Alexander.

EXCEPTI ERANT) Macedones à Persis.

INSTINCTV PVRPVRATORVM) Satraparum consilio, cum alioqui mitis & sanctus esset Darius, nisi etiam naturam suam plerumque fortuna corrumperet.

PRAECISIS ADVSTIS QVEMANIBVS) Arrianus crudeliter interfectos scribit.